

JUS ECCLESIASTICUM

PRACTICIS

RATIONUM MOMENTIS ILLUSTRATUM.

POTISSIMUM IN USUM CLERI CURATI

ELUCUBRAVIT

JOANNES KRAJCSIK,

ABBAS S. HIPPOLYTI DE MONTE ZOBOR, CATHEDRALIS ECCLESIAE NITRIENSIS CANONICUS, ARCHI-DIACONUS, SYNODALIS EXAMINATOR, JURIS U. DOCTOR, FACULTATIS JURIDICAE IN UNIVERSITATE PESTIENSI MEMBRUM COLLEGIATUM.

TOMUS I.

VIENNAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

1854.

Canonum Statuta custodiantur ab omnibus,
Et nemo in actionibus vel judiciis Ecclesiasticis
Suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur.
C. 1. de Constitutionibus.

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

EMERICO PALUGYAY,

DE EADEM ET IN BODAFALVA,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPO NITRIENSI;

II. ORDINUM: LEOPOLDI IMPERATORIS MAGNAE CRUCIS, ET CORONAE FERREAE PRIMAE CLASSIS EQUITI, ITEM S. STEPHANI R. A. COMMENDATORI, S. C. ET R. APOST. MAJESTATIS ACTUALI INTIMO CONSILIARIO,

IN FILIALIS DEVOTIONIS

ET

PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS TESSERAM

D. O. T.

CANONICUS JOANNES KRAJCSIK.

INTRODUCTIO IN JUS ECCLESIASTICUM.

CAPUT I.

De Juris Canonici Origine, Divisione, et Generalia de Jure et Lege.

§. 1. Juris Canonici Origo et Varia Nomina.

„Coelestis Pater, Pater misericordiarum et Deus totius Consolationis, Christum Jesum filium suum, et ante legem et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum, ac promissum, adveniente beata illa plenitudine temporis, ad homines misit; ut et Judaeos, qui sub lege erant, redimeret, et Gentes quae non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum acciperent“ [1]). Christus proinde ad omnes Gentes venit, atque veteri lege sublata, et superstitione ethnica profligata, novam legem, novumque regnum etiam visibile fundavit, assimilando illud grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum et crevit et factum est in arborem magnam: et volucres coeli requieverunt in ramis ejus [2]); instituendove Sacramenta, salutis aeternae consequendae media, signa *externa visibilia* gratiae invisibilis; signanter Baptismum, per quem Socii in regnum hoc cooptantur. — In Regno isthoc constituit Hierarchiam, *Potestate Magisterii, Potestate ordinis seu Ministerii, et Potestate regiminis, seu jurisdictionis* instructam. Unde etiam duplex hominum Classis in Ecclesia existit: *Docentium* scilicet et *Imperantium*, tum alia *Discentium et Obtemperantium.* Non pendebat itaque ab arbitrio Sociorum qua administrationis forma

[1]) Conc. Trid. sess. 6. 2. de justif. — [2]) Lucae 13. 19.

visibilem societatem hanc regi vellent; ast Divinitus constitutae Potestati semet subjicere debebant. Forma autem haec longe distincta a quacunque civili, cum hac confundenda non est; sed eam velut immediate originis Divinae, in sua integritate servare oportet. In hac societate, seu Ecclesia, determinationes aliae sunt *essentiales*, aliae *non essentiales*. Ad priores referuntur quae ita sunt Ecclesiae propriae, ut ab ea separari non possint, quin ipsius Ecclesiae typus et caracter adimatur; ideo etiam *Principia*, *Constitutio Ecclesiae* vocantur; haec cum ab ipso Fundatore Jesu Christo procedant, et in fonte Divino, S. quippe Scriptura aut Traditione originem habeant, sunt immutabilia. Quo pertinent: Sacramenta, Hierarchia, Primatus inter Episcopos, infallibilitas et perpetuitas Ecclesiae, distinctio inter clericos et laicos, obligatio Religionem Christi inter omnes Gentes propagandi, et plura alia. Ex his et aliis fundamentalibus determinationibus, Ecclesia in diem amplius dilatata, atque Institutum independens, necessitabatur consequentias ducere, scopoque definiendarum emergentium correlationum dispositiones edere, quas ad distinctionem a legibus Civilibus *Canones* appellat. *Canon* graece, latine *regula* nuncupatur [1]). Complexus vero Canonum *Jus Canonicum* audit. Cum tamen nomenclatio Canonis, — unde Juris Canonici nomen — restringatur ad determinatas dumtaxat leges, illas quippe quae in Corpore juris Canonici sunt clausae; — cui rite consonat Concilium Tridentinum, sacros Canones a *Conciliis Generalibus et Apostolicis sanctionibus* distinguens [2]); Jus Canonicum, rectius *Jus Ecclesiasticum* nuncupatur, non quidem eo sensu — ut Joannes Devoti adstruit [3]), — quod de personis rebusque *ecclesiasticis* agat, aut quod per ecclesiasticam potestatem sit latum; sed ideo quod praeter Canones, alias aequae Ecclesiasticas, externam quoque Ecclesiae et ejus membrorum correlationem concernentes, in Concordatis etiam fundatas determinationes contineat; Jus Ecclesiasticum proinde latius pateat, quam Jus Canonicum. Interim idem Concilium Tridentinum Canonis nomen adhibet etiam in definitionibus Dogmaticis, a quibus Decreta de reformatione distinguuntur; quamvis et Capita quaedam non ad fidem sed ad reformationem pertinentia Canones compellet: „hos — inquit — qui sequuntur Canones statuendos et decernendos ducit“ [1]). Porro jus ecclesiasticum a sacris Canonibus, per antonomasiam, *Jus Sacrum;* tum a capite Ecclesiae, summo Pontifice, ac ad distinctionem a jure Civili et jure Caesareo, *Jus Pontificium* dicitur. Jus ecclesiasticum in systematica forma propositum, objective *Jurisprudentia ecclesiastica* nuncupatur; cujus subjectiva cognitio *Jurisscientia ecclesiastica* audit. Hac destituitur *legulejus* qui leges memoria tenet quidem, sed eas applicare non novit. *Rabula* vero scientia juris ad convellendas sive publicas, sive personarum singularium res abutitur.

[1]) Diss. 3. c. 1.— [2]) Sess. 25. c. 20. de ref.— [3]) Inst. Can. t. 1. pag. 22.

§. 2. Juris Ecclesiastici Divisio.

Cum Ecclesia, — ut jam supra attactum — propriam, ab omnibus aliis diversam administrationem, et hoc ipso distinctam per se subsistentem Jurisprudentiam ac proprium Jus habeat; formarum, distinctionum, e Justiniani Institutionibus et Codicibus Civilibus, — cumprimis juris Publici — desumptarum, ac ad systema juris ecclesiastici nisi improprie adplicabilium, usus fieri nequit; eo minus quod eaedem secus etiam, practicam Ecclesiae Jurisprudentiam non illustrent, sed confundant. Huc spectat quoque mutuatio diversarum regiminis formarum et earumdem

[1]) Sess. 14. decr. de ref. Proëm.

ad Ecclesiam adplicatio, alioquin spiritui Divini statoris adversa. Parum certe refert, num cum celebratissimo Cardinale Bellarmino adstruatur: „in Ecclesia Papae Monarchiam; Episcoporum Aristocratiam; et Democratiam eo sensu, quod nullus sit, qui qualitatibus praescriptis praeditus, Episcopatum gerere non posset,“ existere; — aut vero cum nonnullis formam Monarchicam, vel Theocraticam dari dicatur. Nos fide tenemus in Ecclesia Hierarchiam Divina institutione ordinatam haberi, cujus, prout et totius Ecclesiae *caput visibile* constitutus est Petrus et ejus in Cathedra Successores.

Jus Ecclesiasticum dividitur cumprimis in *internum* et *externum;* illud occupatur correlationibus Juris et negotiorum, quae interiorem Ecclesiae statum concernunt, quorsum negotia Ecclesiae et coordinatio ejusdem, jura et obligationes Ecclesiae Docentis, respectu Ecclesiae Audientis, et mutuae harum correlationes referuntur; — externum autem respicit correlationes Ecclesiae ad Civitatem, tum ad hanc pertinentium Membrorum et Institutorum, demum correlationes cum iis qui extra Ecclesiam existunt. Tametsi enim Ecclesia autonomia praedita sit, et per se pro se subsistat, practice interim constituitur in correlationibus externis, — etiam per Concordata stabilitis, — quas systematica Juris Ecclesiastici pertractatio ignorare nequit, praeviamque divisionem rite adoptat, eo magis quod eadem non illo sensu sumatur, quasi Ecclesia relate ad statum ita distincta foret, *sicut internum relate ad externum*, nam Ecclesia, quamvis ad interiora effectum exerere, et cum spiritualibus principaliter semet occupare debeat, est tamen pro se aliquid exterioris, et per externa media agentis. Ultro dividitur in Jus *publicum* et *privatum*, non quidem sensu Juris Romani, sed sensu proprio; quippe Jus publicum ecclesiasticum non unum singularemque statum, — sicut Jus Romanum — ast Ecclesiam integram, per totum orbem diffusam, ejusque statum concernit; Jus autem privatum, singulorum Ecclesiae membrorum statum attinet, ac in illorum utilitatem tendit; quorsum Sacramenta, et Res pertinent. Audientis enim Ecclesiae membra pariter juribus gaudent; quale jus est: ad Sacramentorum et aliorum Ecclesiae beneficiorum participationem; jus ad coemeterium et sepulturam ecclesiasticam, et plura alia. Divisio interim haec ex Jure Romano mutuata, ambiguum fundens conceptum, per Canonistas modernos passim insuper habetur. — Spectata extensione, Jus in *universale* et *particulare* dispescitur, prout nempe pro tota Ecclesia, vel cujuspiam regni fidelibus leges continet; quae posteriores quod legibus et consuetudinibus universae Ecclesiae praejudicare non possint, suapte sequitur. — Ratione fontium aliud est *Divinum*, *humanum* aliud; prius leges Divinas, — ordinationes Christi et Apostolorum, sive in scriptura, sive in traditione fundatas; posterius vero, normam juris, dispositiones et Institutiones Hierarchiae, vel etiam in sphaera sua Potestatis Civilis, pro objecto habet. Utrumque est *scriptum* vel *non scriptum;* horsum specialiter Consuetudo refertur. Demum dividitur jus in *antiquum*, *novum*, *novissimum*; primum continet epocham temporis ab incunabulis Ecclesiae usque ad medium saeculum XII, editum quippe Decretum Gratiani; secundum complectitur leges expost latas, et ut dicitur in corpore juris clausas; novissimum denique leges potissimum a tempore Concilii Tridentini conditas comprehendit. Interim divisio haec magis ad historiam litterariam et ad fontes Juris pertinet; de his autem alibi sermo occurrit.

§. 3. Generalia Praecognita de Jure et Lege.

Canon seu regula, *Lex Ecclesiastica* est determinata in objecto ecclesiastico norma, cui membra

Ecclesiae actiones suas subjicere tenentur. — Necessitas aliquid agendi aut omittendi, *obligatio* dicitur; si vero quidpiam positive agere seu efficere tenemur, id *officium* appellatur. Officia caetera inter dividuntur in *perfecta* et *imperfecta;* officia perfecta, etiam *Juris officia* dicta, sunt ea, quae externa sanctione muniuntur et imperari possunt; imperfecta vero quae tantum svadentur. Jus ecclesiasticum de juribus et officiis membrorum Ecclesiae praesertim *perfectis* agit. Connexa enim cum officiis ecclesiasticis jura, non sunt talia, quorum usus et exercitium ab arbitrio officium gerentis pendeat; verum eorumdem usus, in procuranda fidelium salute, in cura animarum, necessario fieri debet, imo imperari potest; hic proinde regula illa: *„qui jure suo non utitur alterum non laedit“* locum non habet, unice in sic dictis *juribus permissivis* adplicabilis. Juri permissivo opponitur *jus stricte tale*, cui adnexa est obligatio. Ita Parochus, intra gremium suae Parochiae gaudet *jure exclusivo* baptismum solemnem administrandi, verbum Dei annunciandi; jus interim hoc non subit considerationem permissivorum jurium, sed est jus stricte tale, cui adnexum est officium, Parocho obligationem imponens, baptismum solemnem administrandi, verbum Dei annunciandi. Et pleraque jura Parochorum, prout et jura Episcoporum, non ad permissivorum, ast ad *stricte talium* jurium cathegoriam pertinent, seu sunt una *obligationes.*

Sicut Jus, ita et Lex est alia universalis et particularis; Divina et humana, haec ecclesiastica vel civilis; ecclesiastica rursum: Pontificia, Synodalis, Episcopalis; alia demum est scripta vel non scripta. Praeterea leges spectato effectu sunt *cogentes;* seu quod praecipiunt aut prohibent ita firmum est, ut velut jus publicum, arbitrio privatorum mutari non possit; et quae contra has leges fiunt, vel ipso facto irrita sunt, vel rescinduntur; juxta regulam juris 64. in 6°

„quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.“ Huc pertinent pactiones de rebus spiritualibus, et aliae vindicativae leges. Aliae sunt leges *permissivae*, quae privatam conventionem patiuntur; de quibus valet illa regula juris: „Provisio hominis, tollit provisionem legis.“ Demum sunt etiam *imperfectae* leges; in quarum obversum, illicite quidem, valide tamen negotium celebratur. De his dicitur: „multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint roboris retinent firmitatem“ [1]). Tale est matrimonium cum impedimento impediente initum.

Lex mere *poenalis* non existit. Sive enim lex poenalis spectato effectu illo sensu sumatur, quod externe dumtaxat, non autem in conscientia obliget; sive vero, quod Legislator unice poenam legis praevaricationi adnexam prae oculis habuerit; utrumque sanae rationi et Doctrinae Catholicae adversatur. Nam Legislator necessitate cogente legem fert, in bonum commune directam, adeoque observantiam legis non poenam pro scopo habet. Imo auctoritati Legislatoris summe derogans, et plane ridiculum esset, ut is in irrogatione poenae delectationem aliquam habeat, prout id in supposito existentiae legis mere poenalis obtineret. Dein subjectum legis homo, per legem mere poenalem imperfectior fieret. Defraudationibus praeterea latus campus aperiretur, si poenam externam evitare sufficeret, et non etiam ad reparandam laesionem, quam praevaricatio legis semper involvit, obligatio in conscientia daretur. Id ipsum congruit Doctrinae Christi praecipientis: ut omnis anima potestati sublimiori subdita sit, *non solum propter iram, sed et propter conscientiam.*

Quoad *legis requisita, ejusdem vim et potestatem,* in genere sequentia axiomata obtinent: 1° Ut eadem a legitima potestate, in communem Ecclesiae utilita-

---

[1]) C. 1. de regular.

tem, et salutem animarum proficiscatur. 2° Lex *more recepto promulgata* in regula statim obligat; nisi per ipsam legem praestituatur tempus inchoaturae obligationis. Sic Concilium Tridentinum clandestinis matrimoniis finem imponens: „decernit ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem Parochia factae numerandos“ [1]). — 3° Lex futuris tantum actionibus normam praestituit, neque ad acta praeterita, velut in hominis arbitrio amplius non existentia revocari potest; seu ut dicitur: „Lex retroactivam vim non habet.“ Ideo praetextu novae legis obligationes rite contractas declinare non licet. 4° Legis objectum sunt dumtaxat actiones externae, sub sensus cadentes; nam „cogitationis poenam nemo patitur [2]); cui conformiter Innocentius III. declarat: „*nobis datum est tantum de manifestis judicare* [3]); unde etiam illud axioma desumptum est: „de occultis non judicat Ecclesia.“ Haec tamen de Potestate et jurisdictione externa intelligenda veniunt. 5° Lex *in conscientia obligat*; seu obligat sub peccato, cujus gravitas ex verbis et sanctione legis ipsius, ex objecto item, fine et circumstantiis metienda est. Obligant autem leges cunctos Legislatoris potestati subjectos. Hinc editis per summum Pontificem, aut Concilium Generale universalibus legibus omnia Ecclesiae membra, prout lege Episcopi fideles respectivae Dioecesis obstringuntur [4]). Quod axioma etiam respectu legum per Potestatem Civilem latarum obtinet; nisi hae Divino juri, fidei et morum regulis adversarentur; qualis lex, persecutionem Christianorum pro objecto habens, primis tribus Ecclesiae saeculis viguit, et tantis martyribus coronae ad Victoriam causa exstitit. 6° Lex exstinguitur, dum adjunctis

[1]) Sess. 24. C. 1. de ref. — [2]) Dist. 1. de Poenit. C. 14. — [3]) C. 34. de Sim. — [4]) Can. 25. Q. 1. C. 6. Dist. 11. c. 8.

mutatis contraria fertur; et haec dicitur *abrogatio* legis. Si vero lex ex parte cessat, aut remittitur, tunc legi *derogatur*. Cessat autem vel in casibus particularibus, vel intuitu certarum personarum, seu per Dispensationem et Privilegium de quibus mox infra. — Posterior lex priori tunc solum derogat, dum utraque simul conciliari nequit. Num autem et qualiter legibus derogare possit Consuetudo, mox dicetur. *Abrogatio et derogatio* non potest fieri nisi per Legislatorem; huc spectat illa regula juris: „omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.“ C. 1. de reg. juris.

§. 4. Juris scripti nonnullae adhuc species.

Horsum referuntur: Constitutiones Romanorum Pontificum; Edicta; Mandata; Instructiones; Rescripta; Decreta; et Statuta. *Constitutiones Romanorum Pontificum*, aliae pertinent ad Materiam Fidei et morum; aliae vero ad disciplinam; dein sunt Universales et Particulares, prout nempe totam Ecclesiam, aut partem fidelium concernunt. Expediuntur in forma *Bullae;* aut in forma privata, seu in forma *Brevis.* Distinctio inter Bullam et Breve inferius in objecto *Tribunalium Pontificiorum* exponitur. — *Edicta* sunt ordinationes in utilitatem universorum fidelium factae; *Mandatum* vero est commissio ad jurisdictionem Ecclesiasticam in objecto sphaeram officii ejusdem concernente dimissa; utraque haec vocantur etiam *motu proprio* ex eo, quod citra supplicationem aut impulsum aliorum, seu ex certa Scientia, ac de mera deliberatione Pontificia dimitti consueverint [1]). *Instructio* est uberior inviatio, qualiter ad executionem dimissae Constitutionis procedendum sit. *Rescripta* seu Litterae sunt responsa erga relationes, aut vero ad preces et

[1]) C. 4. de rescr. et mand. Apost. in 7°.

desideria supplicantium in objectis justitiae vel gratiae data. *Decreta* continent ordinationes de Consilio Cardinalium editas, decisionem quaestionis litigiosae pro objecto habentes. *Statuta* sunt leges ab inferiore Potestate, pro suis subditis latae; ita Constitutiones Synodi Dioecesanae, vel Episcopales, Statuta dicuntur. Quamvis Statutorum nomine veniant etiam decisiones et conclusa, quibus in certum et determinatum scopum, communitas jurisdictionem habens, vocatis iis qui jure Suffragii gaudent, semet obligat. Conclusa tamen illa nec juri communi, aut consuetudini adversa, nec aliis damnosa esse audent. Imo in gravioribus casibus supremae Potestatis assensu roboranda sunt. A statutis Communitatum differunt *Statuta Collegialia* quae unice in Personam et res privatas moralis cujusdam corporis vires exerunt. Talia sunt statuta Communitatis Religiosae, quorum rigor tamen ultra regulas ordinis procedere non debet.

§. 5. De Rescriptis.

Partim ob praerogativas Petro et ejus successoribus tributas, partim successive variis Reservationibus inductis, ex omnibus latissime patentis Catholici orbis Regionibus, supplicationes Romam ad sedem Petri deferebantur; ideoque doctrina de Rescriptis, tam quoad meritum, quam et formam externam, ad abusus avertendos specialiter excoli debebat. Unde in corpore Juris Canonici, *titulo de Rescriptis* ita rite sunt omnia determinata, ut species Rescriptorum, valor et forma, ac modus executionis, inde facile hauriri possit. Quae ad essentiam pertinent, habita quoque subsequarum hac in parte mutationum reflexione, ad sequentia redeunt. *Rescripta* stricto sensu edit nisi Pontifex, aut summus Princeps; per alias Jurisdictiones editae responsoriae litterae non Rescripta, ast *Responsa* vocantur. Rescripta abeunt in *Rescripta justitiae et gratiae*. *Rescriptum justitiae* seu ad *lites* vocatur illud, quod erga substratas preces, ad decidendam litem Judicis delegationem pro objecto habet, aut justitiam administrari jubet; vel leges authentice interpretatur. *Rescriptum gratiae* est, quo alicui erga supplicationem, beneficium, exemptio, indulgentiae, aliaeque gratiae et favor conceditur. In Rescriptis Pontificiis, de quibus hic sermo est — conditio illa: „*si preces veritate nituntur*" semper inserta intelligitur, etiam tunc, dum expresse posita non est [1]); et Rescriptum tam *vitium subreptionis*, seu reticentia veri; quam *vitium obreptionis*, seu expressio falsi, vigore exuit [2]). Dum interim precum irrealitas ex errore, aut ignorantia excusabili provenit, tum valor Rescripti ab eo pendet, num reticentia veri, vel expositio falsi ad principale, aut accidentale meritum referatur; casu enim in illo dum de accidentalibus quaestio est, Rescriptum vigorem retinet.—E generali hac dispositione sequitur, ante executionem Rescripti, in forma ut dicitur *Commissaria* directi, in veritatem precum erga quas Rescriptum emanavit, inquiri debere; exceptio est, dum Rescripto inseritur clausula: *motu proprio et ex certa scientia*, eotum ex reverentia a praevia inquisitione praescinditur; et clausula haec eum habet effectum quod tollat vitium subreptionis, ac ex hoc capite Rescriptum impugnari nequeat. Nisi positive constet, Rescriptum, erroneae basi innixum esse, tunc ab executione omnino abstinendum, et causa rationabilis, quare jussa adimpleri non possint *ex officio* exponenda erit: „*Quia*, — inquit Alexander PP. III. —*patienter sustinebimus si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum*" [3]).

Rescriptum justitiae, a Rescripto gratiae in eo *differt*, quod prius non possit impetrari nisi pro se, *aut penes speciale mandatum, vel per conjunctam per-*

---

[1]) C. 2. de resc. — [2]) C. 20. h. t. — [3]) C. 5. h. t.

sonam, pro alio; alioquin absque speciali mandato impetratae litterae non valent, et impetrans tamquam falsarius puniendus decernitur. Posterius autem, seu Rescriptum gratiae, *etiam pro alio absque speciali mandato* impetratur [1]). Rescriptum justitiae, valorem ab eo tempore obtinet, quo est judici delegato *praesentatum* [2]), e contra Rescriptum gratiae vigorem nanciscitur a *dato* temporis et expeditionis, atque in regula, anterius prae posteriori valet, excepto eo casu, si prius Rescriptum per posterius expresse tolleretur, aut posterius speciale esset; nam species derogat generi [3]). — Rescriptum justitiae cessat morte concedentis aut impetrantis, vel contra quem conceditur; aut si executio ad determinatam Personam directa sit, obitu Executoris; exceptio est, si haec corpori morali, vel officio concredatur. Impedimenta tamen haec intelligenda veniunt *re integra* adhuc existente. Rescripta gratiae, communiter dicuntur *perpetua*; de his enim sonat regula juris in 6° „decet concessum a Principe beneficium esse mansurum;" interim et haec extinguuntur, per benevolam impetrantis renunciationem, aut dum gratia ad beneplacitum est concessa, per concedentis revocationem. Si de assensu partium causa alicui judici committitur, alterutra autem pars alia ignorante alterius judicis delegationem successu temporis obtineat; qui idmodi dolo et fraude egit, in expensis mulctandus disponitur [4]).

Rescriptum impetrare non possunt: haeretici; excomunicati, nisi sit Rescriptum super causa excomunicationis, aut ratione causae ejusmodi appellationis [5]), impetratum a Pontifice excomunicationis inscio Rescriptum est invigorosum [6]). Demum impetrare nequeunt *Procuratores revocati*, et de hoc certiores redditi. Tum in objecto justitiae mandato speciali destituti.

[1]) C. 22, 28 et 33. h. t. — [2]) C. 12 et 59 de appellat. — [3]) C. 1. 3 et 14. h. t. — [4]) C. 3. h. t. — [5]) C. 1. h. t. in 6°. — [6]) C. 26. h. t.

In supplicatione ad impetranda Rescripta, sincera adesse debet facti expositio; signanter ad impetrandum Rescriptum justitiae, dum de delegando judice agitur exprimenda est: conditio Personae contra quam Rescriptum petitur; tum Judex coram quo lis decurrebat; adjuncta causae; sententia in ea lata comunicanda, demum si in eadem causa jam ante hac impetratum est rescriptum id quoque attingendum erit. Quae forma autem in Apostolis transmissionalibus ad Curiam Romanam, per respectivum judicem observari debeat, alibi exponetur. —In petendis Rescriptis gratiae attendendum, ne firmo alterius juri praejudicium inferri attentetur; gratiae enim non secus *quam salvo jure tertii* concedi possunt. Pro gratia Privilegii vel Dispensationis, Canonica motiva adducenda veniunt.

Quoad *executionem* Rescriptorum ad lites, Bonifacius VIII decrevit: „ut nullis nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causae auctoritate litterarum sedis Apostolicae, vel Legatorum ejusdem de caetero comittantur, nec audiantur alibi quam in Civitatibus vel locis insignibus, ubi possit comode copia peritorum haberi" [1]). Interim cum cognitio, decisio, ac executio causae jurisdictionem importet; hujus generis Rescriptorum in effectum deductio, ad Episcopos velut indubitata jurisdictione externa praeditos, et ad hanc exercendam mediis congruis instructos dirigi consvevit. Praelati Regulares, jurisdictionem externam exercentes, capaces sunt exequendorum utriusque speciei Rescriptorum. Rescripta in casibus occultis ad forum internum portinentia comitti solent approbatis et peritis confessariis. Dum executio Rescripti Episcopo, Dignitati, vel Personatui committitur; eotum transit etiam ad successores in dignitate Ecclesiastica; exceptio est quoad Episcopum: cum enim

[1]) C. 11. h. t. in 6°.

executio Rescripti e speciali delegatione profluat, et non ex Jurisdictione ordinaria; Episcopo ante executionem mortuo, executio non transit in Capitulum, aut Vicarium Capitularem in jurisdictione ordinaria succedentem; sed tunc vel successor Episcopus est exspectandus, vel novum Rescriptum postulandum. Dum sede vacante scribitur Capitulo ut vices gerenti Episcopi, et creatur Episcopus nondum executo Rescripto, illud exequi tenetur Episcopus [1]). — Si ad certam Personam nominetenus designatam executio dirigitur, aut clausula addita sit: *moderno* e. g. *Episcopo* N. cum obitu delegati, alterius delegatio petitur. Rescriptum re prius diligenter cognita, et vitio sub- vel obreptionis non subversante, intra dies 30ª a praesentatione computandos, executioni mandari debet, secus locus datur Gravamini ad Delegantem ponendo [2]). Rescripta *gratiae* conceduntur etiam ope Bullae vel Brevis, in forma *gratiosa*, seu *gratiae factae*, qua Pontifex impetrantem gratia dignum censet, et eam determinate confert; vel in forma *commissoria* seu *gratiae faciendae*, dum expositio impetrantis velut *gratiae fundamentum*, praevie ante executionem examinanda committitur. Executio in utraque forma semper gratuito fieri debet; in Dispensationibus autem sub poena excommunicationis latae sententiae, etiam a sponte oblatis muneribus exequens abstinere jubetur; cui poenae obnoxium esse pariter illum, qui ad Recursum Romam pro Dispensatione formandum muneribus movetur, communis est opinio.

Jam e praemissis patet, Rescripta illa quae vitio laborant, effectui dari non posse. *Vitium* est aliud *internum*, seu meritum, — aliud *externum*, seu formam afficiens. Vitiosum est *quoad meritum* subreptitie vel obreptitie et cum damno tertii impetratum; *quia fraus et dolus patrocinari non debent;* — et *mendax*

---

1) C. 7. h. t. — 2) C. 27. de off. del.

precator, careat penitus impetratis [1]). Item si edatur contra jus commune, et consuetudinem legitimam, nisi his per ipsum Rescriptum *expresse* derogetur [2]). Porro, siquidem lites perpetuae non debeant esse; contra transactionem, aut deserta appellatione, contra sententiam impetratum; si contradictionem contineat [3]); si disponat Personas extra Dioecesim ultra unam Dietam [4]). Demum invigorosum est Rescriptum per *abusum* impetratum; uti si impetrans illud in alium ejusdem nominis transferat. Neque valent rescripta per quae incerti judices dantur, vel futura necdum existentia negotia committuntur [5]). — Vitiosum est Rescriptum *quoad formam*, ubi non praemittitur nomen Pontificis; quod destituitur dato temporis, quale quidem non numerice, sed vocibus exprimi solet. Si in titulaturis deficiat; Episcopi vocantur *Venerabiles Fratres;* caeteri cujuscumque Dignitatis Clerici et Laici: *Dilecte Fili*, illustrioribus Matrimonio junctis additur *Vir;* solutis vero *Juvenis.* Debet carere omni litura, rasura, et cancellatione, praesertim in loco meritum et essentiam tangente, aut si aperte conficiatur. Stylus sit purus et a barbarismis liber [6]). Denique in Rescripto justitiae ubi necessum est, filum canabinum; in Rescripto gratiae filum sericeum rubrum adhibetur.

§. 6. De Consvetudine.

Praeter jus scriptum, existit etiam jus non scriptum, *Consvetudine* inductum; quod posterius apud omnes pene Nationes, semper pari cum jure scripto pollebat auctoritate. Praetermissis aliis, veteres Romani *Mores majorum*, — per quos receptae consvetu-

---

1) C. 15 et 20. h. t. — 2) C. 15. de off. del. — 3) ibidem C. 13. — 4) C. 11. h. t. in 6º — Dietam legalem faciunt 20 Milliaria legalia; Milliare legale seu Italicum e Mille passibus, passus autem e 5 pedibus, pes e 16 digitis consistit. — 5) C. 10. h. t. — 6) C. 11. h. t.

dines intelligebantur, — in summa veneratione habebant. Non secus et in Patria nostra ante tempora Verbőcii, plures leges non scriptas quam scriptas fuisse, indubitatum est. In Ecclesia Catholica, forma legali inductam consvetudinem auctoritate legis pollere, caetera inter e Concilio Tridentino patet, quod consvetudinem instar legis habendam approbavit [1]; multis item locis ad consvetudinem provocat, eamque in salvo relinquit.

Jam supra dictum est, jus vel ab expressa Legislatoris declaratione procedere, et vocari jus scriptum; vel vero fundamentum habere in certa norma, voluntarie in certis circumstantiis semper observata, et jus non scriptum aut consvetudinem appellari; quae rite definitur: quod sit ex diuturna rerum a majori parte populi similiter gestarum orta, Legislatorisque consensu recepta lex. — Gratianus dividit Consvetudinem in *Universalem* et *Particularem;* prout nempe in tota Ecclesia per orbem dispersa invaluit, quorsum jejunium ante Paschale, obligatio recitandi horas canonicas, posthac legibus quoque synodalibus praecepta, refertur; — aut vero in Provincia aliqua, Dioecesi vel loco particulari inducta est. Consvetudo *Universalis* etiam contra positivam legem invalescens, induit naturam juris communis. Ita integrum est hodie interesse Divinis diebus Domini et Festis in quacumque Ecclesia, dummodo non sit Capella, seu Oratorium; quia contraria Consvetudine, in toto Christiano orbe recepta, derogatum est legi audiendi Missam *Parochialem.* — Consvetudo distinguitur a *Traditione;* nam haec, Traditio quippe, continet expressam et ore propagatam Legislatoris ordinationem; consvetudo autem usu et moribus frequentatis successive dumtaxat et per Personas a Legislatore distinctas inducitur.

[1]) Sess. 21. C. 2. de euchar. et C. 3. de quotid. dist. Sess. 25. C. 6. in fine de ref.

Ita traditione plerique Canones Apostolici, normam agendorum per Apostolos vivae vocis oraculo praescriptam continentes, conservabantur, sequioribus temporibus in scriptum conjecti. — Consvetudini communiter quatruplex vis tribuitur: a) Interpretativa, legem ambiguam declarans, quae etiam dicitur *Consvetudo secundum legem;* et de hac valet illa juris scripti enunciatio: „*Consvetudo est optima legum interpres*" [1]); ideo in dubiis quae ex legibus proficiscuntur, consvetudo est lex. b) *Imitativa* aut *introductiva*, defectum legis supplens; et haec vocatur *consvetudo praeter legem.* c) *Correctiva*, legem emendans. Demum d) *Derogatoria*, *vel abrogatoria*, legem scriptam tollens; et haec nominatur *consvetudo contra legem*, vel *consvetudo juris*, in oppositione ad tres priores, quae *consvetudo facti* audiunt.

Consvetudinis requisita alia sunt *externa; interna* alia. Ad *externa* pertinent actus liberi, publici, opinione legis, vel necessitatis, et obligationis a majori parte gesti; nam actus non operatur ultra intentionem agentium; hinc actus *merae facultatis*, uti pia consvetudo quotidie audiendi Missae Sacrificium aut erogandi omni die alicui Instituto eleemosynam, non inducit consvetudinem legalem et obligativam. Actus praeterea uniformes, frequentati, et diuturniore tempore exerciti. Quantumnam temporis ad consvetudinis vigorem requiratur, id determinatum non est; eo interim majus robur, quo longior usus; firmissima autem consvetudo est: *immemoriali tempore* continuata. Benedictus PP. XIV. illorum sententiae adstipulatur, qui ad legem abrogandam, decem annorum consuetudinem sufficere adstruunt [2]). Praeterea requiritur *consensus Legislatoris.* Consensus tamen hic non debet esse *Personalis*, quo Legislator actus populi immediate, aut tacite — habita quippe positiva scientia

[1]) C. 8. de consv. — [2]) de Syn. Dioec. l. 13 C. 5. N. 4.

non contradicendo — approbat; sed sufficit *consensus legalis seu juridicus*, idest in canonibus expressus, omnes requisitis legalibus instructas Consvetudines approbans, et legem abrogandi vires eisdem tribuens. — Requisita *interna* consvetudinis sunt: ut juris regulam contineat, seu normam negotiis decidendis aptam, juxta quam Judex in occurrentibus casibus judicare teneatur. Sit rationabilis, seu juri naturali et Divino haud adversa [1]; aut in contemptum Legislatoris invecta. „Nemo sanae mentis iutelligit, naturali aut Divinae legi, — cujus transgressio periculum salutis inducit — *quacumque consuetudine*, quae dicenda est verius hac in parte corruptela, posse aliquatenus derogari" [2]. Ea proinde quae in canonibus jure naturali vel Divino praecepta aut prohibita habentur, nulla consvetudine mutari possunt. Hinc Consvetudo contra fidem aut mores, vel Sacramentorum administrationem sustineri non potest [3]. Sed nec Consvetudo connivens peccato [4]; vel quae disrumpit nervum disciplinae ecclesiasticae, aut quae causat damna Ecclesiis, locum habet [5]. „Nec sub obtentu cujusquam consvetudinis reatum suum quis tueatur; quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget" [6]. Huc pertinet quod Conc. Tridentinum Sess. 22. C. 1. de vita et honestate clericorum, — quoad luxum, commessationes, choreas, aleas, lusum, et quorumcunque criminum, ac saecularium negotiorum fugam statuit, decernendo, ut lati hac in parte canones observentur: „non obstantibus consvetudinibus quibuscumque." Denique requiritur, ne cum ratione, aut veritate collidat, vel ridicula sit, aut in damnum aliorum tendens; alioquin consuetudo legis vim habet, internis proinde requisitis legis praedita sit, est necesse.

---

[1]) Dist. 8. C. 6. 7. 8. — [2]) C. 11. de consv. — [3]) C. 4 et 5. h. t. — [4]) C. 10. h. t. — [5]) C. 5. h. t. in 6[o]. — [6]) C. 8. de Simon.

Certa Consvetudo probatione non indiget; incerta debet per illum probari, qui eam pro se allegat, sufficit tamen si positiva requisita consvetudinis demonstret; residua ad exceptiones, per opponentem probandas, pertinent. Consvetudo sicut eundem quem lex effectum habet, ita per easdem etiam causas tollitur. At Consvetudines sine peccato, sine damno tertii inductas, servandas esse, omnia jura clamant; quia ut S. Augustinus ait: „Mutatio consvetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat" [1]). Contraria consvetudo, aut lex posterior, derogat consvetudini; particulares ad certum territorium restrictae consvetudines, tolluntur per legem particularem Potestatis illius ad quam territorium pertinet. Neque per clausulam: „*non obstante contraria consvetudine,*" legitime introductae consvetudini derogatur; cui unice clausula: *non obstante quacunque consvetudine contraria etiam immemoriali*, derogare potest.

§. 7. De Interpretatione Legis.

Nonnunquam lex propter stylum contortum, vitiosam brevitatem, vocabula obsoleta, nova, peregrina, ambigua, aut propter res minus notas, obscura est; — obscurae idmodi vel ambiguae legis verus sensus eruitur et determinatur ope Interpretationis. Systema regularum juxta quas interpretatio fit, *hermeneutica legum* audit. Interpretatio *ratione subjecti* a quo proficiscitur, est triplex: *Authentica; Usualis; et Doctrinalis.* Si „unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat" [2]) seu a *Legislatore*, tunc Authentica; ex *usu et consvetudine* deducta, usualis; demum e *sententiis et sensu Doctorum aut Judicum* proveniens, doctrinalis dicitur. Cum Interpretatio authentica et usualis suo sensu vicem legis subeat; hic unice de interpretatione

---

[1]) Ep. 54. ad Januar. — [2]) C. 31. de Sent. excom.

doctrinali sermo erit. — Respectu rationum, e quibus sensus legis eruitur, interpretatio abit in *grammaticam seu philologicam*, et *logicam seu philosophicam;* prior desumitur ex verbis, posterior ex ratione legis; qualis est: scopus Legislatoris, occasio ferendae legis, aut ex fundamentalibus legibus derivata.

In doctrinali interpretatione ad eruendum sensum sequentes regulae sunt tenendae: 1° Ante omnia Grammatica interpretatione est utendum, et usus loquendi temporis illius quo lex lata fuit consulendus. Ad id quoque tamen advertendum, quod recepta in jure verborum significatio, interdum a vulgari differat. Ita nomine concubinatus jure Romano — Justiniani novell. — veniebat conjugium, sine dotalium tabularum solemnitate initum, aut Matrimonium disparagium; atque hoc sensu concubinatus etiam in collectione Gratiani occurrit[1]; sensu vulgari tamen, subin in legibus quoque adoptato, aliud significat [2]). — 2° Si facta hac interpretatione, lex adhuc obscura manet, — dum quippe verba legis vel absonum sensum, aut diversas sententias praebent, tunc locum habet interpretatio logica, et ad intentionem Legislatoris, scopum et ocasionem legis confugiendum. Sententia tamen praeferenda quae est *aptior*, seu quae principiis stabilitis et substratae materiae magis convenit, neque legalem sanctionem evertat; quae nemini injuria est, nam leges ad jura tuenda feruntur; demum benignior et aequior: quia in humanitate juris perfectio sita est. Et tunc dumtaxat, seu in dubiis casibus habet locum illud: *„potior aequitatis quam stricti juris ratio est habenda.“* Nam lege clara existente, etiamsi haec durior videatur, illi standum est: siquidem non de lege, sed secundum legem potestas judicandi competit. Illa paroemia: in dubiis vel obscuris contra

[1]) E. g. Dist. 34. C. 4 et 5. — [2]) Conc. Trid. Sess. 24. C. 8. de ref. mat. et Sess. 25. c. 14 de ref.

Testatorem interpretatio est facienda; — unice Testamentis applicatur. 3° Interpretatio logica occupatur etiam claris legibus; cum enim pro cunctis ocurrentibus casibus norma specialis existere non possit; saepe opus est *legem extendere* et ad analogiam confugere; juxta illud: „ubi eadem ratio, ibi eadem dispositio legis.“ Excipiuntur casus: dum interpretatio diserte vetatur; ita S. Franciscus Seraph. legem paupertatis fundati per se ordinis Fratribus praescriptam, ad litteram sumendam disposuit, et quoad proprietatem individualem, omnem interpretationem exclusit. — Privilegia aliaeque a lege exceptiones excludunt extensionem, et sunt strictae interpretationis. Huc pertinent etiam leges vindicativae ob delictum, quae interpretationem extensivam pariter non patiuntur; imo vero his applicatur regula illa: „favores ampliandi et odia restringenda.“ Praeter interpretationem extensivam, datur etiam *restrictiva*, dum legis ratio singularibus casibus propter individuales et extraordinarias proprietates certi subjecti, non convenit; aut si ad evitandum absurdum, quod ex legis applicatione sequeretur, restrictio fieri debeat. Interpretatio doctrinalis vi legis quidem destituitur, et quamvis ne arbitrio campus aperiatur, caute, ac necessitate dumtaxat exposcente eadem utendum sit, licita tamen est, nisi nefors Legislator in casu specifico omnem interpretationem diserte vetuerit; prout id Pius IV. edita Bulla: „Benedictus Deus“ [1]) fecit, *omne interpretationis genus* super Concilii Decretis inhibendo. Fusius de hac re Coment. Fagnani t. 2. in l. 2. Decret. pag. 19 et seqq.

Ab Interpretatione legis *Epikeia* differt; qua declaratur casum aliquem particularem, ob speciales circumstantias, sub lege aliqua onerosa ex ipsius legislatoris mente non esse comprehensum [2]). Huc refertur C. 11 de transactionibus disponens: *In his super qui-*

[1]) Ad calcem Concilii Tridentini. — [2]) Stapf theol. Mor. t. 1. p. 152.

bus non invenitur jus expressum procedas aequitate servata, semper in humaniorem partem declinando, secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare." Cui contraria est extrema rigiditas, spiritui evangelii adversa, atque pariter ut laxitas, multorum origo malorum. „Noli justitiae rigidae et inflexibili, neque prudentiae versatili addictus esse. Optima est in omnibus moderatio." Monet S. Gregorius Nazian.

Nota. Codex Civilis ad Hungariam a 1ª Maji 1853 extensus, §. 6° in adplicatione alium sensum legi tribuere vetat, quam e significatione vocum et sententiarum, et e clara intentione Legislatoris promanentem. Si juris casus nec ex verbis, nec e naturali sensu legis determinari potest, eotum ad analogos legibus comprehensos casus, aut ad analogarum legum principia respectus haberi debet. Remanente porro dubio, omnes circumstantiae mature expendendae, et casus juxta juris naturae principia decidendus disponitur. Potestas legem obligative declarandi, unice Legislatori tribuitur, et declaratio idmodi normam pro futuro praebet; nisi Legislator addat, eandem ad decidendos ejusmodi juris casus, qui actiones Declarationem praecedentes pro objecto habent, trahendam non esse.

§. 8. De Dispensatione a Lege.

Quantacunque in lege ferenda adhibeatur circumspectio, et providentia; humana tamen lex eum perfectionis gradum neutiquam attingit, ut ad omnes occurrentes casus irremissibiliter applicari possit. Dum in casu aliquo ea concurrunt adjuncta, ut observantia legis in obversum intentionis Legislatoris detrimentum, non vero utilitatem adferre minetur;

eotum in particulari idmodi casu vigor legis suspenditur. Interim adjunctorum talium concursum, legitima potestas, legum ferendarum auctoritate instructa dijudicat, seu in speciali casu, aut pro tempore determinato ab observantia legis dispensat. Est autem *Dispensatio* provida legis per legitimam potestatem in singulari casu relaxatio, manente de caetero ipsius quoad alios vigore. — Dicitur Dispensatio esse *provida* legis relaxatio; cum enim ea sit mortalium conditio, quod homines oblata opportuna occasione, passim semet legum imperio subducere conentur; per legis particularem relaxationem illicium excitatur, emergentibus adjunctis obsequium legis subterfugiendi. Unde periculosum semper existimabatur ab instituto legum recedere et praevaricationi ansam praebere; atque hoc sensu per Dispensationem legi vulnus infligi dicitur. Praeterea id quoque evictum est, fundamentum publicae et privatorum felicitatis legum exacta observantia niti; *plurimi a legibus recessus, maximum corruptionis criterium.* Veteres — ut monumenta historica testantur — tenacissimi canonum custodes, primis tribus saeculis impetrandae et impertiendae Dispensationis vix aliquam causam praebuerunt. Periculum illud, quod crebrae Dispensationes post se trahunt, exprimit Conc. Tridentinum Sess. 25. c. 18. de ref. dum inquit: „quod frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud sit, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire." Sive itaque rei naturam, sive veterum exempla, sive demum S. Leges expendamus, clarum est, dispensationem non arbitrarie, seu absque speciali necessitate, sed *provide* fieri debere. — Conceditur autem in casu singulari, aut vero pro tempore, donec quippe adjuncta, quae dispensationem dandam svaserunt, perseverant. Perpetua a lege Dispensatio, conceptui legalis Dispensationis adversatur. — Porro Dispensatio

fieri debet per legitimam potestatem; seu per ipsum Legislatorem, aut ejus in jurisdictione successorem. Inferior in lege Superioris dispensare nequit, nisi auctoritate legis, vel Legislatoris ad id activisatus. „Nam per quam causam quid nascitur, per eandem etiam dissolvitur.“ Hinc in jure communi dispensationem concedit unice Pontifex [1]; aut Episcopus in sua Dioecesi in casibus per legem expresse determinatis; e. g. quoad ternas Matrimonio praemittendas Promulgationes [2]; intuitu irregularitatis ex delicto occulto provenientis [3]; et in casibus his, prout et in Dioecesanis, aut Synodi Dioecesanae Statutis *jure ordinario* dispensare dicitur. Constitutiones Synodi Provincialis, Synodus Provincialis aut Metropolita relaxat. Legislator, vel ad dispensandum activisatus, ocurrente necessitatis casu seipsum dispensat; quia Dispensatio est actus jurisdictionis Voluntariae, distinctionem personarum non requirens; uti id patet in objecto Indulgentiarum, quas etiam concedens lucratur, ne secus ejusdem conditio deterior quam caeterorum evadat. Interim autem semper consultius est in propria causa expetere prudentis confessarii judicium. — Citra positivam legitimae potestatis veniam, a legis observantia semet subducere, significat Claves Ecclesiae contemnere; excepto casu, dum periculo in mora existente, superior oportune adiri non potest. Ita in casu infirmitatis, aeger die vetita licite utitur eduliis carnalibus. Quodsi tamen infirmitas diutius duret, ob Legislatoris et legis reverentiam, pro impetranda a lege Abstinentiae dispensatione recurrere tenetur.

Relaxatio legis, ubi agitur de casu futuro, est in sensu stricto *Dispensatio;* secus si praeteritum casum concernat, *Absolutio* dicitur; quae dum relaxationem poenae externae pro objecto habet, *agratiatio* aut *abolitio poenae* vocatur. Objectum Dispensationis est unice lex ecclesiastica; in legibus naturalibus et moralibus mutationi haud obnoxiis prout et in lege positiva Divina, dispensationi locus non est. Sed quoad positivam Divinam legem certo sensu locum habet absolutio, per quam declaratur, positum quempiam actum, emergentibus specialibus circumstantiis, sub dispositionem legis non cadere. Ita aliquis a *Voto simplici* absolvitur, non dispensatur. Dispensatio alia est *Papalis* alia *Episcopalis* prout nempe per Pontificem, aut Episcopum conceditur; quae si in impedimento publico, et ad effectum externum datur, *Dispensatio pro foro externo;* in impedimento vero occulto concessa, *Dispensatio pro foro interno, seu conscientiae* audit. Pontifex, Dispensationes pro foro externo medio *Datariae,* pro foro interno medio *Poenitentiariae* — de quibus uberiora in Materia de Congregationibus et Tribunalibus Cardinalium, reperiuntur — elargitur.

Normam in concedendis Dispensationibus tenendam praescribit Conc. Trid. in hunc modum: „Si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque ad quos Dispensatio pertinebit, erit praestandum; aliterque facta Dispensatio subreptitia censeatur“ [1]. Ut itaque Dispensatio per legitimam potestatem licite concedi valeat, requiritur *justa causa,* quia secus superior abutitur potestate sibi tributa, et praebet ansam laxandis legibus, aut subsumitur acceptationis personarum: quasi unum absque causa a lege eximeret, alios autem premeret. Distinguuntur vero *causae moventes seu inductivae* ob quas videlicet dispensatio concedi potest; et *impulsivae seu secundariae,* quae ad facilius impetrandam dispensationem moventibus causis subnectuntur. — Dispensationis

---

[1]) C. 16. de Major. et obed. — [2]) Conc. Trid. Sess. 24. C. 1. de ref. matr. — [3]) ibid. C. 6. de ref.

[1]) Sess. 25. C. 18. de ref.

concedendae ratio specialiter semet referat vel ad *bonum commune*, aut ad *bonum supplicantis*; si quippe per denegatam dispensationem gravius malum oriretur, salus animae periculo exponeretur; pacis domesticae turbandae metus adesset, aut vero in violento et multum patiente situ cuipiam ultro manendum foret. In genere numerantur causae: *necessitas*; *pietas*; *utilitas*; *gratitudo* ob merita in Ecclesiam aut statum publicum, et *misericordia*, si quis inconsideranter vovit, aut difficulter servat, quod promisit. Dispensationes sine justa causa concessas, Canones, non secus ac viri a sanctitate et studio servandarum legum conspicui semper perstringebant. Signanter S. Bernardus Doctor, scribens ad Eugenium Papam ait: „Ubi necessitas urget excusabilis; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est“ [1]). Interim *supplicans* quoque persvasus sit in *conscientia*, de justitia adductorum ad impetrandam dispensationem motivorum; si enim convictione idmodi destituatur, aut causas dumtaxat praetextuet, ad casum etiam concessae per legitimum superiorem dispensationis, Deo et conscientiae suae responsabilis manet; seu dispensatio per *obreptionem* vel *subreptionem* impetrata, pro foro quidem externo ut dicitur *foro fori*, non aeque tamen pro *foro poli* valida est. Alioquin cum in Rescriptis, — ut supra dictum est — conditio illa: si preces veritate nituntur, — semper pro expressa habeatur; detecta irrealitate expositionis, concessa Dispensatio etiam pro foro externo valore destituitur, et ab ejus executione praescindi debet. — Secunda conditio licitae dispensationis est; ut *causa cognita ac summa maturitate* concedatur, ne quippe per dispensationem a lege, sive in communitatem, sive in sin-

---

1) L. 2. consid.

gulares personas plus detrimenti, quam emolumenti redundet, aut plane occasio scandali praebeatur. Signanter in Communitate, in qua ad memoriam hominum Dispensatio nec petita, nec concessa fuit, ab hac concedenda, etiam scopo avertendi mali exempli, neve alii ad petendam a lege dispensationem audaciores reddantur — in quantum fieri potest, abstinendum veniet. Demum per occurrentem in praecitato Decreto vocem *gratis*, intelligitur Dispensantis Superioris propria utilitas; quae ad evitandam avaritiae maculam, et libertatem animi in occurrentibus casibus eo firmius servandam, abesse debet. Dispensationum via Datariae expediri solitarum taxae, ad perstringendas expeditionis impensas deserviunt, et id quod supernatat, piis Institutis misericordiae addictum habetur. Haec de Dispensatione in genere; in specie autem quoad Dispensationem in impedimentis Matrimonii, concernente loco exponitur.

§. 9. De Privilegio.

Per Privilegium intelligitur *stabilis exemptio* a jure communi, auctoritate Legislatoris, ob praeclara merita, aut peculiares circumstantias, concessa. Privilegium a Dispensatione essentialiter distingui prima fronte patet; Privilegium enim est permanens exemptio, cum tamen Dispensatio nisi ad casum specialem, aut determinatum tempus, aut interea donec causa movens datae Dispensationis subsistit, restringitur. Quia autem Privilegia vim, ac vigorem Canonum enervarent, — quos tamen Ecclesia exactissime ab omnibus observari vult; — Privilegium cum Dispensatione in eo convenit, quod sicut Dispensatio justam causam, ita Privilegium insignia merita, aut extraordinarias circumstantias pro fundamento habeat, neque arbitrarie concedi possit. Porro Dispensatio datur singularibus Personis, et erga substratam supplicatio-

nem; Privilegium autem etiam corpori morali et *motu proprio* citra supplicationem conceditur, ac nonnunquam sacrae rei inhaeret. Demum Privilegium dat positivum jus; e. g. Episcopo concessus Pallii Archi-Episcopolis usus; Dispensatio est negativa exemptio immunitatem tribuens. — Ex his jam deducuntur variae species Privilegiorum; sunt quippe Privilegia respectu Personarum: *Personalia* quae Personam concernunt, eique aliquod decus vel emolumentum adferunt; et *Realia,* quae proxime quidem rei, officio, aut statui adhaerent, remote tamen ad comodum personae referuntur. Privilegium Personale, quod cum Persona aliqua exstinguitur, *Personalissimum* audit; transiens vero ad successores, *communicabile* dicitur. *Moraliter* personale vocatur, personis moralibus, universitatibus, uti Capitulis, Civitatibus, Academiis collatum. Privilegium respectu modi acquirendi est: *Gratiosum,* pura liberalitate et gratia, in recognitionem egregiorum meritorum concessum; aliud *onerosum,* seu conditionibus onerosis sive pecuniariis, sive personalibus affectum. Item *affirmativum* alias *positivum,* quod jus ad actus exercendos; vel *negativum,* quod immunitatem a communi onere tribuit. Tum *Perpetuum,* aut *Temporaneum,* prout nempe ad dies vitae sive concedentis, sive impetrantis; aut ad certum numerum annorum est restrictum. Privilegium *obsoletum* dicitur quod nunquam usu roboratum exstitit. Divisio Privilegii *secundum — aut praeter legem* et *contra legem* in tantum locum habet, si non sit Privilegium contrarium Canoni Concilii oecumenici; tunc enim censetur subreptitium nisi in Privilegio expresse Canoni derogetur [1]; dein si recte rationi, Ecclesiae et status publici bono non adversetur; si item damnum, aut jus quaesitum tertii non involvat [2].

---

[1]) C. 3. de Capellis Monach. — [2]) C. 19. de test. et attest. C. 9. de Sepult.

Ad valorem Privilegii requiritur: ut sit concessum per Legislatorem; vel legitima Consvetudine inducatur [1]; ne aliorum justis juribus repugnet, unde clausula illa „*salvo jure tertii*“ tacite intelligitur; item cum Privilegium, — nisi consvetudine inducatur — aut exemptio publico documento, uti legum tabulis declaretur — scripto expediendum sit; Privilegiales omni vitio interno et externo careant, ac in iis extradendis, ea quae in Rescriptis quoad formam externam observentur. Innovatio Privilegii jus novum non inducit, sed vetus conservat [2]. Demum Privilegium promulgari et in usum deduci debet.

Privilegium *motu proprio* concessum vigorem nanciscitur a tempore acceptationis; nam Beneficium invito obtrudi non potest. Concessum autem erga supplicationem, a dato temporis emanati Privilegii vim habet. Privilegium determinato loco alligatum alibi exerceri nequit. Neque probari debet, si per ipsum concedentem, in publico aliquo instrumento, aut edito opere memoretur; e. g. Privilegium Pallii pro Episcopis Quinqueecclesiensibus in opere Benedicti PP. XIV. de Syn. Dioec. — Privilegia respectu concedentis sunt largissimae interpretationis [3]; respectu vero aliorum, eo quod exceptionem a Communi jure contineant, sunt stricte et ad litteram interpretanda, neque ultra tenorem, ad Personas alias, res et loca extendi possunt [4]. Nec in exemplum trahuntur; „quod enim alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum“ [5]) et in dubio praevalet jus commune. Si duo Privilegia concurrant et collidant, in iis dijudicandis ea quae de Rescriptis dicta sunt, observanda veniunt; nempe „Generi per speciem derogatur“ [6]; Anterius valet prae posteriori, nisi per posterius tollatur expresse anterius. Effectus

---

[1]) Can. 9. q. 3, c. 8; c. 13. de judic. et c. 3. de praescr. — [2]) C. 13. et 29. de privil. — [3]) C. 22. de privil. C. 16. et 22. de verb. sig. — [4]) Dist. 100. c. 8. — [5]) reg. 74. in 6°. — [6]) reg. 34. in 6°.

Privilegii relate ad Privilegiatum idem est qui legis; nam acquirenti tribuit jus, una cum potestate illud legitimis mediis tuendi; plane sententia judicis in obversum Privilegii lata, effectu caret [1]); unde sequitur, quod aliis necessitatem imponat acquirentem in juris sui exercitio non turbandi [2]); demum dirigitur ad casus futuros, neque vim retroactivam habet.

Cessat Privilegium 1° Per obitum acquirentis, si fuit *personalissimum.* Si vero concedens ad tempus vitae suae concessit, per mortem concedentis. In Privilegiis Pontificiis discrimen est num Privilegium clausula „ad beneplacitum nostrae voluntatis" aut vero „ad Apostolicae Sedis beneplacitum" sit affectum; nam in priore casu morte Pontificis ipso facto exstinguitur, in posteriore vero non. — Privilegia clericalia, quae respiciunt superioritatem, commodum et favorem Episcopi, vel Ecclesiae vel decorem ipsius Ordinis Clericalis, firma semper perseverant [3]). 2° Cessante officio, aut dum fuit reale, pereunte vel destructo objecto. 3° Onerosum conditione non impleta. 4° Temporaneum lapsu determinati temporis. 5° Renunciatione; „nam liberum est cuique suo juri renunciare" [4]), nisi renunciatio lege vetita sit, aut alteri praejudicium adferret. Ita *Privilegio Canonis non potest renunciari* [5]). Renunciatio est etiam tacita, seu non usus Privilegii adminus 10 annis. 6° Praescriptione contra acquirentem [6]); et quidem contra physicam personam anni 30; contra morale corpus 40, quod si sit ecclesiasticum anni 45. 7° Ob abusum et vitium personale tolli potest privilegium a Persona; eo quod „Privilegium amittere mereatur, qui permissa sibi abutitur potestate" [7]); id tamen secus fieri non potest, nisi praecedente comminatione revocationis, poena arbitraria, ac tandem si abusus ultro continuetur, per

[1]) C. 21. de Sent. et re judic. — [2]) C. 26. de privil. — [3]) Cong. Conc. Trid. 28. Aug. 1773. — [4]) C. 6. de privil. — [5]) C. 12. de foro com. — [6]) C. 6. et 15. de privil. — [7]) Can. 25. q. 2. et c. 11. de privil.

sententiam judicis; Privilegium enim est tantae firmitatis, sicut aliud quodcumque jus rite quaesitum. 8° Necessitate publica id exposcente, per revocationem, si clausula addatur: „non obstantibus privilegiis sub quacumque verborum forma conceptis", vel vero: „etiam si eorum mentio de verbo ad verbum fieri deberet". 9° Per contrariam legem, penes quam Privilegium stare non possit. Cujus rei praebet exemplum Concilium Tridentinum, in quo non tantum expresse, sed et tacite, lege quippe contraria, magna parte revocata sunt Privilegia Religiosorum Ordinum. Distinctim praeterea Pius PP. IV. „Mare Magnum" annullavit, et omnia Privilegia, exceptiones ac immunitates Regularium ad terminos Concilii Tridentini redegit. Per id tamen non sunt sublata Privilegia futura. Conc. Trid. Congr. 1ª Septem. 1715.

CAPUT II.

Notiones Generales de Jure Rerum et Dominii.

§. 10. Jus Rerum.

De *Jure Rerum et Jure Dominii* notiones ac principia, quae in Jure Romano occurrunt, velut in aliquibus defectu laborantia, Ecclesia Catholica perfecit, et Charitati proximi, ac spiritui legum Christi magis accomodavit. Inspecie autem Institutiones Canonicae, in Possessore rei et Domino, justum titulum et ad continuandum Dominium bonam fidem junctim requirunt; atque consequenter disponunt, ut si quis Dominio rei privaretur, spoliatus, etiamsi spolium prae manibus alterius ac spoliantis existeret, justitia id ipsum exigente, primum et ante omnia in integrum restituatur. Taliter ad perfectionem perductae de quaestionato objecto notiones, omnium cultarum nationum tabulas legum Civilium ingressae sunt; et in novissime inducto in Patria hac Codice Civili quoque

continentur. — Omne id, quod a Persona distingvitur, et usui hominum deservit, in sensu juris *Res* appellatur. In hoc conceptu etiam non corporeae proprietates, uti sunt Contractus, comprehenduntur. Hinc varia est *Rerum* divisio, et quidem 1° spectata earum proprietate abeunt in *res corporales* et *incorporales* prout tangi possunt vel non; et ad has posteriores jura et relationes juridicae referuntur. 2 Spectato usu, sunt *Juris Divini et Humani;* illae in sensu legum civilium cultui Divino mediate vel immediate dicatae sunt; hae autem humanis necessitatibus deserviunt. *Res juris Divini,* alias *Res spirituales* in sensu canonum dicuntur, quae proxime Religionem et Salutis media concernunt; *Res sacrae,* quae speciali consecratione, vel benedictione, usibus Ecclesiae praeparantur, quo pertinent: Altaria, Ecclesiae, Calices, et alia vasa, ac supellex sacra, caemeteria; — *Res Religiosae,* sine praevia consecratione, aut benedictione, augendae Gloriae Dei et fini Ecclesiae promovendo, addicuntur, huc spectant Domus Regularium Ordinum. *Res Piae,* in bonum patientis humanitatis institutae, uti sunt Orphanotrophia, Nosocomia, Xenodochia, quorum cura Ecclesiae pariter incumbit.[1]) Demum *Res Ecclesiasticae,* aut *bona ecclesiastica,* vel *peculium ecclesiae,* ad perstringendas Cultus Divini, aut Ministrorum Ecclesiae necessitates destinatae. De Divinis, Spiritualibus, Sacris, Religiosis, Piis, et Ecclesiasticis Rebus tam Canones, quam et Civiles leges, — quarum in corpore juris Hungarici a S. Stephano, S. Ladislao, Colomano, Ferdinando I. et II. aliisve, plurimae existunt, — decernunt eas extra commercium humanum positas esse, et quod semel quaqua ratione Deo, piis item et necessariis Ecclesiae finibus dicatum est, ad hujus Dominium ac proprietatem pertinere, neque a destinatione sua citra laesionem juris abstrahi posse.

[1]) Conc. Trid. Sess. 22. c. 8. et 9. de ref.

Porro 3° juxta recenter introductum Codicem Civilem, Res sunt: vel *Status,* vel *Bonum Privatum;* posterius isthoc concernit non tantum singulares, sed et *Morales Personas, Minores Societates* aut *integras Communitates.* — Eae Res, quae in usum Communem traduntur, uti viae commerciales, fluvii, portus, *Publicum bonum, Publica Res;* quae vero ad tegendas Status necessitates destinatae sunt, uti res monetaria, postae et alia regalia, bona camerae, tributum, *Status Possessio, Status Res* vocantur. Dividuntur autem *Res* generaliter: in *mobiles* et *immobiles,* prout nempe ab uno loco in alium, quin evertantur transferri possunt vel non. In se res mobiles, pro immobilibus sensu juridico habentur, si ex dispositione legis, aut destinatione Proprietarii, accessorium rei immobilis constituant. Gramen donec in radice stat, Arbor, fructus in Arbore; Domus, muro inclusae imagines; ea item quae pro continuo usu rei a natura immobilis destinata, et in hunc finem actu applicita sunt, uti hydria, aliaque accessoria putei, *immobilibus accensentur.* [1]) Molae navales, juxta emanatum die 29^{a} Maji 1824. Nr. 2011. Aul. Decretum, pertinent ad mobilia, *neque libris fundualibus* inseri possunt [2]). Demum sunt *Res fungibiles* et *non fungibiles;* prioribus accensentur quae usum non praestant, quin destruantur, consummantur; contrariae vero proprietatis non fungibiles audiunt.

Jus in Re; et Jus ad Rem.

Omne jus quod circa res versatur, aut sic dictum *Jus Reale,* est: *Jus in re* et *Jus ad rem.* — Jus in re est facultas homini competens in ipsa re fundata, sine respectu ad determinatam Personam; seu dum res ita ad meam proprietatem pertinet, ut apud quemcun-

[1]) Zweiter Theil des bürgerl. Gesetzbuches §. 285. etc. — [2]) ibidem appendix pag. 53.

que reperiatur, eam repetere et vindicare possim. Ita ad legitime obtentum Beneficium Canonice institutus, aut respectu Episcopatuum per Sedem Apostolicam confirmatus, habet *jus in re,* seu fit res ipsius propria, et eandem sibi quaqua ratione controversam, cum effectu vindicabit. Quodipsum de proprietate rerum Ecclesiae valet. — *Jus ad rem* est facultas homini competens, contra alicujus Personam, ut haec aliquid praestare, dare, vel omittere teneatur. Praesentatus ad Beneficium habet *jus ad rem,* in eo a priori distinctum, quod per jus ad rem, *sit res mea in spe;* per jus in rem, *sit res mea realiter* et effective, cujus plenum usum consequor, per actualem mihi factam traditionem.

§. 11. De Jure Dominii in Genere.

Dominium subjective sumptum est Jus in re, de ipsius substantia, usu, caeterisque consectariis pro arbitrio et cum exclusione alterius cujuscunque disponendi. — Dispositione Canonum, Proprietarius, non solum — prout id Jure Romano restrictum fuit — contra violentum turbatorem Dominii, verum et contra actualem malae fidei Possessorem procedere potest; [1]) et Spoliatus ante omnia in integrum restituendus venit; [2]) quod juri Romano pariter ignotum erat. Objectum Dominii sunt omnes res corporeae et incorporeae. Qui jure ad substantiam simul et ad usum seu jure utendi, fruendi et proprietatis gaudet, is *Dominium plenum* habere dicitur; dum haec inter duos vel plures divisa sunt, *Dominium minus plenum* audit, quod in emphyteusi obtinet, ubi nulla pars Dominium plenum habet. Praeterea est *Dominium directum,* ubi proprietas; et *Dominium utile* ubi usus fructus ad ali-

[1]) C. 18. de rest. Spoliat. — [2]) C. 4. de ord. Cognit. C. 1. de rest. Spoliat. in 6º.

quem pertinet; prior, seu is quem jus proprietatis concernit, vocatur *Dominus directus,* posterior vero *usufructuarius.* Esto autem Dominii pleni conceptus involvat jus re arbitrarie utendi vel non utendi, eandem deserendi, in alium transferendi; exercitium interim juris hujus in tota sua extensione in tantum dumtaxat locum habet, in quantum jus alterius non laeditur, aut bono communi non repugnat. — Demum *Dominium* dividitur in *eminens* et *vulgare.* Societatis quidem Civilis praecipuus scopus est securitas personarum et rerum; ac ad obtinendum hunc finem ipsa societas aut Imperans media suppeditare tenetur; potest interim in particulari evenire casus, quod aliquis exposcentibus extraordinariis adjunctis, juri suo in rem propter bonum publicum cedere debeat, non tamen ita ut eadem penitus privetur, sed *aequivalens* accipiat; atque istud est Jus Dominii eminens Imperanti Civili competens. Ratione hujus Codicis Civilis §. 365. statuitur: Dum publicum bonum exposcit, quod obligetur Patriae civis *erga commensuratam indemnisationem,* etiam Dominio pleno in rem aliquam renunciare. *Dominium vulgare* dicitur quod quisque privatus ad suas res habet.

In Ecclesia Catholica, pro parte particularium Ecclesiarum legitimis modis aquisitarum rerum Proprietas, *Dominium directum* juxta constitutionem Ecclesiae ad universam Ecclesiam, cura et inspectio ductu copiosarum Canonicarum legum ad Episcopos; [1]) ususfructus e peculiari offerentium, Donantium, Acquirentium Intentione, ac expressa Dispositione ad particulares Ecclesias et Beneficiatos pertinet; neque jus Ecclesiae et Beneficiatorum debilius ac infirmius est, quam aliorum quorumcunque singillative sumptorum Civium. Imo si jus Dominii et Proprietatis in genere Sanctum est, spectato Ecclesiasticorum Bonorum scopo;

[1]) e. g. Can. 12. q. 1.

et in quantum haec ex oblatis proveniunt, attento offerentium ut eadem perpetuo in emolumentum Ecclesiae impendantur, ardentissimo desiderio, — juris Dominii Ecclesiae qualiscumque attrectatio, speciem sacrilegii continet. — Caeterum de modis acquirendi res ecclesiasticas, de indole earum, conditionibus particularis abalienationis, alibi uberius in specifico proponitur.

CAPUT III.

Autonomia Ecclesiae.

§. 12. Ecclesia externa.

Sicut inter animam et corpus intimum intercedit commercium; ita inter Divinam Jesu Christi Religionem et per Eum fundatam Ecclesiam, intima existit communio adeo, ut Religio Christi absque Ecclesia, et vicissim Ecclesia absque Religione Christi cogitari non possit; utraque, Religio nempe et Ecclesia consistit in indissolubili adinvicem nexu. Nam Religio in sua puritate nisi in Ecclesia et per Ecclesiam conservari ac propagari potest. — Christum Dominum Ecclesiae Statorem esse, nemini unquam dubitare incidit; quod autem Ecclesia, etiam Visibilis sit, plurimis argumentis evincitur. Ipse quippe Fundator Ecclesiae, coadunationem credentium diserte Ecclesiam vocat: „Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo *Ecclesiam* meam“ [1]). Quod nomen ubicumque in S. Scriptura occurrit, semper externam congregationem denotat. Tum ad externam hanc societatem jussit Divinus Magister socios ritu externo per Baptismum assumi. Ecclesiam comparat rebus in sensus incidentibus, uti sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti, grano sinapis, agro, in quo inimicus homo

[1]) Matth. 16. 18.

zizania seminavit, tempore messis segreganda; quae similitudines in sensus incurrentes, non ad invisibilem, sed ad *visibilem Ecclesiam* pertinent. Quid autem ultro hanc in rem certius adduci potest, quam quod Apostolos alloquens Christus dicit: „Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.“ Item „Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.“ Hic quippe Apostolis *potestatem externam* tribuit, caeteris obsequium et subjectionem injungit, ea sanctione addita: ut qui Ecclesiae, seu Petro et caeteris Apostolis obsequium denegaret, sit velut ethnicus et publicanus, idest sit extorris; nam cum ethnicis et publicanis Judaei non communicabant: erat enim opinione illorum utraque haec hominum classis abjectissima. Jam autem correlatio imperantium et obsequentium, nisi in Ecclesia Visibili qua societate externa locum habere potest. — Interim de *visibilitate*, tum *de Notis* verae Jesu Christi Ecclesiae, quas jam Oecumenicum Concilium Constantinapolitanum anno 368. celebratum [1]), in Symbolo fidei his verbis recensuit: „*Credo unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam*“ quaeve in *Symbolo Apostolorum* pariter continentur, et nisi Ecclesiae Romano-Catholicae per universum orbem diffusae applicari possunt; — demum de *Dotibus indeffectibilitatis in existendo; et infallibilitatis in docendo,* per Divinum Fundatorem Ecclesiae tributis, theologia Dogmatica systematice pertractat; ea caeteroquin scitu summe necessaria, Catholicis magis nota sunt, quam ut hic per apices attingi debeant. Praeter dotes tamen has, instruxit Christus Ecclesiam etiam *auctoritate in regendo*, seu ut mox dictum est, constituit in illa alios qui *imperent*, alios qui *obtemperent*, atque universis praestituit determinatum scopum, qui est: *Dilatatio Gloriae Dei, et sanctificatio omnium hominum;* aut communi usu loquendi: Gloria Dei et salus animarum.

[1]) Concilii Tridentini editio Patavina 1758.

Ad quem scopum consequendum media quoque ordinavit, quorum alia ad Religionis et Ecclesiae essentiam seu Dogmata; alia ad *Disciplinam* pertinent; et haec posteriora, conservandae in fide et moribus unitatis; observendae in exercitio officii ecclesiastici uniformitatis; demum facilioris in munere spirituali successus obtinendi causa, constituta habentur. Fundantur autem leges ad *Disciplinam* spectantes partim in S. Scriptura et Apostolica Traditione, partim in Decretis Conciliorum Generalium, partim in Universali Consvetudine et usu [1]). Spectato proinde legum Disciplinarium fonte, eoque praeterea in considerationem sumpto, quod eaedem cum fide et moribus intimo nexu junctae sint, ac ad statum hominis religiosum efficaciter promovendum, jam mediate, jam immediate egregie influant; sicut easdem condendi jus ad essentiam Potestatis Ecclesiasticae pertinet; ita semel constitutae, ac usu roboratae, sine gravissima causa, et cumprimis absque Potestatis Ecclesiasticae influxu, citra laesionem libertatis conscientiae alterari nequeunt; earumque sive alteratio, sive vero ad novas ferendas cum praejudicio Potestatis Ecclesiasticae convolatio, ut praeterita et novissima perhibent tempora, tristes, Statui etiam publico noxias producit sequelas.

§. 13. Ecclesia ab aliis Societatibus distingvitur.

Societas in genere est, duorum vel plurium, aut multorum ad praestitutum scopum coalitio. Idmodi Societas est: Conjugalis, Parentalis, Herilis, quae vix unius familiae numerum excedit; — Civilis Societas exsurgit e magno numero familiarum, ideo etiam *Societas magna* nuncupatur. Quaevis Societas aut est *aequalis,* in qua nullus Sociorum prae aliis praerogativa quapiam gaudet; aut *inaequalis,* ubi Sociorum aliqui, juribus et obligationibus specialibus instructi sunt. Alia est *perfecta,* alia *imperfecta;* prout nempe ad scopum obtinendum congruis sufficientibus mediis provisa est vel non. Media idmodi sunt: Potestas leges ferendi, et huic correlata obligatio latis legibus actiones suas conformandi, ita quidem ut una jus perfectum competat, de eo: num Societatis membrorum actiones legibus conveniant, judicandi; et legum transgressores statuta poena afficiendi. Seu Societas perfecta major, debet gaudere Potestate legislativa, judiciaria et executiva. — Ecclesia Christiana ex ipsa institutione Divina, *Societas inaequalis,* in qua videlicet Sociorum aliqui plura prae aliis jura et copiosiores obligationes habent; dein *Societas perfecta* velut cunctis ad obtinendum scopum mediis provisa, ab aliis magnis Societatibus differt *Origine;* cum enim aliae magnae Societates mediate a Deo existentiam habeant; Ecclesia Originem ducit immediate ex positiva institutione et lege Divina. Differt *scopo;* nam finis aliarum societatum est naturalis, — Civilis quippe potestas curat temporalem hominum felicitatem; Ecclesiae vero est *supernaturalis* seu haec praeest rebus Divinis et Sacris, hominesque ad aeternam beatitudinem ducit; adeoque scopus ejus est scopo Civitatis eminentior, nec eidem subordinatus, quemve etiam sub persecutionibus et oppressione assequitur. Tum societas Ecclesiae est *perpetua,* aliae autem societates omnes sunt temporaneae et fluxae. Ecclesia porro est *una,* prout Christus qui eam fundavit est unus, et ipsius Revelatio et Redemptio una dumtaxat; magnae Societates sunt multae. Ecclesia complectitur omnes Gentes, omnes homines qua aliquod integrum — „Euntes docete omnes Gentes“ — Status vero aliquam dumtaxat jam majorem jam minorem partem hominum. Ecclesia ad praefixum sibi scopum consequendum, habet media spiritualia; Civitas utitur mediis externis

---

[1]) Dist. 12. c. 11.

sensitivis, sive sunt illa positiva, sive negativa. Unicum Ecclesiae et Statui commune est, illud *Sociale;* quia etiam Ecclesia ut destinationi suae satisfaciat, et regnum Dei inter homines implantet, est externae Sociali formae alligata, et rerum externarum usum capiens. Quamvis autem Societas Ecclesiae et Societas Civilis origine, scopo, extensione, et mediis differant; non constituuntur tamen adinvicem in directione opposita, sed arcto foedere junctae progrediuntur, et ad temporalem etiam felicitatem promovendam — quae plurimum in morali perfectione, atque animi contentu consistit — mutuo semet adjuvant. Ecclesia format et jugiter perficit hominem internum religioso-moralem; Civitas proxime externo hominis bono occupatur. Interim lex cujuscumque objecti, si adpraestandum eidem obsequium, socii unice metu poenae externae moventur, scopum societatis non multum promovet; quia apud eos qui pure poenis externis reguntur, semper has effugiendi spes, et hoc ipso ad legem negligendam illicium adest. Lex proinde efficaciam suam mutuare debet ab interno homine et ejus voluntate; voluntas vero hominis perfecta est, quae ad bonum alacrius promovendum et injuriam declinandam, non vi et metu, aut jure fortioris; verum religione, ac in Divinam justitiam fide movetur. „Oderunt peccare Boni virtutis amore. Oderunt peccare Mali metu formidine poenae." Unde organismus Status non progredietur prospero cum successu sine moralitate; vera moralitas reale pretium sine religione et fide non habet, et hac dumtaxat via, via nempe Religionis in vitam populi derivatur; Religiositas autem quae universalis sit, et populum pervadat, nisi cum et in Ecclesia subsistere potest. — Et ideo cum Civitas et Ecclesia tam utili adinvicem foedere jungantur; status Publici prosperitas exposcit: ut Potestas Civilis Ecclesiae autonomiam omnimode tueatur, et si quae in exercitio Potestatis Sacrae impedimenta

ocurrunt, aut ejus effectum morantur, eadem efficaciter removeat. „Potestates, — inquit S. Isidorus — necessariae non essent, nisi ut quod non praevalet Sacerdos efficere per doctrinae sermonem, Potestas hoc impleat per disciplinae terrorem. Saepe per regnum terrenum coeleste regnum proficit; ut qui intra Ecclesiam positi, contra fidem et disciplinam Ecclesiae agunt, rigore Principum conterantur: ipsamque disciplinam quam Ecclesiae humilitas exercere non praevalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat".[1]) Et Concilium Tridentinum in fine monet Principes, „ad operam suam ita praestandam, ut quae decreta sunt, ab haereticis depravari, aut violari non permittant, sed ab his et omnibus devote recipiantur et fideliter observentur" [2]).

§. 14. Potestas Ecclesiastica et Ejus Subjectum.

Potestas in genere est: qualitas ex parte una, et destinatio ex parte alia ad obtinendum determinatum Scopum alteri voluntatem suam subordinandi. — Prout correlationes humanae sunt multiplices, ita et potestas est multiplex; harum aliae sunt *minores,* uti Potestas Parentalis, Herilis; aliae *sublimiores,* et hae binae dumtaxat existunt, nempe *Potestas Ecclesiastica,* vel *Imperium Sacrum;* et *Potestas Civilis* vel *Imperium Civile.* De Potestate Civili, Religio Christi in utroque fonte, Sacra quippe Scriptura et Traditione docet una et praecipit: Principibus, velut ministris justitiae, qui gladium portant ad vindictam malorum, et tutelam bonorum, in iis quae statum publicae rei concernunt, obediendum, et quae sunt Caesaris Caesari reddenda esse. Dum vero in obversum datae sibi de super Potestatis Princeps agit, talem judicio Dei reservat. Doctrinam hanc etiam respectu Gentilium Principum jam

---

[1]) Can. 23. q. 5. c. 20. — [2]) Conc. Trid. in fine Sess. 25ae.

apud primos Christianos in usum deductam fuisse, tradit S. Justinus M. „Unicum, inquit ille — adoramus Deum, vobis vero — Imperator — cum gaudio in caeteris omnibus obedimus; Imperatores quamvis Gentiles, mundi Dominos agnoscimus, et ut vobis cum suprema potestate, quam tenetis, rectam imperandi rationem indat, Deo vota facimus. Si vero dum pro vobis Deum precamur, — — — nihilominus sangvis noster tam innocens vobis vilescit, id damno nostro tamen non fiet; certissima enim fide tenemus, unumquemque in igne aeterno juxta operum suorum merita poenas daturum, et Deo, pro mensura potestatis sibi commissae, rationem redditurum." [1]) Ecclesia itaque praeceptorum evangelicorum memor, etiam tunc, dum teste Tertuliano in immensum propagata fuisset, Potestatem Imperantium Civilium, Gladio non ad vindictam malorum, ast ad *exstirpandos bonos* utentium reverebatur, resistentiam passivam, seu patientiam, non infirmitate sed voluntate Persecutoribus opponendo.

Eadem Ecclesia interim, quae docuit et docet Principibus obsequium praestandum esse, semper conscia erat Potestatis sibi quoque ad praefixum finem consequendum a Christo Divinitus collatae, — semet ad leges exteriorem disciplinam concernentes condendas, et devios ac contumaces coercendos referentis. Christus enim Ecclesiam externam seu Societatem perfectam, quam nomine regni etiam insignivit, instituendo, eandem omni auctoritate, ad rite regendum et gubernandum necessaria instruere debuit, jussitque sequaces suos, ut *Petri ac Apostolorum,* Ecclesiam imperantem et docentem constituentium mandatis morem gerant; et ut hujus de obsequio praestando mandati palmariter oculis sistat pondus ac momentum, identificat se cum Ecclesia, „qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit, et qui me spernit, spernit

[1]) in I. apol. c. 61.

eum qui misit me. [1]) Sed neque concipi potest, qualiter societas haec, spectato eminentissimo Scopo, omnes caeteras Societates dignitate superans, sine Potestate relicta fuisset. Imo vero Ecclesia omni auctoritate et potestate instrui debebat, ut inter persecutiones acerrimas, quibus mox a principio subjecta erat, inter pressuras item et adversitates, omni tempore tuta, ac secura persistat. Reipsa autem Christus Dominus Matthaei Capite ultimo Apostolos sic alloquitur: „Data est mihi omnis Potestas in coelo et in terra, euntes ergo docete omnes gentes, — — docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis." Horsum quoque refertur quod Christus iisdem Apostolis dixit: „Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos." E positiva itaque Christi Domini dispositione, adest penes Ecclesiam sacrum imperium, et quidem Petro et Apostolis proprium, adeoque a Civili imperio distinctum et independens. Sed et cum Ecclesia sit indeffectibilis et perpetuo duratura; quomodo attributa haec conservaret, si a quacumque alia societate dependens esset. Dein dum Christus Salutem humani generis operaturus in terris versaretur, integrae nationes in statu depravatissimo constituebantur, plane ipsa monstra vitiorum proprios deos habebant; potestne itaque cogitari, ut Divinus Magister Civili potestati influxum in regimen Ecclesiae tribuere voluisset, aut Ecclesiam directioni paganorum subjecisset? Quam Potestatem nec Imperantes subin fidem Christianam professi, consecuti sunt; per baptismum primogeniti filii matris Ecclesiae effecti. — Potestatem itaque quam Christus habuit tradidit Apostolis, quae eadem Potestas in suo ordine stetit et tunc, dum Imperantes Civiles Ecclesiae irreconciliabiliter adversari videbantur; quamve Ecclesia gravissimis etiam persecutionum et primis statim temporibus, jam simul in

[1]) Luc. 10. 16.

Concilio Hierosolymis congregata, jam singillative per Apostolos, uti id ex epistolis Pauli, Petri, Jacobi, Joannis, in quibus copiosa praecepta disciplinae continentur, patet, exercuit. S. Paulus inter ipsa Vincula docere non destitit, et verbum Dei, ut ipse loquitur, non erat alligatum. Falsos doctores repressit et redarguit; imo sicut ille Hymenaeum, Alexandrum et incestuosum Corinthium satanae tradidit; ita S. Joannes Presbyterum qui historiam itinerum S. Pauli et S. Theclae fabricaverat, deposuit; seu potestate coactiva usus est. Potestatemque sibi et caeteris Apostolis a Christo tributam idem S. Paulus diserte asserit: „nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem et non in destructionem, non erubescam.“ Item: „Praedixi et praedico ut praesens, et nunc absens iis qui ante peccaverunt, et caeteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam. An experimentum quaeritis ejus qui in me loquitur Christus“ [1])? Sed et monet Antistites Ecclesiae: „attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit, episcopos regere Ecclesiam Dei“ [2]). Haec — quam copiosissima S. Scripturae loca comprobant, — concors erat SS. Patrum de Potestate Ecclesiastica, Doctrina, — primum per omnis secus potestatis et auctoritatis inimicos vellicata. Hosius Cordubensis, eo tempore dum Ariani grassabantur, et doctissimos una et Sanctissimos Ecclesiae Antistites, quos in consortium erroris pertrahere non poterant, apud Imperatorem sinistris accusationibus et variis technis opprimebant, Apostolica libertate, Imperatorem Constantium II. Arianis faventem monuit: „ne te rebus misceas ecclesiasticis. — — Tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui Tibi imperium subripit Deo ordinanti repugnat; ita metue ne si ec-

[1]) 2. ad Corinth. c. 10. v. 8. et c. 13. v. 2. et 3. — [2]) Act. 20.

clesiastica ad te pertrahas magni Criminis reus fias: Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.“ Nicolaus Papa vero in epistola ad Michaelem Imp. scribit: „Imperium Vestrum suis publicae rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare, quae Sacerdotibus Domini solum conveniunt“ [1]). Sed et S. Joannes Damascenus alloquitur Leonem Isauricum: „Tibi parebimus o Imperator! in his quae ad hujus saeculi negotia pertinent — — — verum ad res Ecclesiae statuendas pastores habemus, qui nobis verum loquuntur, atque instituta ecclesiastica tradiderunt.“ — Similiter S. Gelasius PP. Anastasium Imperatorem affatus est hunc in modum: „Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: Auctoritas Sacra Pontificum, et Regalis Potestas. In quibus tanto gravior est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum, in Divino sunt reddituri examine rationem“ [2]). Duplex hic adinvicem distincta et independens Potestas adstruitur; quarum una, seu sacra, in jure condendi, et sua forma exequendi leges consistente, etiam successores Apostolorum hac auctoritate a Divino statore instructi, tum in Conciliis, tum extra Concilia editis sanctione munitis Constitutionibus, harum praevaricatores judicando, et poenis ac censuris afficiendo, omni tempore jure proprio usi sunt, et usque ad consummationem saeculorum utentur. Intuitu cujus, hodierna die eadem est, — sed nec potest esse alia, ac a principio exstiterit Ecclesiae Doctrina. Mutantur quippe Ecclesiae tempora, sed cum his non mutantur essentialia ejus attributa. Jam autem Potestas sacra per Christum in Petrum et Apostolos, et ab his in Romanum Pontificem et Episcopos transderivata, atque taliter *Ecclesiae Docenti velut subjecto*

[1]) Dist. 10. c. 5. ubi pluras ad objectum hoc pertinentes Canones continentur. — [2]) Dist. 96. c. 10.

Divinitus designato inhaerens, inter essentialia Ecclesiae attributa refertur [1]).

Ex hactenus dictis Ecclesia definitur: quod sit societas perfecta hominum Christianae fidei professione, et ejusdem salutis mediorum participatione, sub visibilis Capitis Romani Pontificis, ac legitimorum Pastorum regimine, iu unum corpus coadunatorum, a Christo Domino instituta. — Potestas ecclesiastica tres complectitur partes: a) jus institutionis, seu *Potestatem Magisterii.* Nam in Catholica Ecclesia, est depositum verae fidei Christianae, cujus divinitus revelata Doctrina, ad veritatem agnoscendam et homines sanctificandos, per *Ecclesiam Docentem, Ecclesiae Discenti* communicatur. „Euntes docete omnes Gentes" [2]), b) jus dispensationis Mysteriorum Religionis, seu *Potestatem ordinis, aut Potestatem Ministerii.* „Sic nos existimet homo ut Ministros Christi et dispensatores Mysteriorum ejus;" ait S. Paulus de se et caeteris Apostolis [3]); c) jus ordinem et disciplinam Ecclesiae conservandi; seu in stricto sensu *Potestatem regiminis aut Potestatem jurisdictionis*; quae est legislativa, judiciaria et executiva. Cum enim omnis Societas major et perfecta jure leges ferendi, judicandi et exequendi provisa esse debeat; Potestas jurisdictionis, etiam Ecclesiae Catholicae, tum ex conceptu Societatis majoris perfectae, tum positive e voluntate Christi competit. „Unde non recens accessit Ecclesiae jurisdictio, sed haec eidem est ingenita, divina auctoritate stabilita, et perenni consvetudine confirmata; — ut egregie loquitur Carolus Sebast. Berardus. — Legislativam potestatem in Ecclesia agnoscimus. En Majestatem. Agnoscimus distributionem publicorum Ecclesiae munerum. En dignitatem regimini junctam. Agnoscimus Sententias et judicia causarum.

[1]) Diss. 15. c. 2. — [2]) Matt. 28. 19. — [3]) 1. Corinth. C. 4. 1. Matt. 18. Joan. 20.

En Magistratum. Agnoscimus denique facultatem reorum coercendorum. En imperium." Commentaria in Jus ecclesiasticum Universum. 1. pag. 21.

§. 15. Hierarchia.

Jesus Christus ut fructus redemptionis Generis humani pro perpetuo securisaret, e seqvacibus suis elegit duodecim, quos Apostolos nominavit: „praedicaturos in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes" [1]). Missione eos donando, quam ipse accepit a Patre [2]). — Ut praedicarent evangelium omni Creaturae [3]); et doceant servare omnia quaecunque mandavit ipsis [4]), dando eis potestatem ligandi et solvendi [5]); quod e sententia SS. Patrum, usu loquendi hebraeorum, ex locis item analogis, ac scopo Christi, potestatem leges ferendi denotare in aperto est. — Praeter Apostolos, qui plenitudinem potestatis nacti sunt, elegit Christus 72 discipulos [6]) eisque annunciandi evangelium et aegros sanandi provinciam demandavit. „Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas", — ait Paulus Apostolus [7]); Item: „Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores" [8]).

Apostoli Auctoritatis sibi concessae conscii, ne a praedicatione verbi Dei, oratione, sollicitudine item Ecclesiarum abstrahantur; eligentes, ac per impositionem manuum et orationem ordinantes septem Diaconos [9]), his Ministerium mensae et nonnulla minora munia ecclesiastica crediderunt. Quibus necessitate exposcente successive adjuncti sunt Sub-Diaconi;

[1]) Luc. 24. 47. — [2]) Joan. 20. 21—23. — [3]) Marc. 16. 15. — [4]) Matt. 28. 20. — [5]) Matt. 18. 28. — [6]) Lucae 10. 1. — [7]) 1. Corinth. 12. 28. — [8]) Ephes. C. 4. 11. — [9]) Act. 6. 1. et seqq.

Acolythi; Exorcistae; Lectores; Ostiarii. Prout autem officia unum prae alio momentosiora sunt; ita ex hinc enati diversi gradus in Ministerio sacro.

Porro Apostoli Divina Auctoritate suffulti, condiderunt leges ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes [1]; pervicaces ad obsequium reduxerunt; gravissime peccantes excomunicarunt [2]; per irrogationem maximae poenae hujus documentum relinquentes, quod externam potestatis jurisdictionem acceperint et exercuerint. Eadem Potestas, qua Apostoli a Christo instructi erant transivit in eorum Successores Episcopos. „Adversus Presbyterum noli accusationem recipere, — monet Paulus Timotheum — nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut caeteri timorem habeant. — Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina" [3]. Et Tito scribit: „Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas et constituas per Civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi" [4] — Ultro autem progrediente aetate, ad unitatem Ecclesiae opportunius conservandam, et ex causis variis, suis locis expositis, inter *Papam* et *Episcopos,* quasi intermedii diversis temporibus positi sunt *Exarchae*, *Patriarchae, Metropolitae,* unde iterum gradus jurisdictionis consurrexerunt. Similiter *inter Episcopos* et *Presbyteros* medii quasi constituti fuerunt *Archi-Presbyteri, Archi-Diaconi*, item Presbyteris gradu minores Notarii, Capellani, Eleemosynarii. — Denique inter Clericos Romanae Urbis *Cardinales*; — subseque Ordinum Regularium Superiores, Abbates, Praepositi Generales, jurisdictionem et eminentes honoris praerogativas obtinuerunt. Unde patet, existere in Ecclesia seriem Rectorum et Ministrorum, qui ad regendum, muniaque sacra peragenda specialiter deputati

[1]) 1. Timot. 3. v. 2. 13. — [2]) 1. Corint. 5. 1—7. 1. Tim. 1. 20. — [3]) 1. Tim. 5. 19. item 2. Tim. 4. 2. — [4]) 1. Tit. 1. 5.

sunt; seu dari in Ecclesia *Hierarchiam,* quae est complexus Ministrorum Ecclesiae ordine, officio et potestate aliis fidelibus haud comuni, distinctorum; ac ad regendam Ecclesiam et salutis media administranda institutorum. — *Hierarchia* ut e praemissis sequitur, alia est *juris divini, alia juris humani.* Hierarchia institutionis Divinae complectitur: 1° Visibile caput Ecclesiae, quod in Simone Petro et ejus Successoribus Summis Pontificibus, universis Pastoribus una et ovibus praefecit Jesus Christus [1]. 2° Integrum corpus duodecim Apostolorum, et qui his successerunt Episcoporum [2]. 3° His subordinatos Pastores secundi ordinis, Presbyteros 4° Diaconos. Huic congruit Doctrina Conciliorum, signanter Oecumenici Concilii Tridentini definientis: „Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, Anathema sit" [3]. Ea vero quae institutionis humanae est, reliquos Clericorum gradus continet. Tum distinguitur Hierarchia, in *Hierarchiam Ordinis et Jurisdictionis;* illa in administratione Sacramentorum, ac aliis S. Muniis exequendis; haec vero in externa potestate consistit. Distinctio haec non caret fundamento, et est in ipsa Ecclesiae disciplina radicata. Quamvis enim per ordinationem habilitas ad Jurisdictionem exercendam conferatur, non tamen junctim ipsa jurisdictio etiam tribuitur; cujus rei exemplum praebent consecrati Episcopi non habentes assignatam sibi Dioecesim. Dein Ordinis potestas nunquam evacuatur; unde Episcopus excommunicatus, haereticus, schismaticus, Sacramentum Ordinis observato praescripto ritu esto illicite, valide interim confert; cum tamen exercita per eum potestas jurisdictionis nullum actum operetur. Ideo esto Hierarchia sit una, sed spectato effectu rite dividitur in Hie-

[1]) Math. 16. 18. Joan. 21. 15—17. — [2]) Math. 18. 18. Joan. 20. 21—23. Math. 28. — [3]) Sess. 23. Can. 6.

rarchiam Ordinis et Jurisdictionis. Ad Hierarchiam Ordinis institutionis Divinae pertinent Episcopi, Presbyteri et Diaconi; reliqui uti sunt: Sub-Diaconi; Acolythi; Exorcistae; Lectores et Ostiarii, spectant ad Hierarchiam ordinis institutionis humanae; Hierarchiam Jurisdictionis juris Divini, quae praeferenter per Antonomasiam sub nomine Hierarchiae venit: *Primas totius Ecclesiae, Romanus quippe Pontifex* et *Episcopi* constituunt; — Cardinales; Patriarchae; Primates particulares; Metropolitae; Episcoporum Vicarii; Ordinum regularium superiores, Abbates, Praepositi ad Hierarchiam Jurisdictionis institutionis humanae referuntur. Quia autem potestas ecclesiastica proprie in Episcopis desineret; Parochi Officium non potest adnumerari hierarchiae jurisdictionis; est tamen eminens munus, cui determinata jura adnexa habentur.

Caeterum quantum ad Jurisdictionis exercitium; non sufficit unice — ut mox memoratum est, — susceptio Ordinis, sed requiritur etiam *legitima Missio*, sine qua Jurisdictio exerceri nequit; per Missionem enim assignantur subditi, in quos potestas exercetur. Episcopis tribuenda est Missio a Summo Pontific Capite Ecclesiae; subalternae vero dignitatis Viros ecclesiasticos, ad munus quodpiam sacrum in Dioecesi gerendum, Missione proprii Episcopi ornatos esse oportet, Concilio Tridentino id ipsum definiente: „Si quis dixerit eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum Ministros, anathema sit“ [1]). Item: „Si quis dixerit Episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit“ [2]). Determinate hanc in rem loquitur Ludovicus Thomassinus oratorii Gallicani Presbyter in opere: Vetus et nova Ecclesiae Disciplina. „Nam, inquit, Episcopi obtinent illi quidem immediate a Christo Jurisdictionem suam, sed non ab illo immediate consecuti sunt territorium hoc suum, et peculiarem Dioecesim: cum haec partitio facta fuerit volventibus saeculis ab Ecclesia, nec fieri potuerit, aut perpetuari, nisi consensione Capitis in quo est Cardo et centrum ecclesiasticae unitatis [1]).“

[1]) Sess. 23. Can. 7. — [2]) Ibid. Can. 8.

Finaliter subjungendum venit, quod de Hierarchia Gregorius PP. I. ad Episcopos Galliae scribit: „Ad hoc dispensationis Divinae provisio gradus diversos et Ordines constituit esse distinctos; ut dum reverentiam potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, et ex diversitate contextio, et recte Officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim Universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiae ordo servaret.“ Epist. 52.

§. 16. Discrimen inter Clericos et Laicos.

Ex hactenus expositis sequitur, in Ecclesia Jesu Christi, ex Divina institutione discrimen essentiale esse inter illos, quibus praedicatio Verbi Dei, Sacramentorum dispensatio, item regimen Ecclesiae commissum est, et inter caeteros fideles; seu existere in Ecclesia statum certum qui interrupta serie potestatis et jurisdictionis ecclesiasticae custos est, et cui exclusive Potestas Magisterii, Ministerii et Regiminis competit. Status interim hic non format separatam haereditariam classem hominum, sed ad eum cuilibet interna et externa vocatione praedito aditus patet. Discrimen proinde inter Clericos et Laicos nihil contemptivi aut odiosi continet; — prout Justus Henningius Böhmer adstruit, communia Christianorum Officia, qualia sunt: Oratio, Meditatio, — cum Officiis

[1]) Parte 2. lib. 1. c. 47. N. 3.

Status Clericalis confundendo [1]. — Neque Usurpationis subsumptio subsistit; nam discrimen isthoc ipsi Apostoli jam statuerunt, dum ad distinctam a caeteris fidelibus classem semet referunt; Petrus enim ad electionem novi Apostoli procedens, de proditore Juda dicit: „*Qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem Ministerii hujus.*“ — Quamvis autem tempus notum non sit, quo ad distinctionem hanc denotandam nomen Clerici et Laici adhiberi coeperit: id tamen certum est, nomina haec jam primo Ecclesiae saeculo, — ubi de usurpatione quadam cogitari non potest — in usu fuisse. Ita Clemens, Anno 101 mortuus, scribit: „Summo quippe Sacerdoti sua munia tributa sunt, Sacerdotibus locus proprius assignatus est, et Levitis sua Ministeria incumbunt. Laicus praeceptis laicis constringitur„ [2]. — Clemens Alexandrinus (Mortuus 220) in Lib. quis dives salvetur: (Joannes Apostolus) „vicinas Gentes invisit, ut unumquemque eorum, quos Spiritus designaret, *in Clerum* cooptaret.“ Non secus in Canonibus Apostolicis §§. 12. 14. 23. 30. 42. 62. 63. ubi diserte nomen Laici ocurrit, in oppositione ad nomen Clerici. Tum in Conc. Nicaeno I.; apud Tertulianum l. de monogamia; apud Originem hom. 7 in Jeremiam, Ministri Ecclesiae Clerici appellantur. Imo illud I. Petri C. 5. „neque ut dominantes in Cleris“ S. Hieronymus de inferioribus Ecclesiae Ministris explicat, et ad quemdam suum Levitam de duobus Generibus hominum scribit: „Duo sunt, inquit, genera Christianorum. Est autem unum genus quod mancipatum divino officio et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit: ut sunt Clerici. — §. 1° Aliud vero genus est Christianorum, ut sunt Laici (populus). His licet temporalia possidere, sed nonnisi ad usum“ [3]. —

[1]) Jus Ecclesiasticum Protestantium, tomo 3. pag. 1067. — [2]) Epist. ad Corint. C. 40. — [3]) Can. 12. q. 1. C. 7.

Praeexpositae de discriminis hujus origine opinioni adstipulatur celebris inter Protestantes historicus Mosheim: „Ego quidem, — ait ille — ad eorum accedo Sententiam, qui has appellationes pérantiquas, et ipsis pene Christianarum rerum initiis aequales esse putant.“ Comment. de rebus Christianorum ante Const. M. Helmst. 1753. ed.

CAPUT IV.

§. 17. Ratio Operis; Methodus; ac Divisio.

Scopus et institutum Ecclesiastici Ordinis urgentissime exposcit, ut ii qui ad hunc vocati sunt, non tantum in virtute, sed et in scientiis constanter proficiant; sine praesidiis enim his erunt sal infatuatum, ad nihilum valens, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Inter scientias quibus Sacerdos vacandum habet, primum locum sibi vindicat ea, quae ad exequendum cum fructu Officium requiritur, *Theologia* nempe, cujus iterum principalem partem scientia *SS. Canonum*, per eminentiam *Theologia rectrix*, aut *Theologia practica* dicta, constituit. Hinc jam S. Coelestinus PP. I. jubet: „*Nulli sacerdotum liceat canones ignorare*“ [1]. Tum disponitur: „Placuit ut ordinandis Episcopis vel Clericis prius ab Ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur; ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse poeniteat“ [2]. Item: „*Canonum Statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in Actionibus vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum Auctoritate ducatur*“ [3] Si Canones custodiendi praecipiuntur, suapte fluit, scientiam illorum esse necessariam. — Quid de sacratissimo Concilio Tridentino dicamus? — istud repetitim, inter primas qualitates in Sacerdote requirit, exactam

[1]) Diss. 38. C. 4. — [2]) Ibid. C. 7. — [3]) C. 1. de Constit.

Canonum Scientiam, disponendo: ut ad Dignitatem, Officium gerendum Electus, in Jure Canonico sit Doctor vel Licentiatus; quod ipsum decursu operis hujus suis Capitibus exponitur.—Curati animarum praeterea Duces sunt populi, nosse proinde debent e Canonibus Conciliorum et Pontificum Decretis quae via tuta sit, quae item insecura et periculosa; et si generaliter valet illud: Ignorantiam Matrem multorum malorum esse; id de ignorantia Canonum et juris principiorum maxime adstrui potest: haec enim non tantum Actionibus normam praebent; sed etiam ad proponendas aeque ac defendendas veritates necessaria sunt. Ita per exemplum: saepe non rectus usus Coemeterii, uti est Canonibus quidem vetita, sed subin per subalternum Potestatis Civilis imperata Autochiri sepultura, in Parochiana Communitate gravibus turbis praebet ansam; quam tamen Curatus Animarum, juris Principiorum gnarus, capacitatione Subalterni, antevertere posset. — Interim operosae demonstrationi necessitatis scientiae juris ecclesiastici immorari supervacaneum est; alioquin haec velut patula, passim recognoscitur; et studium illius iterum revixit, cumprimis ab anno illo, quo Synodalia examina, jam antehac per Concilium Lateranense IV; postmodum Concilii Tridentini Sessionis 24^ae^ capite 18 de reform. disposita, cum effectu universaliter reinducta existunt. —*Pauci enim admodum* reperiuntur, quorum mentem ea invasisset opinio: Curato Animarum sufficere, si doctrinam *de Impedimentis matrimonii* taliter qualiter noscat; et ideo etiam in Synodali examine, dumtaxat Impedimenta Matrimonii, ac ex his ea, quorum usus crebrior occurrit, videlicet: *de Consanguinitate et Affinitate, modum gradus computandi; de Matrimonio claudicante*, *de impedimento Clandestineitatis,* concurrentibus proponi debere. Profecto si opinio haec subsisteret intentus per Patres Concilii Tridentini, veteribus quoque Ca-

nonibus conformis scopus, non obtineretur; nam idem Concilium praecitato Decreto disponit, ut ex examinatis et approbatis, caetera inter *doctrina et prudentia magis idonei* ac digniores, ad vacans Beneficium Parochiale deligantur; adeoque scientia Concurrentium, prudentia et spiritus, idoneitas item sufficienter explorari, et in Jure Ecclesiastico sive intensive, sive extensive amplior esse debet, quam Vulgi, notitiam Impedimentorum Matrimonii, signanter impedimenti Consanguinitatis et Affinitatis habere obligati. — Sicut autem ex obtutu juris, Concilii Tridentini scopus effectu evacuaretur; ita inductorum Synodalium Examinum alia etiam nobilia rationum momenta, — uti promotio Culturae Cleri, per quem teste historia, iterato in perturbatis mundi adjunctis, Divina Providentia scientias conservavit, — vix non penitus paralisarentur. Et quaeso, potestne Sacerdos ea, quae Potestatem Ecclesiasticam, Primatis Ecclesiae et Episcoporum Jura una ac obligationes, Ordinandorum Qualitates, vitam et honestatem Clericorum, Officia Parochorum, Ordines Regulares, pluraque Sacrae Disciplinae capita concernunt, ignorare? — Penes tamen intensissimum plurimorum semet percolendi studium, apud Clerum praecipue in Cura animarum desudantem, et ad combinanda plura opera, tempore ac adminiculis destitutum, desiderium excitatum est, Jus Ecclesiasticum spiritui Ecclesiae conveniens, quod suum cuique, Caesari nempe quod est Caesaris et Deo quod est Dei dat, tum magis etiam ad specifica extensum et practici usus, volvendi. Praexistentia enim pleraque Cathegoriae hujus opera, aut talia sunt, quae — mutatis quoque per editam die 18 et 23^a^ Aprilis 1850 libertati Ecclesiae faventem benignam Resolutionem, circumstantiis, — bonis Catholicis; imo illis ipsis quorum causa scripta fuerunt, quibusve opitulari videbantur, displicent; aut tametsi commendatione digna,

potissimum tamen lingua theodisca conscripta sunt; quale est: Kirchenrecht von Georg Phillips, hactenus jam in tomis sex, cujus copiosissimae citationes Auctoris indefessum legendi et combinandi studium pandunt. — Lehrbuch des Kirchenrechtes von Dr. Ferdinand Walter, plures editiones numerans. — Handbuch des gemeingültigen katholischen Kirchenrechtes von Dr. Michael Permaneder. — Das kanonische Recht, betrachtet aus dem Standpunkte des Staatsrechtes, der Politik, des allgemeinen Gesellschaftsrechtes und der seit dem Jahre 1848 entstandenen Staatsverhältnisse, von Dr. Ignaz Beidtel, Appellationsrath ꝛc. — Ex latinis commentatoribus Joannis Devoti Institutionum Canonicarum libri IV. copiosa praestante doctrina conscripti, particulare interim Jus non continent. — Opus: Római Ker. Katolika Egyházi Jogtan. Irta Udvardy Ignácz, 1843, multa particularia complectitur, sed in recentioribus deficit; et ex eo, quod latina lingua non sit concinnatum, in Patria nostra extensivi usus esse non potest. — In his proinde adjunctis, et ex attactis obtutibus, praesenti statui rerum, servire constitui; materialia jam dudum colligi occepta, vacuo ab officiosis occupationibus tempore, postremis his annis, solerte combinatione in Ordinem redigendo. Conatui huic multum favit diuturna praxis hausta per annos viginti tres, quibus post exactos in cura Animarum annos quatuor, in Cancellaria Praeclarissimorum Praesulum Josephi quippe Vurum, cujus memoria in benedictione est; et *Excellentissimi Domini Emerici Palugyay, Dioecesim actu feliciter gubernantis,* operabar, tum penes contentiosam, qua Delegati Primatialis et Pontificii Fori copiosissimarum Causarum Referens; cum etiam penes voluntariam Jurisdictonem longam experientiam nactus quamve in opere hoc usibus Cleri communicare contendebam, et hac de causa, tum propterea quoque, quod in elucubratione, eorum

principalem rationem habuerim, quae practici usus sunt, aliis vel penitus praeteritis, aut dumtaxat attactis, — praesens opus inscripsi: *Jus Ecclesiasticum, practicis rationum momentis illustratum.*

Porro in coordinandis materiis, maxime prae oculis versabatur, ut hae non interruptim, sed quantum fieri potest in complexo et coadunative exhibeantur; seu ob servilem alicui Systemati adhaesionem, objectum non per vices, ast in continuo sistatur, atque ita Conceptus totius facilitetur; quo ex obtutu, specialiter quae de Romani Pontificis et Episcoporum electione decreta sunt, Doctrinae de Primatu Ecclesiae, item illi quae de Episcopis agit subnexa existunt. — Positivi juris semper ratio habita, et ejusdem fere ubique verba retenta sunt; causa legis exposita, historica origo evoluta, et ubi opus erat, oculis stita est vetus et moderna disciplina, utraque a Petro et caeteris Apostolis, ac eorum Successoribus profecta, quibus Christus et nunc in Personis Apostolorum dicit: *qui vos audit me audit; qui vos spernit me spernit;* — hacque ratione Methodus practica, historica et philosophica conjuncta est.

Caeterum cum parum prosit de Juribus Pontificum aut Episcoporum disceptare, si observandis, exequendisque legibus non intendatur; plures etiam in compendio pro usu practico exponuntur dispositiones; — doctrinali tamen — plerisque odioso — modo proponendi sollicite evitato. Inter praecognita Juris, prout et subseque, ab iis quae ad Theologiam Dogmaticam pertinent exponendis praescissum; quia opus in usum eorum scriptum est, qui de Religione Jesu Christi, de Ecclesia Catholica et ejus notis, ac infallibilitate, notiones — systematice e Theologia Dogmatica hauserunt, ipsimet aliis credendas proponunt et demonstrant. — Demum intimam convictionem, lectione, combinatione, et praxi procuratam, secutus, — fontes inspiciendo, aut in defectu

horum, — quod de SS. Patribus dumtaxat sumendum venit, — eas unice citationes quae hactenus non controvertebantur adoptando, — quae utilissima censebam, paginis his consignavi, ut mihi blandior, adminus a Dioecesis Nitriensis et vicinarum Dioecesium Clero, grato animi sensu suscipienda.

Denique quod Systema et divisionem totius operis attinet; hactenus enunciatis obtutibus fideliter: Parte I. agitur: *De Ecclesia Docente*, et de illis qui in adjutorium *„Moysi et duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum"* electi sunt, ac ad Hierarchiam Institutionis Divinae pertinent. Parte II. *De Ecclesia Discente.* Parte III. *De variis Ecclesiae ad statum Publicum, item respectu aliorum extra Ecclesiam existentium correlationibus.* Pars I et II. Juri Ecclesiastico *interno;* Pars III. Juri Ecclesiastico externo correspondet.



PARS I.

ECCLESIA DOCENS.

CAPUT I.

§. 1. S. Petri Apost. et Ejus in Cathedra Romana Successorum Primatus.

Humani Generis Salvator, priusquam Redemptionis a jugo peccati Opus consummasset, et subin ad Patrem coelestem redivisset, ne fluctuemus ut parvuli et circumferamur omni vento doctrinae, utve in constituta ab se et usque consummationem Saeculi duratura Ecclesia omnia rite ordinateque fiant; praeter Magisterium Apostolatus, Divino prorsus consilio, centrum Unionis constituit. Nimirum visibilis Ecclesia praeter Caput invisibile Christum Jesum, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse Primatum tenens [1]); opus habebat etiam Visibili in his terris Capite, ad quod unius Corporis Membra referrentur. Dum Petrus Apostolus Divinitatem Christi confessus fuisset; responsum meruit accipere: *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves Regni Coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in Coelis* [2]). — Post gloriosissimam autem a mortuis Resurrectionem, quod spoponderat facto completurus, cum prandissent dicit Simoni Petro Jesus; *Simon Joannis diligis me*

---

[1]) Colos. 1. 18. — [2]) Math. 16. 16 — 19.

plus his? dicit ei; *Etiam Domine tu Scis quia amo te.* Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Dicit ei iterum: *Simon Joannis diligis me?* Ait illi: *Etiam Domine tu scis quia amo te.* Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Dicit ei tertio: *Simon Joannis amas me?* Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: *Amas me?* et dixit ei: Domine tu omnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei: *Pasce Oves meas* [1]). — E communi SS. Patrum consensu, et usu loquendi Hebraeorum, nullum dubium est, quod locis citatis, Christus Petrum, praeter cunctis Apostolis propria attributa, specialibus etiam praerogativis ornaverit, et fundatae per se Ecclesiae Caput visibile praefecerit. Positiva itaque Divina Ordinatione Primatus in Ecclesia, et quidem non solum honoris, — per quem Ecclesiae parum aut nihil consultum fuisset — sed etiam Auctoritatis et Jurisdictionis existit. Hanc fuisse mentem, hanc Ordinationem Salvatoris, comprobarunt Apostoli, qui in Petro, concessam ei per Christum supremam in Ecclesia Potestatem facto suspicientes, eum semper primum nominant [2]). — Erga Propositionem Petri, novi Apostoli electionem acceptant; ac dum Petrus praerogativae suae conscius in Concilio Hierosolymis asservato [3]), Sententiam edixisset, eam pro Norma assumunt. Paulus vero Doctor Gentium, Praecedentiam Petri recognoscit [4]). Postquam Apostoli gloriosa morte Martyrii cursum suum consummassent; mox secundus in Apostolica Petri Sede successor, Anacletus Papa, et Martyr, ad Episcopos Italiae scribit: „*In novo Testamento post Christum Dominum a Petro Sacerdotalis coepit ordo: quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves Regni Coelorum* [5]).“

[1]) Joan. 21. 15—18. — [2]) Math. 10. 2. Marc. 3. 16. Lucae 6. 13—14. Joan. 6. 68. Act. 1. 13. — [3]) Act. 15. 6. et seqq. — [4]) Epist. Galat. 1. 18. — [5]) Epist. 2.

Quo magis autem Ecclesia Christi dilatabatur, consolidabatur, eo profundiores radices fixit doctrina illa, Ecclesiam Romanam esse Matrem et Magistram reliquarum, Episcopum autem Romanum esse Successorem S. Petri, et Supremum Pastorem totius Christianitatis; ita, quod jam cani Ecclesiae Patres, veritatem hanc communiter notam supponant. — Ut ex his vel paucos memoremus: S. Irenaeus Episcopus et Martyr, Anno 201 mortuus, a S. Polycarpo Ep. et Mart. Discipulo S. Joannis Ap. et Ev. institutus, de Ecclesia Romana loquens dicit: „*Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.*“ Cujus unius Ecclesiae, et nullius alterius, eodem loco Successionem etiam enumerat. „*Fundantes igitur* — dicit Ille — *et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt.*“ Succedit autem et Anacletus: post eum tertium locum ab Apostolis sortitur Clemens. Huic autem Clementi succedit Evaristus etc. — S. Cyprianus qui 258 decessit, in lib. de Unit. Ecclesiae ait: „*Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur.*“ Item: „*Baptisma unum et Spiritus Sanctus unus et Ecclesia una a Christo Domino supra Petrum origine Unitatis et ratione fundata.*“ — S. Hieronymus Presbyter vero Epist. inter Augustin. 70: Tantae Petrus Auctoritatis fuit, ut Paulus in Epistola Sua (supra ad Galat. 1, 18.) scripserit: *deinde post annos tres veni Hierosolymam, videre Petrum*, ostendens, se non habuisse securitatem Evangelii, nisi Petri, et qui cum eo erant sententia fuisset roboratus. — Propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto schismatis tollatur oc-

[1]) Adv. haeret. III. 3.

casio.“ — Copiosissima, et concordia hac in parte possent adduci SS. Patrum testimonia; quibus apprime convenit doctrina Antiquarum Synodorum, uti Nicenae, Ephesinae, Chalcedonensis, Constantinopolitanae, declarantium: Primatum Romani Pontificis in Ordinatione Divina fundatum esse. Juxta Doctrinam Concilii Constantiensis et Tridentini, Romana Ecclesia est Mater et Magistra caeterarum, Pontifex vero Romanus legitimus S. Petri Successor, et Jesu Christi in his terris Vicarius. Concilium autem Oecumenicum Florentiae 1438, potissimum ob Graecos Schismaticos ad Unionem reducendos celebratum, declaravit: „*Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in Universum orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem Successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi Universam Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in Sacris Canonibus continetur.*“

Doctrinam hanc Universa Ecclesia profitetur; imo ipsi Orientalis Ecclesiae asseclae non uniti, S. Petrum Apostolum, cujus Festum in memoriam Captivitatis, die 16-a Januarii recolunt, in Officio diei illius, fundamentum Ecclesiae, petram fidei, primum Apostolum etc. actu appellant. Die 25. Novembr. in Officio diei S. Clementem, Successorem Petri; S. Silvestrum 2-a Januar. igneam columnam, principem collegii etc. S. Leonem Magnum, Coelestinum Papam, Primatem, et in terris his Jesu Christi Vicarium, actu, et de facto depraedicant, sicque inviti licet, ac in schismate existentes hac in parte veram Doctrinam Ecclesiae Romano-Catholicae in sua Liturgia profitentur. Tanta fides omni tempore per

orbem dispersa fuit quoad Primatum Petri et ejus in sede Episcopali Successorem! In Cathedra hac Primatus, 259 Pontifices a S. Petro Principe Apostolorum incipiendo, serie continua successerunt; Divinis enim Promissionibus evictum est, solidissimam hanc Veritatis Petram nullis unquam adversitatibus, aut temporum Vicissitudinibus in ruinam impelli posse.

§. 2. Primatus Ordinis et Jurisdictionis.

Primatus Petro et ejus Successoribus collatus, non est tantum *Ordinis* seu *honoris*, sed etiam *Auctoritatis*, seu *Jurisdictionis.* Per Primatum Ordinis intelligitur Jus, praecipuum locum tenendi, et negotia Societatis seu Ecclesiae in respectu Ordinis duntaxat dirigendi; quam Directoriam Potestatem Primati Ecclesiae Catholicorum nullus, sed in genere nec aequiores Protestantes, aut Schismatici controvertunt. Id enim unversim fatentur; in omni Societate unum esse debere, qui ordine praesit, negotia dirigat, et promoveat, quod ipsum in Ecclesia quoque velut Societate Visibili externa necessarium esse ultro concedunt. Interim Christum Dominum Primatum quoque *Jurisdictionis* Petro contulisse, patet ex supra allatis textibus S. Scripturae: *Tu es Petrus* etc. ubi Nomine Petrae si etiam Christum quis intelligere vellet non aliud sequitur, quam Christum esse fundamentum principale et remotum, Petrum vero et ejus Successores esse fundamentum quasi proximum, et minus principale Ecclesiae, uti innuit S. August. Tract. 124 in Joan. dicens de Petro: „*Solus inter Apostolos meruit audire: Tu es Petrus, et super hanc Petram* etc. dignus certe, qui aedificandis populis in Domo Dei *lapis* esset ad fundamentum, *columna* ad sustentaculum, *clavis* ad regnum.“ Ita ergo Petrus pro fundamento

constituitur, cui tota moles aedificii superstructa est, quod abstrahendo a metaphora sensu proprio significat: Petro datam esse omnem potestatem, cui omnis legum vis tamquam fundamento innitatur. *Tibi dabo claves regni Coelorum* etc. Claves Petro datae, sunt Symbolum potestatis supremae, ut id ex locis parallelis Scripturae et moribus Hebraeorum clarum est. Ita Isaiae 22 de Heliae Summi Sacerdotis filio Eliacim legitur: *Et dabo clavem domus David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet et non erit qui aperiat.* Imo et suprema Christi potestas eodem Clavium Symbolo designatur. Apoc. 3, 7. *Haec dicit Sanctus et verus, qui habet Clavem David.* Quod ad mores Hebraeorum attinet, Scriptores Archaeologiae Biblicae tradunt, Clavem ex Metallo confectam, insigne potestatis fuisse, qualem dispensator domus regiae, velut Symbolum Officii in humero gestabat. Christus Dominus itaque dando claves Petro, contulit ei Potestatem aperiendi et claudendi, solvendi et ligandi, seu leges ferendi, quibus Societatis seu Ecclesiae per se fundatae membra obsequi teneantur. — Dein jussit ut pascat oves et agnos, per quos universa membra Ecclesiae, Ecclesiam quippe *Docentem* et *Discentem* designari caeteros inter S. Bernardus, et hoc antiquior S. Eucherius Lugdunensis Episcopus, Saeculo 5-o mortuus, dicit: *Prius inquit agnos dein oves commissit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorem Pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et Oves. Regit et Subditos et Praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est.* Facto autem hoc Christus tribuit Petro jus, cui correlata est obligatio Universum Gregem suum ad salubria pascua ducendi, verbo vitae nutriendi, contra impetitiones defendendi, cujus vocem grex audit, et sequitur eam. — Sed et Ecclesia in S. Paginis comparatur

Mari [1]), ubi Nauclerus imperat; Civitati in qua Rector fasces tenet [2]); Regno in quo Rex supremam exercet potestatem; Familiae, Domui, Ovili, Corpori, Sponsae, ubi Pater familias, Herus, Pastor Ovium, cum Auctoritate correlata praeest, Corpus sine capite vita destituitur, Maritus regimen obtinet; ita in Ecclesia his assimilata Petrus, et ejus in sede successores Auctoritate praediti sunt, vitam in Ecclesiae corpus, et universa membra derivant, atque ad regendum constituti habentur. Patres autem, et inter caeteros S. Hieronymus, Hilarius, Chrysostomos, Leo etc. appellant Petrum Caput, Apostolorum Principem, Apostolorum verticem et os Apostolorum, primum mundi praesidem; quae Nomenclationes certe nisi tali competunt, qui suprema Auctoritate praeditus est. Appellant Illum Petram infrangibilem, fundamentum, petram fidei, clavicularium coelorum, clavem ad regnum. Demum in Actibus Apostolorum, ubi admiranda Ecclesiae Christi infantia cernitur, prima 15 Capita luculentum praebent testimonium, quod Petrum caeteri Apostoli et Fideles Ecclesiae, tanquam Primatem suspexerint. Is vero traditae sibi a Christo Potestatis conscius, Jurisdictionem ab ea, quae reliquis Apostolis propria erat distinctam exercuerit. Ita C. 1. Petrus primus recensetur, esto Andreas illo, et aetate physica senior, et ad Apostolatum prius vocatus fuerit. C. 2. habetur: Petrus et Undecim. C. 5. Petrus et Apostoli. C. 1. Proposuit eligendum Apostolum in locum Judae praevaricatoris. C. 2. post delapsum Spiritus Sancti, primus in praesentia caeterorum Apostolorum calumnia ebrietatis refutata, praenunciatum per Prophetas Messiam praedicat. C. 3-o et 4-o iterum Nomine Apostolorum reddit rationem Doctrinae coràm Principibus et Senioribus Populi. C. 5-o Ananiam et Zaphiram mentientes, tanquam a Christo

[1]) Math. 13. 47. — [2]) Math. 5. 14.

constitutus supremus Judex, itidem in praesentia Apostolorum acrius increpando morti tradidit, et ut S. Hieronymus loquitur, Dei judicium annunciavit. — Simonem magum aeque judicavit, et condemnavit. Primus coelesti visione edoctus, contrariantibus illis, qui ex circumcisione erant, Gentiles baptisandos statuit. Cum enatam de legalibus et circumcisione controversiam Paulus et Barnabas Apostoli finire non potuissent, in Concilio Hierosolymis congregato, Petrus sententiam primus dixit: *Viri fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii et credere.* Sententiam Petri se specialiter a Deo electum esse, ut per os suum audirent gentes Doctrinam Christi — dicentis, omnes Apostoli secuti sunt. — Paulus vas electionis a Deo licet ad ministerium Sanctum vocatus, non prius plena gaudebat fide, quam studio honoris priori Apostolo deferendi, ut S. Hieronymus loqvitur, Hierosolymam ascendendo semet Petro stitisset. Nam ut ait S. Chrysostomus: *Petrus os erat Apostolorum, et Princeps et vertex ipsius Coetus, propterea et Paulus cum praeter alios visurus ascendit, simul ut ei ostenderet jam sibi fiduciam habendam* [1]).

Hanc Petri Primatus Jurisdictionem per Apostolos recognitam, Ejus quoque primorum Saeculorum Successores exercuisse innumera pene Documenta comprobant. Ita Clemens S. Petri tertius in Pontificatu Successor in Epistola ad Corinthios ad componendas inter eos dissensiones eo tempore teste Irenaeo et Hegesippo enatas, optimo cum effectu data excusat, quarenam ad propositas sibi interrogationes serius respondeat; quae Epistola ob praecellentem Romanae Ecclesiae respectum, in tanta veneratione habita fuit, ut teste Dionysio Episcopo tanquam Canonica Scriptura, in publicis Coetibus fidelium legeretur.

[1]) Hom. 87. in Joan.

Id autem eo majore attentione dignum reputatur, quod eotum, dum memoratae dissensiones in Ecclesia Corinthiorum enascerentur, Joannes Apostolus et Evangelista in vivis fuerit, neque tamen ad hunc, verum ad Petri in Cathedra Successorem Clementem, semet fine decidendae enatae Controversiae converterint. — Eusebius ex S. Irenaeo narrat [1]), id ipsum confirmante S. Hieronymo: S. Polycarpum S. Joannis Apostoli Discipulum, ab eo Smyrnae Episcopum ordinatum, et totius Asiae Principem, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam regente Aniceto, cum hoc de quibusdam super die Paschae, et aliis quaestionibus egisse [2]). Qui idem Eusebius testatur et alios Asiae Episcopos Romam ob quaestiones ecclesiasticas ivisse; et una Dionysii Corinthiorum Episcopi litteras ad S. Soterem laudat, in quibus Romani hujus Pontificis ad Corinthios dimissae Epistolae, quae publice in Conventibus, sicut illa Clementis legi consvevit, mentio injicitur [3]). S. Hieronymus de viris illustribus c. 45. tradit S. Irenaeum a Martyribus Viennensis et Lugdunensis Ecclesiae ob quasdam Ecclesiae quaestiones Legatum Romam missum. S. Cyprianus celebravit anno 255. et 256. intra breve tempus Carthagine tria Concilia, in quibus vestigia Decessoris sui Agrippini premens decidit quidem baptismum haereticorum invalidum esse; in dubio interim constitutus, negotium Romam ad Stephanum Pontificem detulit. S. Athanasius, S. Joannes Chrysostomus, S. Flavianus Constantinopolitanus Episcopi, variis persecutionibus expositi, praesidium Romae apud Pontificem quaesierunt; in specie dum S. Athanasius depositus fuisset inconsulto Pontifice, Julius I. Orientalibus Episcopis scripsit: „*An ignoratis hanc esse consvetudinem, ut primum Nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur.*“ Sub Innocentio 1° Pontificatum ab anno 402. ge-

[1]) L. 5. historiae c. 24. — [2]) de Script. ecclesiast. — [3]) lib. 4. c. 23.

rente in Causa haereticorum Pelagii et Coelestii Carthaginensis et Milevitana Synodus est celebrata; eo tamen non obstante Innocentius negotium novae adhuc inquisitioni subjecit et definivit; e cujus littera ad Patres Concilii Milevitani, 417° data patet, jam tunc copiosa negotia ad judicium sedis Apostolicae delata fuisse; ait quippe: „inter caeteras Romanae Ecclesiae curas et Apostolicae sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus:“ tum paulo post subjungit, ipsis compertum esse: „quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent.“ Episcopo autem Galliae Rhotomagensi Victricio, pro decisione recurrenti, consvetudinem sedem Apostolicam in causis gravioribus consulendi, *semper ab orbe et ex antiqua traditione servatam,* affirmavit. Et S. Hieronymus, cum Romam venisset, id sibi injunctum scribit [1]: „ut — inquit — in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanae urbis Episcopum, et orientis et occidentis consultationibus responderem“ [2]. Imo doctrina haec plane vim legis Civilis nacta est; Justinianus quippe jubet: „Omnia quae ad unitatem et statum Ecclesiae pertinent referri ad beatitudinem Papae veteris Romae, eo quod sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum“ [3]. Sed quomodocunque examinentur Ecclesiae historica monumenta, nuspiam deprehendetur usque saeculum XII. Primatum Jurisdictionis Romanorum Pontificum ex professo impugnatum fuisse. Imo ipsis Schismaticis, et Haereticis multum in eo situm videbatur, ut sibi Romanum Pontificem propitium reddant; prout id ex facto Donatistarum, pseudoepiscopum suum Romam mittentium; Arii asseclarum, pariter Liberii Papae favores quaerentium evincitur. Ipsi Graeci initio Schismatis Primatum Jurisdictionis

[1]) Epist. 30. — [2]) epist. ad Ageruch. episc. 12. — [3]) l. 7. Cod. de Sum. Trinit.

non controvertebant. Ut adeo vel paucis his spectatis contra Febronium luculente pateat, quod Romani Pontifices, primis Ecclesiae saeculis, ante editas Isidori merces, alios Episcopos Consilio direxerint, et negotia suprema auctoritate definiverint, seu exercuerint Primatum Jurisdictionis.

§. 3. Scopus Primatus.

Quamvis in S. Scripturis disertis verbis non exponatur scopus instituti Primatus, omnibus interim Catholicis ex Traditione explorata veritas est, causam instituti inter Apostolos, et fundati in Ecclesia Primatus esse bonum unitatis servandae, sine qua impossibile est Ecclesiam subsistere et perdurare, cui ut prospiciatur, unus supremus Pastor; qui unitatem custodiret, et tueretur, toti Ecclesiae praepositus fuit. Unitas Ecclesiae alia est *fidei,* qua universus coetus fidelium, in unius fidei professione convenire debet; alia vero *Charitatis,* qua cuncta Ecclesiae membra, inter se et ad invicem eodem pacis et communionis vinculo debent conjungi. Omnes quidem Episcopi ad unitatem Ecclesiae servandam obstringuntur, quemadmodum docet Paulus Apostolus [1]). Discrimen interim inter hos, et Romanum Pontificem illud intercedit, quod cum Episcopi in Ecclesiis sibi creditis in correlatione ad Ecclesiam Universam unitatem servandam habeant; Romanus Pontifex, qua Petri Successor, et Primas universae Ecclesiae ad unitatem in tota Ecclesia procurandam, et vindicandam obstringatur. „Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas, ut unitatem manifestaret, Unitatis ejusdem Originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit“ [2]). Hinc quorumcunque membrorum Ecclesiae, etiam Episcoporum jus,

[1]) Epist. Ephes. c. 4. — [2]) S. Cyprianus de unit. eccl.

jurisdictioni Primatus in bonum unitatis subordinatum ita subest, ut nihil possint, nisi in unitate cum Apostolica sede, nunquam vero contra eam unitatem. „Bono enim unitatis, dicit Optatus Milevitanus, B. Petrus et praeferri omnibus Apostolis meruit, et Claves Regni Coelorum communicandas caeteris solus accepit.“ Dein Christus assimilavit Ecclesiam suam *Ovili* cui praefecit unum Pastorem, „ut fiat unum ovile et unus Pastor“; assimilavit *regno,* quod ne in se ipsum divisum desolaretur, unum praefecit Principem, et tradidit ei claves, insigne supremae potestatis; assimilavit *aedificio,* superstructo firmae petrae, ut ita usque ad consummationem saeculorum perduret; demum Ecclesiam fecit unum corpus, cujus membra a suo capite vitam accipiant. Cum itaque ex rei natura, monumentis Catholicae Antiquitatis certum sit Primatum ad unitatem conservandam institutum et Petro collatum fuisse; Ecclesiae autem unitas ad essentiales ejusdem proprietates pertineat, et hoc ipso, usque ad finem mundi persistere debeat; jure infertur, Primatum cum Petro non desiisse, verum in ejus successoribus perpetuo mansurum. Nam cum Episcopatu Romano, quem Petrus gessit, et in quo Jurisdictionem Primatis Ecclesiae exercuit ad unitatem conservandam inseparabiliter utraque haec Dignitas manere debebat; secus dissensiones, schismata erumpere necessum erat. „*Petri successores inquit Bossuetus cum ordinandi fuerint, e coelo lapsuri non sunt, neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari commoverique oporteat. Necesse ergo est, ut sit aliqua Ecclesiae Catholicae pars, ex qua existant, aliique aliis subrogentur.*“ Defens. Cleri Gallic. l. 10. c. 5.

§. 4. De Juribus Primatus Romani Pontificis in genere.

Pontifex Romanus Centrum unitatis, Pater, et Doctor omnium Populorum Christianorum, habet *pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, . . . plenam potestatem;* verba sunt Concilii Oecumenici Florentiae celebrati. Proinde ad triplex hoc munus: *pascendi, regendi et gubernandi,* ad scopum item Primatus Ecclesiae, exigenda sunt Jura Romani Pontificis; quae a priori in specifico determinare difficillimum esse, historia saeculorum docuit. Id certum est, cum Primatus *Jurisdictionis* sit Divinae Originis, Jurisdictionem hanc esse inabalienabilem et immutabilem, quamvis exercitium illius ex ratione nefors temporum et adjunctorum, mutationem patiatur. Quae antiquitati ignota, priori saeculo invaluit inter jura Primatus essentialia et accidentalia distinctio, est in se impractica; non enim schola, aut privati Commentatores, verum necessitas et sapientia Ecclesiae universae, aut potius in hac existens Spiritus Dei, eam decidit; nam si vel saeculum modernum sumatur, decursu hujus iterato experientia practice docuit, jura per Febronium, et ejus Discipulos inter accidentalia relata, conservandae unitati ita subservire, ut haec secus maximo sane discrimini objecta fuisset, verissimeque asseri possit, jura sensu patronorum divisionis hujus accidentalibus adnumerata, tractu temporis independenti, summaque auctoritate instructae sedi Pontificiae ita propria reddita fuisse, ut per eam inevitabiliter exerceri debuerint, et cum palmari Ecclesiae utilitate exercita fuerint. In probam asserti hujus sufficit adducere jus confirmandi Episcopos, et reflectere ad adjuncta Galliae sub Ludovico XIV. et Napoleone 1° omnem nervum ad efformandam sub jurisdictione Patriarchae Galliae Ecclesiam nationalem, intendente; extrema certe desolatio, aut plane schisma, Ecclesiae Gallicanae imminebat, fere saltem per juris confirmationis a Febronii asseclis inter accidentalia Primatus jura relati exercitium, aversum. — Divisio illa jurium in *essentialia,* quorum complexum efficiunt, secundum illos, nonnisi quae primis saeculis per Pontifices exerce-

bantur; et *accidentalia,* seu tardius exerceri coepta, Canonistis ita familiaris est reddita, quod recentioribus temporibus eam vix non universaliter, ii etiam, qui genuino Spiritu Ecclesiastico secus animabantur, adoptaverint; quamvis apud hos, magis nefors sensu objectivo sumta fuerit; prout nempe gravia, vel minus gravia, atque cum salute Ecclesiae proximum, aut remotum nexum habentia objecta erant; ita ex his jura essentialia, vel accidentalia derivabantur.

Quidquid interim sit, praeallata divisio sensu adversariorum Primatis Ecclesiae jura, si non penitus tollere, adminus inter arctissimos limites restringere cupientium, subsistere non potest. Cum enim Primatus unitatem in Ecclesia, usque ad consummationem saeculorum duratura, pro scopo habeat; Primati Ecclesiae Romano Pontifici, cuncta suppetere debent adminicula, ad obtinendum finem ducentia; secus Divinum hocce Institutum parum opitulabitur Ecclesiae, quam omni pene aetate, arte procuratis tempestatum periculis, adversus haec tutare non valeret, fluctibus incertis exponendam. — In Ecclesia Jesu Christi, grano Synapis comparata, dum in primordiis constitueretur, pullulabat, succrescebat, ob ipsam etiam fidelium a qua celebrabantur morum simplicitatem, conscientiae teneritudinem, promptissimum potestatibus sublimioribus obsequendi studium; non erat opus frequente Primatis Ecclesiae interventu, et hoc ipso jurium Primatialium ampliori exercitio. Juris autem in tota sua extensione non usus, per Divinum Ecclesiae Statorem Petro et ejus successoribus tributae praerogativae, praejudicium inferre non potest. Sufficit quod historia id ipsum testante, muneris sui conscii Petri successores, prout ratio temporum, Ecclesiae utilitas, scopus item Primatus exposcebat, qua Depositarii, de plenitudine Potestatis sibi creditae protraxerunt nova et vetera, per Ecclesiam tam dispersam, quam praecipue sive in generalibus, sive in particularibus

Conciliis collectam, cum veneratione ultro et sponte recognita; sane Novatores docere non possunt, Jurisdictionem Primatis Ecclesiae, primis saeculis ad quae provocant, per Concilia, vel S. Patres aliquibus limitibus circumscriptam fuisse, aut Episcopos reclamasse, dum Pontifices Ecclesiae utilitate poscente, quaepiam ordinarunt. Ex iis, quae monumentis historicis consignata, ad nostra pervenerunt tempora, et exercitium jurium Primatus attinent, sunt: saeculo II. Victoris Papae in causa *celebrandi Paschatis;* Stephani in causa *Rebaptizantium* dispositio. Sixti II., et ejus successoris Dionysii, celebrem Dionysium Alexandrinum Episcopum cognomento magnum in onus responsionis trahentis, saeculo III.; item saec. IV. Julii Athanasium Alexandrinum, aliosque Episcopos per Arianos depositos, sedibus suis restituentis; praeterea Nestorii, Dioscori, Photii pertinaciam et arrogantiam frangentium, Romanorum Pontificum facta, quorum recensio ad historiam Ecclesiasticam pertinet. Esto autem Romani Pontifices teneantur omnia per rationem, et positivam legem admissa media ad unionem fidei et disciplinae conservandam adhibere, et ea necessitati ac utilitati Ecclesiae adplicare; potestas tamen illorum absoluta et illimitata, aut arbitraria dici non potest. Verum quidem est, Primatis Ecclesiae auctoritatem esse supremam, ac pro foro externo nemini, nisi Deo, et suae conscientiae responsabilem; Personamque ejus prout Regum, inviolabilem fore; interim actiones ejus praxi et Spiritu Ecclesiae, S. Scriptura, Traditione, Decretis Conciliorum Oecumenicorum diriguntur. Jura Episcoporum, prout et bonum totius Christianitatis respicit; reveretur legem illam Divinam, ac naturalem, quae supremae cuilibet potestati modum praefixit *in aedificationem scilicet non in destructionem.* Novit regimen Ecclesiae quod Christus constituit, in charitate et humilitate fundatum esse, qui major est inter vos fiat sicut minor. Hanc

humilitatem factis expresserunt Pontifices, ita S. Gregorius ad Eulogium Episcopum Alexandrinum scribit: „Verbum jussionis, peto a meo auditu removete, quia scio qui sum, qui estis; loco enim mihi fratres estis, moribus patres, non ergo jussi, sed quae utilia sunt indicare curavi“ [1]). Et Gelasius PP. omne arbitrium a sede Apostolica amolitur et declarat: „Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem prae caeteris oportet, quam primam, quae et unam quamque Synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit“ [2]). Unde Georgius Döllinger in Comitiis Bavaricis cum veritate dicere potuit, e casibus 50 bonum Juristam et Theologum 49 in antecessum ita determinaturum, prout eos sedes Apostolica decisura est. — Neque cum fundamento asseri potest, incrementum Jurium Romani Pontificis, Decretalibus Isidori peccatoris, vel mercatoris tribuendum esse; certum enim manet, jam ante tempora Isidori, Ecclesiae utilitate id svadente Romanos Pontifices ampliorem saepe exercuisse auctoritatem, quam iisdem Isidori Decretales tribuerint, aut quam subsequis post septimum saeculum, apud Gallicanos et Febronianos lineam demarcationalem constituens temporibus evolverunt, quod ipsum Bossuetus etiam recognoscit, minime dubitando statuere: „*Haec habens et exercens Apostolica sedes tanta antiquitus auctoritate viguit, ut postea fidens dixerim, imminuta magis, quam aucta esse videatur*“; postquam vero ad id comprobandum plura exempla e S. Leone M. et Gelasio adferret, concludit: *quis autem Pontifex posteriore aetate, qua nonnullis potestate aucti videntur, tanta auctoritate, tanta gessit* [3])? quibus stantibus historicum Febronianorum e primis septem saeculis petitum argumentum suapte ruit.

---

[1]) L. 8. ep. 30. — [2]) epist. 13. ad Dardanos. — [3]) Defens. declar. §. 10. in corollario.

Id quidem innegabile est, exercita prius per Metropolitas, et Synodos Provinciales complura jura, successu temporis ad Romanos Pontifices transivisse; meminisse interim juvat, utrumque institutum hoc tam nempe Metropolitarum, quam Synodorum Provincialium, esse juris humani; sicut proinde immunitates, privilegia, favore et gratia humana eidem accesserunt, ita adjunctis rerum mutatis haec eadem cessare potuerunt, et cessarunt exercitio illorum in Romanos Pontifices, fontem nempe ex quo dimanant transeunte, non per usurpationem, quod perperam adstruunt Febroniani, verum aliis de causis. Inter praecipuas refertur, summa veneratio erga primam sedem, et Auctoritatis Primatialis tantus respectus, quod Metropolitae et Synodi Provinciales, de quibus hic unice sermo est, graviores causas Romanis Pontificibus decidendas substraverint; non erat proinde opus usurpatione aut pertractione negotiorum ad jurisdictionem suam ibi, ubi per Metropolitas et Synodos sponte, ac ea firma cum persvasione deferebantur, cuncta in emolumentum Ecclesiae prosperoque cum Successu decidenda, promovenda, aut superanda fore. Succesive Synodorum Provincialium celebratione variis ex causis, eo non obstante, quod magni nominis Pontifices, uti Innocentius III. cum asservato per eum Lateranensi Concilio 4°, Nicolaus III. et V. Urbanus V. Pius II. et e subsequis complures pro iis revehendis zelaverint, in desvetudinem abeunte, ob ampliorem Ecclesiae utiliatem, et ad Unitatis scopum eo securius obtinendum exercitium jurium illorum, quae Supremae in Ecclesia Auctoritati magis congruebant, et ab ea etiam utilius geruntur, ad Romanos Pontifices transivit. Plura in unum ut dicitur nucleum contraxit, ad objectum hoc pertinentia, Canonista Zallwein dum inquit: Causae ampliatae potestatis Pontificiae erant ipsa spectabilis Dignitas Primatus Pontificis, frequentiores consultationes, relationes, provo-

cationes et appellationes ad sedem Pontificiam factae, praesidentia Pontificia in Conciliis, cessatio Synodorum Provincialium, aliqualis in tuendis suis juribus negligentia, et spontanea submissio Metropolitarum, et insufficientia illorum ad componendos motus et turbines ad hunc apicem Supremae Jurisdictionis evexit Pontifices. Ultima denique causa principalis refundenda est in singularem Dei providentiam, bono Suae Ecclesia mirabiliter consulentis, quam ipse etiam Claudius Fleuryus, in hac ipsa admirabili dispositione adorare, non dubitavit“ [1]). Quisnam sit quoad plenitudinem Potestatis Romanorum Pontificum, item relata ad jurium exercitium, et reservationes Ecclesiae Catholicae sensus, clare docet Oecumenica Synodus Tridentina „*Merito Pontifices maximi pro Suprema Potestate sibi in Ecclesia Universa tradita, causas aliquas Criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare*“ [2]). Legitime proinde congregata Ecclesia in Synodo generali, non dubitavit enunciare, eam plane, quae ad Sacramenti Poenitentiae administrationem pertinet Episcoporum potestatem, Auctoritate Pontificia limitari posse; hoc ipso autem amplioris indaginis negotia et causas ad Summos Pontifices pertinere et referri voluit. Demum divisione hac civitate donata, particulares Ecclesiae, Dioeceses periculis exponuntur; perfacile enim evenire posset, ut affectu, proprio interesse abducti Metropolitae aliqui et Episcopi, cum Unitatis Ecclesiae scissione et perturbatione, exercitium jurium sic dictorum Accidentalium, sibi vindicent, prout id in Congressu Embsano factum fuisse tristi memoria tenemus, et unde in Ecclesiam Germaniae gravissima detrimenta dimanarunt. Praetextus abusuum, contra quos Febroniani clamitant, jura le-

[1]) Princip. jur. eccles. t. I. p. 716. — [2]) Sess. 14. C. 7. de casuum reserv.

gitima tollere non potest; abusus enim ex ipso jure non proficiscuntur, sed sunt vitium personale. Si ob abusus negandum esset jus et potestas legitima, tunc et Regia aut alia Suprema Civilis potestas, et Metropolitica et Episcopalis, quae sive ob fragilitatem sive ob malitiam humanam, abusibus patent, tollenda veniret, quod tamen absque totius Status publici gravissima convulsione fieri nequit. Denique distinctio haec jurium inter essentialia, originaria; et accidentalia, adscititia, dotibus *divisionis* destituitur; est enim adeo indeterminata, quod in formandis cathegoriis Canonistae inter se multum dissentiant; nam dum alii unum aliudve jus in seriem essentialium referunt, eadem jura per alios accidentalibus accensentur. Quae interim jura Primatui adnexa sint, hic pleraque in specie, sed et in decursu operis exponuntur.

§. 5. Jura Primatus Ecclesiae Romanorum Pontificum in Specie.

Cum Scopus Primatus, ut e supra allatis patet, sit conservatio Unitatis, et quidem tam illius, quae ad fidem, quam et quae ad charitatem, seu mutuam in pace et harmonia communionem pertinet; haec ipsa Unitatis Ecclesiae conservatio, pro criterio jurium Primatus statui potest; ad praefixum enim eminentem scopum obtinendum, media etiam suppetere debent, quorum complexus Jura Primatus Romanorum Pontificum constituit. Itaque Primas Ecclesiae, Romanus Pontifex

1° Habet jus exigendi relationes e totius Catholici Orbis partibus [1]). Jus hoc immediate profluit e scopo Primatus; ut enim Unitas conservetur, opus est noscere statum totius Ecclesiae, et cum Pontifex ubique locorum et terrarum adesse non possit, hunc non

[1]) Can. 24. q. 1. C. 12.

aliunde, quam e relationibus cognoscere valet. Ex hoc obtutu Primates, Metropolitae, Episcopi de suis Dioecesibus; prout etiam Abbates et Praelati Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes [1]), quoad ea, quae ad fidem et disciplinam pertinent pro ratione remotiorum vel proximarum ad sedem Apostolicam Provinciarum, jam singulo triennio, vel quadriennio, et quod in Hungaria et Ditionibus Austriacis obtinet, omni quinquennio; exceptis extraordinariis circumstantiis, de quibus sine dilatione, relationem praestare obligantur, — et quidem periodicam hanc juxta puncta per Benedictum XIV. de Syn. Dioec. lib. 13. in fine sub titulo: Instructio S. Congregationis Concilii pro Episcopis, Primatibus et Patriarchis, super modo conficiendi relationes statuum suarum Ecclesiarum etc. uberius praescripta. In qua relatione Episcopi, etiam Postulata si quae habent proponunt. Relationum, — in quantum eaedem memoria historica conservantur, — ad Sedem Apostolicam *Cathedram Petri, ex qua Unitas Sacerdotalis orta est* [2]) exempla antiquissimis temporibus inveniuntur. Theodoretus Cyrensis Episcopus in epist. ad Leonem initia illarum ad tempora Apostolorum refert, in exemplum adducendo S. Paulum Apostolum in controversia de Legalibus semet ad S. Petrum principem Apostolorum convertentem. Memorabile hujus documentum praebet etiam Synodus Sardicensis, quae de eo persvasissima, quod Romano Episcopo sollicitudo omnium Ecclesiarum incumbat, in ep. Synodica ad Julium I. ita scribit: „Hoc optimum, et valde congruentissimum esse videbatur, si ad Caput, id est ad Petri Apostoli sedem; de singulis quibuscunque provinciis Domini referant Sacerdotes.“ Ita retulerunt Episcopi Africae Stephano I. de conclusis Synodalibus. Ea quippe erat erga Successores Principis Apostolorum veneratio, ut nihil fere gravioris mo-

[1]) Benedict. XIV. constit. „Quod Sancta. — [2]) S. Cyprianus ep. 55.

menti evenerit in orbe, quod ad eos relatum non fuisset. Propululavit aliquis error; aut factiosorum hominum violentia oppressae leges vel justitia gemebat; refugium fuit sumptum ad Romanorum Pontificum fidem, consilium ab eorum doctrina, auxilium ab auctoritate petebatur. Jus hoc nec ipse Febronius controvertit, imo illud juridice et historice Pontifici asserit: „Ad Papam referenda sunt inquit, illa, quae ad Statum Ecclesiae pertinent, quia servandae Unitatatis in fide, et incorruptae in substantialibus disciplinae primaria sollicitudo ei incumbit“ [1]). Item „Sextum Pontificiae Authoritatis Augmentum debetur frequentibus illis particularium ad Romanam sedem relationibus, et inde ad has remanentibus responsis“ [2]).

Juri huic necessario correlata est libera Capitis Ecclesiae cum membris communicatio. Haec priori saeculo in nonnullis Regnis coarctari coepit, quam tamen jam ante annum 1848 concordata liberam reddiderunt. In Hungaria, ubi decursu saeculi hujus complures Josephi II. Imperatoris et Regis Dispositiones revocatae sunt, aliarum autem vigor non urgebatur, respectu quinquennalis relationis libera Communicatio, epocha etiam Annum 1848 praecedente exstitit; haec enim in specie in Dioecesi Nitriensi, tam sub Episcopo Josepho Vurum, quam et ab eo tempore repertitim, Sedi Apostolicae directe, et non via Cancellariae R. H. A. substernebatur, ipsa autem responsa, non via Legationis, ast recta Episcopo referenti submitti consveverunt. Interim si quae impedimenta adhuc remansissent, illa plene sublata sunt ope b. suae Majestatis Sacratissimae ddo. 18. Aprilis 1850 Resolutionis, tenore cujus declaratur: Tam Episcopis, quam et Fidelibus semet in negotiis Ecclesiasticis ad Papam convertendi, et decisiones ac

[1]) In opere: De Statu Ecclesiae et de legitima Potestate Romani Pontificis, liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione christianos compositus. Bullioni 1763. C. 2. §. 6. — [2]) C. 3. §. 7.

dispositiones Pontificis accipiendi, citra Civilis Jurisdictionis interventum, liberum fore.

2° *Pontifici competit jus mittendi Legatos et Nuncios*[1]); quod jus e scopo Primatus derivatur; Provinciae enim alicujus ea possunt esse sive politica, sive Ecclesiastica adjuncta, ut illa quae ad Statum Ecclesiae pertinent genuine ex relationibus cognosci nequeant, eotum necessitas exsurgit Legatos mittendi, qui in facie loci nomine Pontificis subversantia Ecclesiastica negotia cognoscant, et eadem coordinent. Sed et particularium Ecclesiarum negotia externa, necessitatem imponunt Correlationum cum Imperantibus Civilibus, quae sine Legatis, Nunciis foveri non possunt [2]). — Similiter ex obligatione Universalis Ecclesiae sollicitudinis, constituit Vicarios Apostolicos in Regionibus illis, ubi sive sedes Episcopalis necdum praeexistit, sive per diuturnam Episcopalis Officii vacantiam, aut cessationem, Capituli Jurisdictio Ordinaria est interrupta. Ita in Anglia ante 1852, et in Hollandia ante 1853 in defectu Episcoporum Vicarii Apostolici jurisdictionem Episcopalem exercuerunt. De Legatis et Nunciis fusius alibi, ubi de Cardinalibus agitur.

3° *Gaudet jure decreta in causis fidei et morum edendi.* „Profecto, — ut in Institut. Ecclesiasticis Mauri Schenkl ab Josepho Scheil editis, ad §. 244 in nota egregie observatur — haud bene consultum esset Ecclesiae, si quotiescunque unus alterve luxuriantis ingenii homo sanam maculare doctrinam conatur, aut exortae controversiae litesque ecclesiasticam turbare minitantur Unitatem, totus Orbis ad Concilium Generale evocandus, aut Omnium per orbem Praesulum Consensus explorandus, expectandusque foret, interimque error serperet, et Ecclesia alio tuendae, restaurandaeque Unitatis careret remedio.“ Fluit itaque jus hoc ex ipso Scopo Primatus, qui est Unitas

[1]) Cau. 25. q. 2. Can. 6. — [2]) Conc. Trid. Sess. 20. C. 20 de refor.

fidei. Hic valet a Saeculis usu veniens apud Catholicos principium illud: *Papa est ultimus judex controversiarum in rebus fidei.* — Continua Traditio docet, occurente in rebus fidei dubio, ad Papam recursum fuisse, cujus definitioni fideles semet semper humiliter subjecerunt [1]); ii autem, qui definitionem Sedis Apostolicae acceptare recusabant, pro haereticis habebantur; uti id factum cum Valentinianis, Cerdonianis, per Victorem damnatis, Quartodecimanis per Cornelium, Novatianis per Innocentium I., Pelagianis per Coelestinum I., Nestorianis etc.

4° *In rebus disciplinae jus Universales leges ferendi* [2]) Praeter Unitatem fidei, est etiam Unitas charitatis et communionis, utramque hanc procurare ad eminentissimum Munus Romani Pontificis pertinet; et posterior haec nisi per Universales disciplinares leges obtineri potest. Dein e sententia gravissimorum, una et doctissimorum virorum, nihil amplius commendat Ecclesiam, nihil eidem utilius est, quam sive in Liturgia, — prout universalis idmodi norma in Missali Romano, Pontificali item et Caeremoniali Episcoporum praescripta habetur, — sive in aliis Ecclesiasticis capitibus Uniformitas; quae non aliter procuratur, nisi per eum, qui jurisdictione Primatus gaudet, et cui omnium Ecclesiarum orbis sollicitudo incumbit. — Pontifices jure hoc antiquissimis Ecclesiae temporibus usos fuisse, docent historica exempla. Siricius Papa Damasi I. Successor, prohibuit ordinari eos, qui secundas nuptias contraherent, aut viduam duxerunt, seu in sensu juris *Bigami veri, aut interpretativi* erant; praescripsit Presbyteris et Diaconis Coelibatum; item ut vetus consvetudo, unice in Paschate et Pentecosten baptisandi conservetur, jussit. Innocentius I. priores duas leges renovavit; praeterea abstinentiam die Sabathi praescripsit. Hujus Successor

[1]) Diss. 19. C. 3. et seqq. — [2]) Cau. 25. q. 1. C. 6.

Zosimus (417) Clericos per Saltum ordinari vetuit. Horsum demum videntur referri — praeteritis antiquioribus exemplis, per Summos Pontifices, quoad modum assistendi mixtis connubiis, eaque contrahendi, dimissae legis dispositiones. Vana autem est nonnullorum Canonistarum sollicitudo, ne ferendae idmodi leges, cum commodo et utili particularium Ecclesiarum, cum legitime inducta consvetudine cum pactis et concordatis collidant; ad id enim evitandum, ea qua opus est providentia adhibetur per sedem Apostolicam, cui unice omnia adminicula suppetunt, ut et negotia utiliter gerantur, et illa quae realem collisionem parare possent, praevertantur.

Quod si tamen Episcopus ex observantia Constitutionis Pontificiae, relate ad disciplinaria objecta detrimentum enasciturum praevideret; cum Regimen Ecclesiae in aedificationem, non in destructionem constitutum sit; rationum Momenta in obversum, Summo Pontifici non tantum repraesentare potest, quin imo vi Muneris sui obligatur. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 9. c. 8. N. 3.

5° *Pontifex Generale Concilium indicit, eique praesidet per se, vel per Legatos suos, atque ejus Decreta confirmat.* Episcopos enim in unum convocare, eos taliter per tempus absentiae a sedibus suis, a Residentia personali dispensare, est actus Jurisdictionis Primatialis. Necessarium autem est, ut Caput membris jungatur, seu Pontifex Coetui Episcoporum praesideat, et ad Scopum Unitatis, ea quae constituta sunt confirmet. Alioquin sicut sine Romano Pontifice Episcopi Ecclesiam non constituunt; ita neque eorum Decreta, Decreta Universae Ecclesiae dici possunt. Caeterum de Conciliis, in specie de jure convocandi Concilia, distinctione item hierarchici, et jurisdictionis praesidii, ab eo, quod relate ad ordinem externum Imperatores exercebant, alibi fusius exponitur.

6° *In Legibus a Conciliis Generalibus latis dispensat.* [1]). Leges Ecclesiasticae non sunt ita immutabiles, sicut naturales et divinae; possunt quippe illae adjunctis exposcentibus totaliter tolli, aut manente quoad caeteros obligatione, effectus earum relate ad Personas singulares suspendi potest. Jus dispensandi involvitur conceptui Potestatis Legislativae; nam *per quas causas quid nascitur, per eas et dissolvitur.* Quia vero Pontifex jure leges ferendi gauderet, potest eas tollere, aut in casu particulari relaxare. Porro in Conciliis Generalibus latae Leges disciplinares, quibus condendis necessitas vel utilitas causam praebuit, pariter sunt dispensationi obnoxiae; generaliter enim, dum ex observantia legis in casu singulari mala graviora causanda prospiciuntur, et Legis universalis adplicatio cum majori aliorum bono consistere nequit, in Collisione idmodi, ex principio justitiae a jure communi recedendum est, seu tunc Dispensatio locum habet. Nemini vero jus hoc competere melius potest, quam ei, qui Ecclesiae Caput et Princeps est, cujus in totam Ecclesiam extenditur Jurisdictio, ad quem velut centrum unitatis, etiam ordinem et uniformitatem in dispensando manutenere pertinet. Demum ex principio juris; quod *inferior in lege Superioris dispensare non possit;* jus hoc inter jura Primatis Ecclesiae referri debet. Complures reperiuntur qui Romano Pontifici jus Dispensationes elargiendi controversum reddere non dubitant, eo quod primis tribus saeculis Episcopi respectu suorum fidelium necessitate exposcente leges ipsimet relaxaverint. Adversarii interim, vix aliqua hac in parte in statu sunt historica adducendi exempla; quia secus etiam non tantum Religionis fervor, sed et tenendae disciplinae zelus primorum Christianorum, necessitatem non imposuit petendae, et impertiendae Dispensationis. Dein etsi aliquae Di-

[1]) C. 4. de concess. Praeb.

spensationes in lege universali datae fuissent per Episcopos, id factum est ideo, quod ob persecutiones vigentes, cum sede Apostolica communicari non potuerit. Cessantibus autem persecutionibus, Concilia frequenter celebrari coeperunt, et tunc rarissimi qui intervenerant casus dispensationum eorsum deferebantur; subseque vero non tantum Episcopi, verum et Synodi in gravioribus casibus ad sedem Romanam recurrebant: alioquin si ad Leges relaxandas tantis, quot erant Episcopi, porro esset potestas, justus aderat metus, ne nervus disciplinae Ecclesiasticae totaliter dissolvatur. Hanc Pontificum potestatem venerabantur antiqua etiam Concilia; cujus exemplum praebet Oecumenica Synodus Chalcedonensis, Maximum Antiochenum illegitime quidem ordinatum, ast dispensatione S. Leonis pro vero Episcopo declaratum, exhoc obtutu inter Patres recipiendo. Hanc agnovit ipsa Synodus Basiliensis, secus non extendendae, ast restringendae Potestatis Pontificiae studiosa. Unde perperam adstruitur jus hoc a Metropolitis et Episcopis abstractum, Pontifices primum saeculo XI. exercere coepisse. Sane plena est historia Ecclesiastica dispensationibus, antea jam a sede Apostolica concessis, quas Thomassinus, Natalis Alexander, uberius recensent; et Fr. And. Frey Juris commentario Critico P. II. §. 47—52. casus Dispensationum usque ad tempora Concilii Tridentini deducit. — Primum exemplum Dispensationis per sedem Apostolicam factae, exhibet Eusebius [1]) et ex hoc Hieronymus [2]), memoriae tradentes, S. Polycarpi M., S. Joannis Apostoli discipuli Romam ad Pontificem Anicetum in objecto Solemnitatis Paschalis adventum. — Celeberrima Ecclesia Africana, de eo convicta penes Ecclesiam Romanam maximam potestatem existere, in causa Presbyterorum deserto Donato ad Ecclesiam redeuntium

[1]) Hist. eccl. 4. 14. — [2]) Cathol. Script. eccl. n. 17.

semet apud Anastasium Papam interposuerant. Imo ad initium saeculi IV. Melchiades Papa relate ad Episcopos, si alicubi pro una Ecclesia duo ordinati fuissent, disposuit, ut ordinatione prior, teneat locum, alteri autem de alia plebe provideatur, et hanc Dispensationem encomiis celebrat Augustinus. [1]) Eodem saeculo de Siricio Papa memoriae traditum est, quod iis, qui ignorantes ad gradum quempiam sacrum irrepsissent, veniam dederit, ut in ordine quem tenerent, perseverare possint.

Interim Adversarii argumentorum pondus, et historica facta refutare non valentes abusum juris in odium adducunt, et communiter provocant ad S. Bernardum, Eugenio Papae scribentem: „Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos Dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem. Denique quaeritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat; dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis Dispensatio, sed crudelis disspatio est“ [2]). Ast hoc loco S. Bernardus recte jus dispensandi Pontifici asserit, neque aliud dicit, quam quod ipsa Romanorum Pontificum et Conciliorum Decreta in respectu Dispensationum injungunt; ne quippe Dispensationes passim, vel temere, aut sine justa causa concedantur, et concessae in aedificationem, non autem in destructionem Ecclesiae tendant. Enunciatio proinde Bernardina juri huic non praejudicat, sententiam tamen eorum, qui unam et solam Papae voluntatem esse justam dispensandi Regulam asserunt, et Leges Ecclesiae Universales ab eo sine causa solvi posse adstruunt, egregie perstringit. Hanc in rem Thomassinus probe adnotat: „Illud altissime animo infigi operae pretium est, quod Pontifices, qui ab aliquibus

[1]) Ep. 53. ad Glorium et Eleusium. — [2]) l. 3. Confid. c. 4. n. 18.

Domini Canonum vocantur, Dispensatores tantum eorum sint, nec his vocibus Domini Canonum aliud significetur, quam eximia quaedam potestas de iis dispensandi, ubi Ecclesiae vel necessitas cogit, vel invitat utilitas." Vet. et Nov. Eccles. discip. P. II. lib. III. c. 28.

7° Juri *dispensandi*, nexum est *jus Reservationum* Romanis Pontificibus competens. Vis haec dimanat e plenitudine potestatis Ecclesiasticae, Pontificibus per SS. Patres et Concilia tributae, ob quam Episcoporum Jurisdictio tametsi institutionis Divinae, sic subest jurisdictioni Summorum Pontificum, ut necessitate Ecclesiae exposcente, atque justis de causis ab iis moderari et restringi queat. Ita esto potestas ligandi et solvendi Episcopis ex institutione divina competat, hanc tamen per Pontificem restringi posse nullus ambigit. „Unde, declarat Conc. Trid. — merito Pontifices maximi pro suprema potestate, sibi in universa Ecclesia tradita causas aliquas criminum graviores, suo potuerunt peculiari judicio reservare." Hoc ipsum statuendum etiam de Facultatibus Episcopis concedi solitis, in quibus continentur casus, quos sibi Pontifices reservant, et de iis decernunt. Caeterum Reservationes ad magnam Ecclesiae utilitatem tendere, nec ipsi inimici diffitentur.

8° Papa est *custos et vindex Canonum*, cui, qua Primati jus competit vigorem Legum procurandi, et implementum Canonum mediis Ecclesiasticis adurgendi [1]). Hinc fluit:

9° *Jus* vigore cujus a Praelatis et Rectoribus Ecclesiarum negligentibus et defectuosis in provisione Beneficiorum salvis devolutionibus intermediis, ut Cap. 18. de elect, in 6° exprimit: „*ad Romanum Pontificem potestas eadem devolvitur*", ne quippe pro defectu Pastoris Gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata, grave dispen-

[1]) Cau. 25. q. 2. c. 2. 15. 16.

dium patiatur. Cap. 41. de elect. e Conc. Lateran. IV. sub Innocentio III. celebrato; item Cap. de Suppl. neg. Praelat. quo etiam adplicari posse videtur Conc. Trid. Sess. 24. c. 20. Ubi *Legatis* interdicitur procedere contra clericos, nisi Episcopo prius requisito, *eoque negligente*.

10° *Jus Appellationes recipiendi* [1]). Per Appellationem hic intelligitur, tam a Judice inferiore provocatio, quae *judicialis* audit, quam et illa, dum quis in negotiis extra judicium tractatis, se laesum queritur, aut grave imminens personae, juribus, vel rebus suis praejudicium, avertere cupit, quae Appellatio *extrajudicialis* dicitur. Jus hoc spectata Institutione Primatus Jurisdictionis, ex Analogia item supremae Civilis Auctoritatis ita est proprium Romano Pontifici, ut indivulso nexu eidem adhaereat. Id enim indubitatum est, Primatem universae Ecclesiae suprema *Jurisdictione* praeditum esse, cujus potestatis Conceptus, jus recipiendarum Appellationum principaliter involvit. In Ecclesia Catholica, Judiciaria potestate praediti Episcopi, sive subjective, sive objective errare possunt; debet proinde reparandi erroris medium, et oppressae innocentiae refugium, seu supremus Judex adesse, qualem Ecclesia omni tempore in Romano Pontifice suspiciebat. Unde doctissimus Pontifex Benedictus XIV. diserte enunciat: „Appellationum jus adeo necessario connexum esse cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte inficiari; etenim cum Primatus praerogativa Romanus Pontifex sit Supremus in Ecclesia judex, cuique datur per Appellationem ipsius implorare tuitionem" [2]). Tametsi autem Decreta Conciliorum de Appellationibus qualiter instituendis disponant; jus tamen ipsum nunquam in quaestionem vocatum fuit [3]).

[1]) Cau. 6. q. 4. c. 7. et de Appellationibus. — [2]) de Syn. Dioec. l. 4. c. 5. — [3]) Conc. Trid. Sess. 13. c. 1. de ref. Sess. 24. c. 20. de ref.

Appellationes quippe frequenter iniquissimo Consilio, fraude in vexam immediati Superioris factas praecavere, neve exorbitantibus ingeniis, perturbationes causandi, obseqvium legi et Episcopis denegandi, ansa praebeatur, justis limitibus per Conciliorum Canones, utique a Romanis Pontificibus adprobatos, constringere necessum erat. — Quantum Analogiam attinet; nemo inficiabitur Principem Civilem, ex ipsa idea supremi imperii, jure pollere sibi subjectorum Appellationes recipiendi; ita summo Pontifici, cui Suprema in Ecclesia potestas tradita habetur, Appellationum recipiendarum jus proprium esse debet. Illi qui originem Juris hujus ultra tempora Concilii Sardicensis 351. celebrati extendere nolunt, et Jus Appellationum Romano Pontifici hic assertum fuisse contendunt, meminerint, in causa Athanasii Episcopi Alexandrini, per sectarios Arianismi, damnati, et ad Julium Papam confugientis, ante celebratum Concilium Sardicense, hunc Pontificem ad Eusebianos, ab Eusebio Nicomediensi, dictos — cum auctoritate qui praecipuas partes tulit, et jurisdictione scripsisse: „Oportuit secundum Canones, et non isto modo judicium fieri: —— „An ignari estis hanc consvetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est definiri possit:“ Unde etiam Socrates, qui initio saeculi 5. historiam Ecclesiasticam scripsit, eo loco ubi Eusebianorum modum agendi perstringit et de protectione per Julium Episcopis persecutioni expositis impensa loquitur, habet: „Quoniam Ecclesia Romana privilegium praeter caetera obtinebat“ [1]). Item huic coaevus historiae Ecclesiasticae Scriptor Sozomenus super praevio facto subnectit: „Quia propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, nempe Romanum Pontificem“ [2]). Appellationum ad sedem Pontificiam antiquitus factarum, plura praesto sunt exempla; ita mox

---

1) L. 2. c. 15. — 2) l. 3. c. 8.

memoratum S. Athanasii, dein Eustachii Sebasteni in Armenia Episcopi, quem ab Arianis depositum, Liberius Papa sedi suae restituit; et aliud Joannis Chrysostomi, qui cum facto Theophili Patriarchae Alexandrini, in Synodo ad Quercum plurium criminum reus damnaretur et deponeretur, uterque tam nempe Joannes innocentiae suae praesidium, quam et injustus Theophilus, sententiae in Joannem latae confirmationem, apud Romanum Pontificem quaesivit; et Innocentius I. Papa jure suo usus annullata damnationis sententia, Joanni Chrysostomo protectionem impendit. Copiosa appellationum exempla videri possunt in opere *„Febronius abbreviatus“* tomo 2. pag. 409. et seqq. ubi jus appellationum contra Febronianos egregie vindicatur.

11° *Pollet jure electos aut postulatos Episcopos confirmandi*, seu iis Canonicam Institutionem impertiendi, et eos *consecrandi* [1]), item *transferendi et resignationes recipiendi; deponendi.* „Non enim humana ait Innocentius PP. III., sed potius Divina potestate Conjugium Spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi Episcopus ab Ecclesia removetur; et ideo haec tria quae praemisimus non tam Constitutione Canonica, quam institutione Divina soli sunt Romano Pontifici reservata“ [2]). Coadjutorem Episcopo cum spe vel jure successionis dandi; cujus intuitu Conc. Trid. disponit: „Quod si quando Ecclesiae Cathedralis, aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Praelato dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a jure

---

1) Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. item Sess. 23. Can. 8. tum c. 4. et 5. de Postulat. — 2) C. 2. de translat. Conc. Trid. Sess. 24. c. 5. de ref.

et decretis hujus sanctae Synodi in Episcopis, et Praelatis requiruntur; aliae concessiones super his factae, subreptitiae esse censeantur" [1]. Fiunt interim haec omnia salvis praerogativis eorum, quibus jus Nominationis, aut Praesentationis, sive e privilegio, sive aliis Canonicis titulis competit; de quibus uberius suo loco. *Translationes,* Ecclesia semper nonnisi urgente gravi necessitate, vel utilitate admisit [2]; quae praesertim in Gallia frequentes, multorum malorum causa exstiterunt. — Quantum jura puncto hoc memorata attinet, Paulus Apostolus in Epistola ad Timotheum 1ª et ad Titum praescribit qualitates, quibus Episcopus ornatus esse debet; tum Religionis et Universae Ecclesiae bonum exposcit, ut Dioecesibus supremi Pastores legitime praeficiantur, ac spectatis dotibus ad munus tam sublime utiliter gerendum, idonei sint, de his vero judicare originarie ad eum pertinet, cui cura universae Ecclesiae incumbit, et qui in Pastorem non saltem ovium, verum et Pastorum constitutus est. Neque juri huic Primatus derogat id, quod nonnullorum saeculorum decursu, illud respectu Metropolitarum Patriarchae et respectu Suffraganeorum Metropolitae exercuerint. In primaeva enim Ecclesia, per totum orbem diffusa, ob persecutiones, locorum distantiam, adeoque ad Primatem Universae Ecclesiae difficilem accessum, alia de necesse debebat hac in parte introduci disciplina, quin propterea jus hoc Romano Pontifici controverti possit. — Imo ea saepe sunt novercantia temporum adjuncta ut exercitium juris hujus respectu nonnullorum Regnorum, velut unicum conservandae in Ecclesia Unitatis medium considerari debeat, cujus vividum exemplum praebet Gallica revolutio, ubi pluribus exauctoratis, aut semet abdicantibus Episcopis alii substituti et non per ostium intrantes, vix non Schismatis Origo fuerunt. Unde Dr. Ignatius Beidtel apposite notat: Wie heut zu Tage die Umstände stehen, gehört das Recht zu confirmiren — — beinahe nothwendig zur Erhaltung der Einheit. Wo käme man hin, wenn wie im Alterthum der Papst auf die Besetzung der Bisthümer nur einen mittelbaren Einfluß, welcher bei der heutigen Staatsorganisation nicht leicht auszuüben wäre, hätte? Der Geist des Standes ist in manchem Lande bei dem Clerus selten geworden. Wenn die Erzbischöfe noch die ehemaligen Rechte hätten, so hätten wir schon längst bloße Nationalkirchen, bei denen die Verbindung mit Rom auf einen bloßen Namen hinausliefe, und wenn Absetzungen oder Resignationen der Bischöfe ohne päbstliche Intervention stattfinden könnten, hätte es jede Regierung in ihrer Gewalt sich mißfälliger Bischöfe bald zu entledigen [1].

Caeterum de idoneitate electi, Examen in partibus fit; „cum deinde, uti Concil. Trid. praecitato loco habet, — hoc examen seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio, ac professione fidei ab eo facta, quamprimum ad sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur, ut ipse summus Pontifex, plena totius negotii, ac personarum notitia habita, pro Gregis Dominici commodo, de illis, si idonei per examen seu inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesiis possit utilius providere." Postquam itaque processus informativus in partibus per Nuncium, vel vicinum Episcopum Delegatum peractus Romam advenit; — *processus definitivus* in Curia praesuscipitur per Congregationem pro provisionibus consistorialibus. Referens est Cardinalis, potissimum Protector respectivae nationis, cui tres alii Cardinales adnectuntur, acta omnia examinaturi. Praeconisatio seu confirmatio fit per Papam in consistorio secreto. —

[1]) Ibid. Sess. 25. c. 7. de ref. — [2]) Cau. 7. q. 1. c. 19. 35. 37. 42.

[1]) Das kanonische Recht rc. pag. 499.

Quantum momenti insit juri huic Primatus, docent *Jansenistarum* ac in Hollandia Archi-Episcopi Ultrajectani, Haarlemiensis ac Daventeriensis Episcoporum quovis electionis casu sui confirmationem a Summo Pontifice enixe petentium exempla. Novissime erga recursum Hermanni Heykamp neo- nominati Jansenistici Daventeriensis Episcopi ope Brevis Apostolici d° 23. Augusti 1853. editi Pius IX. PP. declarat, se eidem confirmationem impertiri nequire, atque tam illum, quam et eos, qui sive ad nominationem, sive consecrationem influxerunt, excommunicatione feriit. Quid juris e speciali Privilegio Pontificum competat Archi-Episcopo Salisburgensi, relate ad confirmationem suorum suffraganeorum in subsequo de Metropolitis capite exponitur.

Resignatio Episcopatus, quae nisi e causis gravissimis, et absque conditione fit, tunc primum, dum per summum Pontificem acceptatur, in effectum abit. Causas Resignationis S. Thomas recenset per Benedictum XIV. adductas. „Unde, inquit Pontifex, Episcopus de abdicanda Ecclesia nullatenus cogitare potest, nisi cum noverit se a Pastorali Munere implendo prohiberi, sive porro impedimentum ab ipso profluat, ut si forte is reus esset alicujus criminis ex eorum genere, quae illius officii et ministerii executionem impediunt, aut si male affectae valetudinis habitu laboret; si illiteratus sit, aut irregularis; sive ex causis extrinsecis impedimentum oriatur, veluti ex improbitate populi, aut scandalo“ [1]).

Depositio unice propter gravissimum crimen incurritur. Cujus intuitu in Conc. Trid. dispositum habetur: „Causae Criminales graviores contra Episcopos, etiam haeresis (quod absit) quae *depositione*, aut *privatione* dignae sunt, ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur, et terminentur. Quodsi

[1]) De Syn. Dioec. l. 13. c. 16. n. 3.

ejusmodi sit causa quae necessario extra curiam Romanam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis a Beatissimo Papa eligendis. Haec vero commissio et specialis sit, et manu ipsius sanctissimi Pontificis signata; nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo Sententia definitiva“ [1]). Si Depositio non hac via fiat, tunc est pure Actus violentus, respectu officii Episcopalis omni juris effectu carens; atque sede sua citra praescriptum Juris Ordinem spoliatus, ante omnia in integrum restituendus venit.

12° Sicut *unire* Episcopatus, atque potestati subjicere alienae, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum suae Dioecesis unio et subjectio earumdem; habetur Cap. 8. de excessu Praelatorum. Jura haec ita correlata supponuntur, ut prout nemo dubitat, Episcopo, qui vi muneris sibi incumbentis tenetur fidelium spiritualia emolumenta procurare, jus esse uniones et dismembrationes, ac erectiones Beneficiorum intra ambitum Dioecesis faciendi, sic *Summo Pontifici,* cui cura totius Ecclesiae incumbit, *jus est* ad utilitatem fidelium *novas Dioeceses erigendi,* uniones, et dismembrationes faciendi. — *Erectio, unio, dismembratio, suppressio* Episcopatuum in Ecclesia Catholica est magnae considerationis, quae ex ipsa natura rei et postiva lege Pontifici competit. De jure hoc Pontificibus proprio, Thomassinus dicit: „Longa temporum serie, rerumque vicissitudine factum est, ut constituendi Episcopatus novi potestas, penes solum Romanum Pontificem esset. Non quod id sibi juris ipse reservaverit, ut imminuta Episcoporum jurisdictione augeret suam: sed quod aut negligentiores essent Episcopi alii in

[1]) Sess. 24. c. 5. de reform.

proferendis Christianae Reipublicae finibus, aut quod id honoris primae sedi haberent, aut quod Pontifici Principes confiderent magis, aut quod Petri sedem frequentius populi adirent, aut quod zelo fidei magis arderet Pontifex. Nisi ita mavis, quod Divino ita Consilio provisum sit, ita haec omnia dispensante Spiritu illo ipso Christi, qui Ecclesiam formans fingensque, et caput illi praestituens, capitique virtutem indens, legemque addens confirmandi caetera et illustrissima quoque sui corporis membra; jam inde ab incunabulis Ecclesiae praelusit, praemonstravitque, quid illi augurandum esset de futuris per Capitis maxime sui vim, et charitatem incrementis, quando Petri una et altera Concione, tam numerosa plebium multitudo Christianae se causae et Religioni adjunxit. His causis fieri potuit, ut ad Petri successores tota haec rediret potestas, non ante eis legis ullius imperio reservata, quam usus et consvetudo plurium saeculorum propriam illi fecisset“ [1]).

Principem Apostolorum plures fundasse Episcopatus, alibi dictum est, quo jure et Ejus successores Primates Ecclesiae universae, omni tempore usi sunt. Indubitatum quidem est, etiam per Metropolitanos, et Concilia particularia Episcopatus erectos haberi; id interim nisi consensu sedis Apostolicae, et Auctoritate ejusdem, — prout in Hungaria per S. Stephanum Proto-Regem, in Germania per S. Bonifacium, et in Anglia per S. Augustinum — factum fuisse, historia docet. Novissimis tamen temporibus in Anglia et Hollandia per Summum Pontificem erecti sunt Episcopatus, etiam reclamante respectivorum regnorum jurisdictione Civili. De jure hoc S. Gregorius VII. ait: „Soli Romano Pontifici licere novas plebes congregare, de Canonia Abbatiam facere, et e contra divitem Episcopatum dividere, et inopes unire“ [2]).

[1]) Vet. et nov. eccl. discipl. P. 1. l. 1. c. 55. n. 14. — [2]) l. 2. ep. 55.

Item S. Bernardus „potest — nempe Romanus Pontifex — si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus; potest inter eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare“ [1]). Caeterum jus hoc, ob nexum inter Ecclesiam et Civitatem, politicam item divisionem Regnorum, in regula exercet Papa cum assensu Imperantium Civilium; cujus rei in Hungaria de anno 1776. dum Neosoliensis; Scepusiensis, Rosnaviensis, Albaregalensis et Sabariensis; 1814. Cassoviensis et Szathmariensis; 1820. Eperiesiensis Graeci Ritus Unitus Episcopatus per dismembrationem erecti sunt, exempla suppetunt. Praeterea ope Bullae tertio idus Martii 1775. editae, Pius PP. VI. desiderante Augustissima Imperatrice et Regina Maria Theresia, plures Parochias ab Archi-Dioecesi Strigoniensi avulsas, et harum plures olim *jure exemptionis* Primati subjectas, respectivis Dioecesibus incorporavit ac canonice univit; qua occasione Dioecesi Nitriensi sex Parochiae adjectae, ac in perpetuum unitae fuerunt: Bossanensis, Elefanthensis, Kolossiensis, Kovarczensis, Széplakiensis et Szolcsanensis [2]). Novissimis temporibus per suam Majestatem SSmam proposita est sedi Apostolicae et ab hac in effectum deducta erectio Episcopatuum Lugosiensis in Banatu Temessiensi, et Armenopolitani (Számos-Ujvár) in Transilvania, qui una cum Magno-Varadinensi, antehac ad Strigoniensem Metropolitam pertinente, omnes Graeci ritus uniti, Fogarassiensi (Albajuliensis etiam titulo decoratae) sedi Metropolitanae per Summum Pontificem in habito 19. Decembr. 1853. secreto Consistorio subjectae enunciantur.

13° Summo Pontifici competit jus *Beatificationis*, et *Canonisationis* servorum Dei. Cujus intuitu c. 1. de reliquiis et ven. sanct. decernitur „Etiam si per eum

[1]) Epist. de Rom. Pontif. — [2]) Memoria Epp. Nitr. pag. 420. ex orig. Bulla in Tabulario Dioec. existente.

miracula fierent non liceret vobis ipsum pro sancto absque Auctoritate Romanae Ecclesiae venerari." Et Concil. Trident. Sess. 25. de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum et Sacris imaginibus Doctrinam Ecclesiae proponens ratione horum statuit: „Ut nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur." Beatificatio a Canonisatione differt in eo, quod beatificatus non ubique, verum particulari duntaxat loco, Ordini, Provinciae vel Ecclesiae tamquam sanctus coli permittatur; Canonisatum autem, per Universam Catholicam Ecclesiam cultu duliae et publice colere licitum sit. — Beatificatio et Canonisatio Sanctorum, jam in se ipso est gravissimi momenti pro Ecclesia Catholica negotium. Quod si vero spectetur id, Doctrinam de cultu Sanctorum suos semper acerrimos habuisse impugnatores, summum ejus momentum facile perspicitur. Opus est sagacissima perspicacia, severo, et ab omni partium studio alieno, super vita, actis, factis heroicis examine, opus ad dignoscenda miracula diversis adminiculis, ut quis tuto et cum morali certitudine pro sancto declarari possit; jam vero haec cum securitate nisi per sedem Apostolicam praesuscipi valent. Dein cum Ecclesia vigore tributae sibi judiciariae Potestatis, qua supremus morum Judex jure polleat, praemisso stricto examine e fidelium coetu quempiam pro pio exemplari declarandi, eumque ad imitandum et colendum proponendi; juris hujus totam Christianitatem concernentis exercitium ad Primatem Ecclesiae, in quo plenitudo potestatis Ecclesiasticae residet, pertinere debet. A saeculo 4° aerae Christianae ratione Martyris vel Confessoris recognoscendi, propositarum summo Pontifici precum ac elargiti per hunc consensus exempla reperiuntur; quorsum pertinet in specie exemplum S. Vigilii Episcopi Tridentini, in cujus Martyrii actis, Auctoritatis Pontificiae hoc in merito interpellatio velut jam quid-

piam usitati notatur. Caeterum ipsa beatificatio vel Canonisatio, nisi dispensatione accedente, non citius quam post effluxum ab obitu 50 annorum praesuscipienda, fit per Processum, ad quem instruendum super vita probatissima, heroicis factis, et tribus miraculis, copiosorum omni exceptione majorum Testium fassiones praesto esse debent. Acta haec Ordinarius respectivus Romam transponit *Congregationis Rituum* Secretario, et per hunc *Notario* tradenda. Congregationi Rituum ultro Cardinales, adjunguntur tres seniores Auditores Rotae, Suffragatores aut Consultores vel Qualificatores, Medici, Philosophi, aliique Professores, qui discutiant, an operationes, quae miraculis adscribuntur, revera sint supernaturales vel vero a causa naturali provenientes. Insuper est *Promotor fidei*, qui ex officio difficultates ponit, et impugnat, ideo dictus *Advocatus Diaboli;* et *Defensor* seu *Advocatus Dei*. Decem Anni, nisi Dispensatio superveniat, effluere debent ut Processus ad Signaturam Commissionis veniat. Haec, quae attacta sunt, observantur in Canonisatione Confessorum; intuitu Canonisationis Martyrum compendiosior procedura praescripta habetur; in essentialibus tamen quoad probas, utraque convenit. Postquam vero probationes in pluribus Congregationibus debite discussae fuerunt, asservatur Congregatio magis solemnis coram ipso Pontifice, qui audito voto Congregationis, Decretum super beatificatione edit. Ad Canonisationem porro Examen instituitur in *Congregatione Generali* coram Papa, et aliud instituitur in pleno Consistorio Secreto, tum asservatur Consistorium solemnius publicum, quo conveniunt Archi- et Episcopi in curia praesentes, et eorum etiam votum exquiritur; quibus favorabiliter et feliciter cedentibus determinata die summus Pontifex ad Basilicam Principis Apostolorum, in qua beatificationes servorum Dei, et beatorum Canonisationes,

fiere debere Benedictus XIV. disposuit [1]), cum Cardinalibus et Praelatis processionaliter pergit, et post celebratum per se, vel Cardinalem Missae Sacrificium, instante Procuratore causae, Pontifex pronunciat in hunc modum: — „Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, et exaltationem fidei Catholicae, et Christianae Religionis augmentum, Auctoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, de Fratrum Nostrorum consilio, decernimus et definimus: bonae Memoriae N. Sanctum esse, et Sanctorum Cathalogo adscribendum; ipsumque Cathalogo hujusmodi adscribimus, et demandamus ut per totam Ecclesiam colatur, ac officium ejus die N. celebretur" [2]). Ad haec Canonisatus idmodi, mox Albo Sanctorum infertur. Te Deum. decantatur, pulsus campanarum et explosio tormentorum instituitur, Indulgentiae conceduntur, taliterque actus idmodi cuivis Catholico momentosus terminatur. — Dum Comes Stolberg ad sinum Ecclesiae Catholicae redivisset; Lavater Protestans eidem scripsit: „Werde die Ehre der katholischen Kirche; übe Tugenden aus, die dem unkatholischen unmöglich sein werden. Werde ein Heiliger wie Borromaeus. Ihr habt Heilige, ich läugne es nicht. Wir haben keine, wenigstens keine, wie ihr sie habet."

14° *Jus Religiosos Ordines adprobandi, et abolendi* [3]). Qui regularium Ordinum non superficialem, sed accuratam et systematicam notitiam sibi comparat, ne uno quidem momento diffitebitur Institutum Religiosorum humanis oculis mirabile semet sistere, atque Ecclesiae Catholicae decus esse, in summam hujus utilitatem deserviens. Inde a primordiis Ecclesiae Religiosi erant paradigmata perfectionis Christianae, ad exstirpanda vitia, virtutes implantandas, Regnum Dei,

[1]) Select. const. P. III. Num. 4. — [2]) Caerem. Rom. l. 1. sec. 6. — [3]) C. 9. de relig. dom. C. un. in 6° de relig. dom. et C. un. de voto.

quod est Ecclesia, inter feras etiam Gentes dilatandum speciali Providentiae Divinae Munere opportunissimo semper tempore suscitati. Synodi Trident. Patres Sess. 25. c. 1. de regular. profitentur: „e Monasteriis pie institutis, et recte administratis, multum in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriri." Interest proinde Ecclesiae, ut honor Ordinis Regularium conservetur; penes eorum inductionem praecaveatur, ne Regula sive superstitioni fovendae subserviat, sive rigore nimio, aut vero laxitate a salutari scopo abducat; sed et necessarium est, ut stabilitati Ordinis consulatur; quae cuncta periclitarentur, et integrum Regularium Institutum precarium redderetur si inductio, et abolitio eorum, unice ab arbitrio cujuslibet Dioecesis Episcopi penderet; ut itaque Religio in Ecclesia subsistat, Regula debet esse a sede Apostolica adprobata. Neque stat opinio eorum, qui ad praecitatum Capitulum nonum asserunt, primum in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. constitutum haberi, ut nullus ordo regularis citra adprobationem Pontificiam recipiatur; in hoc enim Concilio Can. 13. id solum disponebatur, ne novae regulae acceptentur, sed eae in antiquis S. Augustini, S. Benedicti, S. Basilii fundatae sint; ipsum autem jus confirmationis, per Pontifices dudum jam frequentatum fuit. Ex jure confirmandi, oritur gravi necessitate exposcente, jus abolendi; *per quas causas enim quid nascitur, per easdem etiam dissolvitur.*

15° *Si utilitas amplior exigat, per Ecclesiam praescriptos dies Festos ad minorem numerum reducendi;* quod postulante Imperatrice et Regina Maria Theresia per Benedictum PP. XIV. ope Brevis die 1. Septembr. 1753 editi, ac in nexu et provocatione hujus, per Clementem XIV. die 22. Junii 1771. de plenitudine Apostolicae potestatis factum est. Sed et caetera inter, Pius PP. IX. 1853. pro Pedemontio necessitate exigente, dies Festos ad dies 10 restrinxit. —

16° *Indulgentias Christi fidelibus concedendi* [1]. Jus Indulgentias elargiendi plenarie residet in solo Romano Pontifice, qui Ecclesiae Thesauri ex infinitis Christi meritis, Sanctorumque Satisfactionibus conflati Custos, Administrator et Dispensator est, atque a Summo Pontifice profluit in Episcopos: ait Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. c. 9. n. 7.

17° *Alienationes bonorum Ecclesiae admittendi vel denegandi;* Extrav. com. c. un. de rebus Ecclesiae non alienandis, ubi diserte decernitur: „Ut alienatio Bonorum Ecclesiasticorum *inconsulto Romano Pontifice non teneat,* et recipientes sententiam Excommunicationis incurrant. Praelati vero secus facientes variis poenis subjiciuntur.“ Huc pertinet Juramentum quod occasione Consecrationis Electus deponit: „Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque inpignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli Ecclesiae meae, *inconsulto Romano Pontifice;* et si ad aliquam alienationem devenero poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo“ [2]. Sicut autem inconsulto Romano Pontifice Bonorum alienatio fieri nequit, ita ad firmitatem juris, summi terrae Principis consensum requiri suapte sequitur; nisi forte per pios fundatores et benefactores Ecclesiae in singulari casu secus provisum fuisset. Mobilium exposcente *gravissima causa* abalienatio, praevias juris formalitates non requirit. Cau. 12. q. 2. c. 13. 14. 70.

18° *Jus concordata ineundi:* agendum itaque:

De Concordatis, et eorum utilitate.

Concordata lato sensu dicuntur conventiones publicae, quibus plura Civilia Regimina ad communem scopum semet uniunt. Ita in Helvetia Conventiones inter Cantones Concordata dicuntur. *Stricto sensu* Concordati nomine veniunt Conventiones inter duas potestates Ecclesiasticas, vel Potestatis Ecclesiasticae e. g. Episcopi cum Potestate Civili de negotiis Ecclesiasticis. — Demum *sensu proprio* concordatum est, conventio aut publicum pactum inter Pontificem qua Caput Universalis Ecclesiae, et Civilem Regentem, coordinationem negotiorum Ecclesiasticorum pro objecto habens. Unde patet Concordatum distingvi a privilegio, quod est jus quoddam permanens, per Legislatorem concessum. Concordata dividuntur in *temporanea,* et *permanentia,* prout nempe ad tempus determinatum vel secus inita sunt. Idmodi temporaneum Concordatum fuit, inter Martinum V. Pontificem, post Concilium Constantiense, et Nationem Germanicam pro quinque annis initum. Dein sunt *particularia,* vel *generalia,* priora habent pro objecto specialia gravamina aut postulata; qualia erant Germanorum antiqua Concordata, quibus annatae, reservationes, collationes, menses Papales regulabantur; posteriora vero seu Generalia quorum objectum est, constabilitio jurium et obligationum ad statum externum Ecclesiae Regni alicujus pertinentium. — Cum Concordatum sit pactum publicum, promissio item acceptata non vero gratia, aut privilegium mere gratuitum; Concordatum inducit obligationem juris naturalis, neque eapropter ab eo sive in parte, sive in toto unilateraliter recedere integrum est. Si tractu temporis dubium quodpiam occurrat, in interpretando, id, quod juri communi maxime conforme est, adoptari debet.

Medium hoc, si non unicum, adminus opportunissimum, per Concordata, res Ecclesiasticas vicissitudine temporum perturbatas, componendi, et Concordiam, *unde concordati nomen* restituendi, atque quod precarium et fluxum erat, pro emolumento Ecclesiae et Civitatis, stabiliendi, complures ex ipsis Catholicis, alioquin in verba Magistri Febronii jurantibus, na-

[1]) Conc. Trid. Sess. 24. Decreto de Indulg. — [2]) Pontificale Rom. de consecr. Electi in Episc.

ctum est impugnatores, dum eruditi Protestantium, qui eminentius bonum prae oculis habent eadem publicis Scriptis defendunt. — Malo hac in parte praeluxerunt exemplo Electores Germaniae, Archi-Episcopi Coloniensis, Moguntinus, Trevirensis, socio Archi-Episcopo Salisburgensi, qui redactis ad fontes Embsanos 1786, famosis ac Primati Ecclesiae universae praejudiciosis in 23 articulis punctationibus, articulo 6° sedis Apostolicae cum Natione Germanica inita Concordata pro cassatis declaraverunt. Inter impugnatores Concordatorum sunt nonnulli, qui jus conventiones publicas, seu Concordata ineundi Romanis Pontificibus velut relate ad Nationes aliorum Regnorum extraneis, jurium et consvetudinum ac legum particularium ignaris abjudicant, cupiuntque omnia ad jus commune suis utique philosophationibus conformatum redigi. Haec interim non subsistere, quivis facile perspicit, qui fundamento Doctrinae Catholicae innixus, in summo Pontifice Primatem Universae Ecclesiae, Centrum Unitatis, Patrem omnium populorum suspicit. Ex Institutione Divina Primas, cui non tantum honor, directorium, sed et jurisdictio competit, jus, et huic correlatam obligationem, inspectionis cunctarum Ecclesiarum orbis catholici habet; pro salute animarum vigilat; et qua vindex et Custos S. Canonum, et Institutorum Ecclesiae vi eminentissimi officii protector, de iis quae ad securitatem religionis et Ecclesiae immunitates ac statum externum pertinent, pro utilitate et incremento religionis ac Ecclesiae cum Imperantibus Civilibus pacta conventa inire obligatur. Convenit autem praecipue id Romano Pontifici, qui inde ab incunabulis Ecclesiae, qua Caput societatis Christianae maxima semper pollebat auctoritate, quam Spiritualis jurisdictio Eidem teste historia etiam tunc, dum in nulla aut longe minore ac nunc Ditionis Civilis proprietate constitueretur, uti temporibus Gregorii VII., et Innocentii III.

Papae, conciliavit. Convenit vero etiam propterea, quod Romano Pontifici, ad quem universae confluunt Ecclesiae, quive jure relationes excipiendi gaudet, plurima suppetant adminicula, status necessitates et omnia adjuncta resciendi, ac capta Rectorum Ecclesiae informatione, cum potestate Politica utiliter tractandi. — Porro cum Romanus Pontifex sit totius Ecclesiae, seu omnium orbis Catholicorum visibile caput, hinc eundem respectu fidelium, cujuscunque particularis Ecclesiae extraneam auctoritatem compellare idem est, ac caput respectu membrorum corporis extraneum dicere. Aequiorem hac in parte fovit sententiam ipse Febronius, dum in memorato opere: De statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis, Cap. VI. §. 10. haec enunciat: „Scilicet cum supremo Pontifici vi sui muneris incumbat cura, inspectio, et quaedam superintendentia in omnes Ecclesias, *is nullibi quoad hoc potest haberi pro extraneo.*"

Utilitas Concordatorum e supra allatis in patulo est. Absque publicis enim hujuscemodi pactis, ipsa nativa Ecclesiae, qua societatis Christianae, et magis adhuc concessa per Principes Civiles jura fluxa et precaria sunt, quae mutata Regiminis Persona, aut mutatis vel tantillum adjunctis, — jure ne vel injuria? — pro arbitrio tolli, et concessa revocari possunt; secus autem est, dum Concordatum, Conventio publica, a qua Unilateraliter recedere, data fides publica vetat, inter supremas independentes Auctoritates initur. Concordata denique ad Gravamina tollenda, differentiis finem imponendum, et quod plurimum est, Religioni et Ecclesiae securitatem procurandam, sicque aeternam ac temporalem salutem fidelium utiliter et efficaciter promovendam tendunt, atque hoc ipso magno suo emolummento semet commendant.

Quamvis jam saeculo IX. aerae Christianae vestigia occurrant Conventionum inter Ecclesiasticam et Civilem supremas Potestates, qualis est Coalitio

Hadriani I. Papae cum CaroloMagno, dein 962 Joannis XII. cum Ottone I. Imp. Concordata tamen proprio nomine tardius iniri coeperunt; ita initum fuit — ut supra — temporaneum Concordatum 1418 3ª Maji inter Martinum V. Papam et Nationem Germanicam; istud interim magis inter Sedem Apostolicam, et Nationem Germanicam subversantes juris publici quaestiones, cum primis circa reservationes, collationes Beneficiorum, Menses Papales, Annatas pro objecto habuit. Simile Concordatum est etiam sic dictum Viennense 1448 die 19 Martii inter Nicolaum V. Papam et Fridericum III. Imp. initum. Currens Saec. 19ᵘᵐ est Concordatorum feracissimum. Ad initium quippe Saeculi hujus post subsecutam Bonorum saecularisationem; Constitutio Ecclesiastica in Germania succussa, regimini Ecclesiastico grave vulnus inflictum, atque sors Ecclesiae precaria reddita est. Postquam autem ipsum Imperium etiam dissolutum fuisset; non aliud superérat, quam ad securisandos Catholicos subditos, separatim Concordata inire. Primum Concordatum initum est inter Pium VII. et Maximilianum Josephum I. Bavariae Regem 1817. Tenore cujus Articulo 1º Religio Catholica cum iis juribus, quibus ex Dei Ordinatione, et Canonicis Sanctionibus frui debet, conservanda decernitur. Articulo 2º Dioeceses Bavariae determinantur. Articulo 4. et 5. Reditus Beneficiorum Majorum, et Seminariorum in fundis stabilibus designantur. Ultro Sphaera jurisdictionis voluntariae et contentiosae, juxta Decreta Concilii Tridentini stabilitur. De non impediendis Episcopis in officio, quoad scholas publicas decernitur.— Eadem temporis Epocha Conventio similis facta est, et quidem 1821 cum Rege Borussiae; Virtembergiae; Magno Duce Badensi. Non secus et in Regno utriusque Siciliae, Ecclesia Catholica per invasionem Gallorum detrimenta passa, coordinari debebat; quod per initum Anno 1818 inter Pium VII. et Ferdinandum I. Regem Concordatum factum fuit.

Simile Concordatum antehac inivit Benedictus XIV. PP. 1742. cum Regno Sardiniae, per quod differentiae, relate ad vacantias Officiorum Ecclesiasticorum in Sabaudia qualiter complendas sopitae, super libera Communicatione cum sede Apostolica, de limitibus jurisdictionis Ecclesiasticae, de immunitate reali et locali, aliisque conventum fuit. Exaequationem differentiarum quoad Jurisdictionem Spiritualem, et Immunitates Ecclesiasticas continet praeterea Instructio de 28. Jan. 1770 per Clementem XIV. PP. edita et per Regem Sardiniae confirmata [1]. Mentio adhuc initienda venit duplicis Concordati, quae Leo X. Papa cum Galliarum Rege Francisco 1º Anno 1516, et Sigismundo Báthory Poloniae Rege 1525 inivit. Posterius hocce, vicissitudinibus temporum succubuit; relate vero ad prius, Gallicanum nempe, plura memoria digna occurrunt. Per istud Concordatum quippe, Sanctio Pragmatica Caroli VII. Regis Galliae 1438 legis vigore donata, et articulis 23 potissimum Decreta Concilii Basiliensis continentibus consistens, sublata fuit; qui Articuli enunciantes necessitatem celebrandi Generalis Concilii, Superioritatem hujus supra Papam; restrictionem Jurisdictionis Pontificiae, abolitionem Reservationum expectativarum; Annatarum etc. Primatem Universalis Ecclesiae vix non ab omni Inspectione, et Influxu excluserunt. Sanctioni Pragmaticae substitutum Concordatum isthoc in 5º Lateranensi Concilio confirmatum, vigorem suum usque ad exortam cum fine saeculi 18ⁱ cruentam revolutionem retinuit. Arae eotum, et Thronus eversa, et cum Constitutione, omnes etiam Institutiones Ecclesiasticae annihilatae sunt. Afflictissimo

---

[1]) Reperitur una cum comitivo Papae Rescripto et Regis Confirmationali Decreto, in Collectione Concordatorum Ernesti Münch, p. I. pag. 516—522. Qualiter interim novissimis temporibus in Sardinia a Concordato et Principiis Ecclesiae Catholicae recessum sit, publice notum est.

sub sanguinea decennali Anarchia gementi statui Galliae consulendi, atque Religionem et Ecclesiam reducendi, unicum medium in Concordato positum esse videbatur; quod etiam inter Pium VII, et Napoleonem Bonaparte Consulem 15 Julii 1801 medio Cardinalis Herculis Consalvi, et Josephi Bonaparte initum fuit. Caeterum Anarchia cessante, et rebus Galliae compositis, 1817. die 11. Junii vetus illud Concordatum de 1516 Leonis X. et Francisci I, vigori suo redditum est.

Novissimis temporibus initum est Concordatum inter modernum SSmum. PP. Pium IX. et Isabellam II. Reginam Hispaniae; item aliud, inter eandem sedem Apostolicam et Toscaniae Magnum Ducem die 25. Aprilis 1851° conclusum. Hujus praecipua puncta sunt: 1° Auctoritas Ecclesiae in suis obligationibus plene libera recognoscitur; respectu Religionis, Cultus et Moralitatis, contra Scandala per Civilem Potestatem succolabitur. 2° Episcopi omnia libere publicant. 3° Habent jus praeventivae Censurae quoad religiosa opera; possunt item fideles a lectione pravorum librorum removere. 4° Eos qui sibi idonei visi fuerint, pro praedicatione verbi Dei applicant. 5° Iisdem tum et fidelibus libera cum S. Sede communicatio concessa. 6° Causae Activae et passivae Patrimonii Ecclesiae et Fundationum ad judicium Civile pertinent. 7° Ea vero, quae Sacramentorum Administrationem; S. Functiones et Disciplinam concernunt Auctoritati Ecclesiasticae subsunt. 8° Quaestiones juris Patronatus ad forum Civile relatae. 9° Fora Ecclesiastica decidunt causas Matrimoniales, juxta tenorem Concilii Trident. Sess. 24. C. 12. et Bullae: „Auctorem fidei.“ Quoad effectus autem Civiles, judicant Fora Civilia. 10° Criminalia, quae cum Officio nexum non habent, ad Forum Civile pertinent; exceptis iis, quae jure Canonico inter delicta Clericis propria referuntur, uti: Apostasia, haeresis, schisma, simonia, profanatio Sacramentorum, prostitutio Officii. — 13° Libera administratio Bonorum et Beneficiorum securisatur. 14° Haec in casu vacantiae, sub praesidio Episcopi commissio administrat juxta Sanctiones Canonicas, et fructus converti debet in bonum Ecclesiarum Toscaniae. 15° Quoties de mutanda piorum Fundatorum intentione ageretur, id in mutua Ecclesiasticae, et Civilis Auctoritatis cointelligentia fieri debet, et ubi S. Canones exposcunt, consensus S. Sedis expetendus venit. — Demum Concordatum coaluit inter sedem Apostolicam, et Rempublicam Guatimalensem, per Summum Pontificem tertio Nonas Augusti 1853 confirmatum. — *De Primatu Romani Pontificis, ejusque Juribus, copiose agit hujus tituli Opus, quod scripsit Augustinus Roskovànyi Canon. Agriensis.*

§. 6. Jura Primatus Honorifica.

1° Habet *Praecedentiam*, et *Praesidium* prae omnibus cujuscunque Nominis Ecclesiasticis Principibus. 2° Speciales tituli Eidem proprii sunt: Episcopus Episcoporum, Papa, Vicarius Christi, Successor Petri, Summus vel Maximus, aut Sanctae et Universalis Ecclesiae Pontifex; scribit se: *servus servorum Dei*, et quidem a temporibus Gregorii Magni, qui — dum Patriarcha Constantinopolitanus Joannes Jejunator, in celebrata 587. Synodo ambitiose Nomen Patriarchae Oecumenici assumpsisset, — titulo hoc humilitatis uti coepit. Tum in allocutionibus, vel repraesentationibus et recursibus Pontifici substratis adhibetur: *Beatissime Pater* in contextu vero: *Sanctitas Vestra.* 3° In integro orbe Catholico, memoria illius in publicis Orationibus, et precibus habetur; prout et per quemvis Sacerdotem penes Missae Sacrificium in Canone *memento* pro eodem fit, tum quoquo Loco et Regione per Clerum et Populum, solemni Processione excipitur. 4° Ab immemoriali in usu habetur Osculum

Pedis, seu sic dicta *Adoratio*. Cardinales osculantur Pedem et Manum, quos dein Pontifex amplexatur. Patriarchae, Archi- et Episcopi *Pedem* et *Genu*, caeteri vero Clerici et Laici unice *Pedem* osculantur. 5° Utitur Papa distinctivis Insignibus, et quidem: *Throno* seu *Sede Apostolica; Annulo Piscatoris* in Brevibus pro Sigillo adhiberi solito, et in Navicula Petrum sedentem repraesentante, ac Nomen Pontificis inscriptum habente. *Tiara* tribus Coronis circumdata, quae Magistri Ecclesiae, Judicis et Legislatoris; aut vero prout Vitus Pichler opinatur, triplicem Potestatem, nempe: *Ordinis*; *Jurisdictionis supremae Spiritualis in universam Ecclesiam; et Jurisdictionis temporalis* in suas Ditiones, seu in Patrimonium S. Petri, — designat [1]. Principio erat una Corona duntaxat, quam Chlodovicus S. Hormisdae Papae 523 mortuo, sub nomine *Regnum* misit. Dupplicata Corona Nicolaus II. — 1061. mortuus utebatur; triplicata autem seu *Triregnum* sub Clemente V 1314 mortuo exstitit. — „Romanus Pontifex non utitur baculo pastorali, tum propter historiam, tum propter Mysticam rationem" [2]): baculo tamen in parte suprema Cruce ornato, et *Pallio* ubique, et omni tempore utitur: cum tamen Metropolitae baculum inflexum adhibent et Pallio nisi intra Provinciam suam, et determinatis Festivitatibus uti possint. Quoad baculum pastoralem illa Mystica ratio dicitur, quod baculus curvus limitatam, et ab alio Superiore communicatam potestatem significet: qualis Potestas Papae per neminem communicatur.— Praeterea ad solemnem ornatum pertinent Sandalia purpurea ex serico, cum intertexta acu phrigia cruce ex auro; dein alba sericea toga, supra hanc Rochetum et Cappa; Stola tribus crucibus distincta, et lapidibus pretiosis ornata, album Capucium usque au-

---

1) Summa Jurisprudentiae Sacrae l. 1. tit. 6. de elect. p. 92. edit. 5.— 2) Innoc. III. C. Un. de Sacr. Unct. §. 8° in fine.

res protensum. 6° Inter honoris praerogativas referuntur etiam *Legationes* partim post Electionem ad contestandam erga Pontificem, qua totius Christianitatis Patrem observantiam et fidelitatem, per Monarchas mitti solitae; partim vero scopo negotiorum in Aula Pontificia pro Stabili existentes. „Competit enim Papae Potestas *temporalis*, sive *politica*, quam habet in tota Ditione Ecclesiastica, more Principum caeterorum, qui summo potiuntur imperio. Potestas haec, sive repetatur ex consensu Populorum, sive ex Principum Donationibus, sive ex diuturna praescriptione, sive etiam ex Onerosis Contractibus, tam justum porro est, tamque legitimum Pontificium imperium, ut nemini potiora jura esse possint" [1]). Mox cum exordio, et jam sub gravissimis persecutionibus, Ecclesia Romana non tantum Spiritualem Suprematiam super omnibus fidelibus exercuit, sed etiam divitiis affluxit. Habebat quippe teste Eusebio historico, longe ante tempora Constantini Magni Possessiones Romae, circa Romam, et in pluribus Italiae Locis, quas, prout ex Actis Martyrum et Confessorum patet, ad multiplices Ecclesiae necessitates perstringendas, pietas fidelium contulit. Constantinus Magnus, non tantum ablatam per Imperatores paganos Ecclesiae proprietatem restitui jussit, verum hanc pia Munificentia auxit. Possessio itaque temporalium seu *Patrimonium S. Petri* originem suam habet jam ante tempora Constantini Magni e Munificentia, et Donatione fidelium ac Principum Civilium. Dein Constantinus M. Donationes fecit, per Carolum M. confirmatas, et novis Donationibus locupletatas; Ludovicus pius, Otto I. et II., Henricus II. Imperatores, Rudolphus I. et Carolus IV., Comitissa Mathildis et Arnolphus, pariter perpetuas fecerunt Donationes. Clemens VI. Comitatum Avenionensem in Gallia aere comparavit. Quae postquam

---

1) Joannis Devoti Instit. Canon. t. 1. pag. 124.

sub Gallicis motibus a legitimo suo Possessore Romano Pontifice, violente abstracta fuissent, Decreto Congressus Viennensis 1815 celebrati, sedi Apostolicae restituta habentur et quidem: Marca Anconitana, Macerata, Fermo (Firmana), Ducatus Camerino, Benevento et Ponte corvo; Legationes: Romana, Bononia et Ferrara, hic excepta parte illa, quae ad sinistram Padi fluvii ripam jacet; exceptis item Ducatibus in Gallia existentibus, et jam sub prima revolutione occupatis. — Sicut conclusa pace Westphalica 1649 et pace Badensi 1714; ita et occasione hac remedio juris Sustentativo, seu Protestatione usa est Sedes Apostolica, quam 12ª Junii 1815 medio Legati Cardinalis Consalvi, duplicem interposuit. In una protestatur contra omnia conclusa, in quantum nefors Religioni Catholicae et juribus Ecclesiae praejudiciosa forent; quo pertinet: non restitutio Ecclesiasticorum Principatuum, non restitutio Bonorum Ecclesiasticorum, quae absque interventu supremae Potestatis Ecclesiasticae saecularisata sunt; et non restitutio S. Romani Imperii. In altera vero praemissa gratiarum Actione, quod S. Sedi Patrimonium Petri, opitulantibus Monarchis Congressum celebrantibus sit restitutum, protestatur de non reddito sedi Apostolicae Comitatu Avenionensi.

Praeter jura Primatus Universae Ecclesiae, quorum nonnulla decursu operis adhuc occurrunt, habet insuper Pontifex a) Jura Patriarchae Occidentis; b) qua Primas Italiae super Italicis Episcopis Primatialia; c) Metropolitica in suburbicarias Ecclesias, seu super illis Episcopis, qui inter Capuanam et Pisanam Provinciam existunt, ac nulli Archi-Episcopo subjecti sunt, demum d) in Dioecesi Romana, Episcopalia exercet jura. Pontifex habet Romae, non tamquam Papa, sed tamquam Episcopus Romanus *Vicarium unum e Cardinalibus* ad jurisdictionem Ordinariam praesente et absente Papa exercendam constitutum;

cujus Jurisdictio etiam Apostolica sede vacante, in suo vigore perseverat, et Vicarius Romanus ab Episcopalibus Vicariis in eo quoque distinguitur, quod pro lubitu possit Romani Cleri Dioecesanam Synodum indicere et celebrare; id quod Vicariis Episcopalibus, sine speciali Episcopi mandato, facere integrum non est.

§. 7. De Electione Romanorum Pontificum.

Electionis Romanorum Pontificum varia forma erat, et potissimum coincidebat cum forma electionis Episcoporum. Primus erat Nicolaus PP. II qui in Concilio 1058 Romae celebrato regulativum electionis stabilivit, decernendo: ut obeunte Romanae Universalis Ecclesiae Pontifice, inprimis *Cardinales Episcopi* diligentissime simul de electione tractantes, mox Christi clericos Cardinales adhibeant; sicque reliquus Clerus et Populus ad Consensum novae electionis accedat. — „Eligatur autem, — ait ille — „de ipsius Ecclesiae gremio si reperiatur idoneus, vel si de ipso non invenitur, de alia assumatur“ [1]. — Alexander III. unice Cardinalibus attribuit jus exclusivum eligendi Pontificem, ita, ut ille absque exceptione ab Universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit, et receptus [2]. Demum Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi 1273 habito statuit normam, quae modernae electioni pro basi deservit [3], quippe mox ab obitu Pontificis Cardinalis Camerarius nomine Camerae Apostolicae occupat Palatium Vaticanum, vel Quirinale, in quo SSmus Pater obiit. Annulus Piscatoris confringitur, Dataria et Rota Romana cessant a suis functionibus, et unice Poenitentia-

[1] Dist. 23. C. 1. — [2] C. 6. de elect. et elect. potest. — [3] C. 3. de elect. et elect. potest. in 6º.

rius Magnus et Camerarius operatur, quorum intuitu Clemens V in Concilio Viennensi decrevit: „ut si vacante Sede Pontificia, Camerarium, aut Majorem, vel aliquos alios ex Poenitentiariis, per mortem vel alias deficere quovis modo contingat, Cardinalium Coetus alios surrogent [1]). *De caetero autem Sede vacante, nullum Primatialium jurium, velut stricte personalium, usum fieri admittit.* Regimini Civili praeest Cardinalis Camerarius, cui associantur singulis diebus distincti tres Cardinales, unus Episcopus, alter Presbyter, tertius Diaconus. Sub Exequiis quae novem diebus durant, quavis die celebrantur Congregationes Cardinalium super ordine in Conclavi servando; electionem concernentes Bullae Alexandri III. Gregorii X. Clementis V. et VI. leguntur, et Cardinales ad electionem accessuri, juramento obstringuntur. Finito luctu 10ª ab obitu die Cardinalis Decanus S. Collegii, celebrat Missam de Spiritu Sancto, et alter destinatus ad id Cardinalis, latinum Sermonem habet, tenore cujus Cardinales, ad dignum Ecclesiae Caput eligendum hortatur. Solemniter dein proceditur ad Conclave, nunc potissimum in Vaticano paratum, ubi singulus Cardinalis habet cellam ex asseribus constructam, et tantum summe necessaria instructione provisam. Si mors Papae extra Romam contigit, vigore Bullae „Ubi Papa ibi Roma“ — Conclave ad locum Obitus transferebatur, et ibidem electio peracta fuit. Huic interim praejudicatum est per Bullam Pii VI. ex occasione suscepti 1782 Viennam ad Imp. Josephum II. itineris editam, et decretum ne intervento extra Urbem Obitu electio in loco, ubi Papa mortuus est, praesuscipi debeat. Idem interim Pontifex Valentiae die 29ª Augusti 1799 mortuus adjunctis gravissimis rationibus eam reliquit dispositionem, ut Conclave eo loco asservetur, quo plurimi Cardinales praeexi-

[1]) Clem. 2. de elect. et elect. potest.

stunt. Ea propter Cardinalis Decanus Albani, Conclave Venetias coepit ubi die 12. Decembris 1799, per Cardinales 34 electioni initium datum, et 14ª Martii 1800 Cardinalis Barnabas Chiaromonti Ord. S. Benedicti, electus est, assumpto nomine Pii VII. Jus eligendi Pontificem competit unice Cardinalibus, absentes non vocantur, sed nec Procuratores loco sui constituere nec sub praetextu excommunicationis, suspensionis et interdicti ab electione repelli possunt. Ante ingressum ad Conclave, quilibet confiteri, et aut Missae Sacrificium celebrare, vel communicare tenetur. Nulli fas est e Conclavi Nuncium aut Scripturam mittere, secus qui id faceret, aut cum alio secrete loqueretur, sententiam excommunicationis ipso facto incurrit. Dum quis infirmitate superveniente, Conclave deserere cogitur, ad electionem absente illo ultro procedi potest; si tamen is, aut alter ex Absentibus Cardinalibus *re integra* adhuc venerit, partem in electione capit. Cardinales in Conclavi intra triduum electionem non facientes, per subsequos quinque dies, tam in prandio, quam in coena, uno duntaxat ferculo, et si intra hos quinque dies electionem non perficiant, pane solum vino et aqua uti deberent [1]). — Electio fit vel per *Inspirationem*, vel per *Compromissum*, et tunc Cardinales Compromissarii juxta Constit. Gregorii XV. nequeunt se ipsos eligere; — aut fit communiter per *Scrutinium Secretum*. Istud asservatur ad signum Campanae per Caeremoniarum Magistrum datum quotidie hora 6. et 2. cum provocatione: *Ad Capellam Domini.* Scrutatores tres cum tribus Revisoribus qua Contraagentibus, et tribus aegrotorum aut senum vota conscribentibus Curatoribus, sorte extrahuntur. Dum Votisatio fit, primum accedit Senior omnium Cardinalis, adscribit ad schaedam nomen illius, cui Votum dat, componit, et obsigillat

[1]) Supra Cit. Constit. Gregorii 10.

8

schaedam, ac ante altare genuflexus orat, et tum clara voce dicit: *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, eligere quem secundum Deum judico eligi debere, et quod in accessu praestabo*, tum schaedam deponit prius ad patinam, dein ad calicem eatenus paratum. Finita votisatione, schaedulae successive extrahuntur a Scrutatoribus, et tam per hos, quam et *Revisores* leguntur et publicantur, nominibus publicatorum, per scrutatores, et alios Cardinales rite praenotatis. Si nullus habet duas tertias votorum, fit *accessus*; si quis sibi ipsi votum dare deprehendatur, etiamsi duas tertias votorum haberet, electio est irrita. Quodsi collatis votis eveniat, duas tertias in unum convenire, is per scrutatores pro neo-electo proclamatur, et vicini ad illum Cardinales, in contestationem venerationis, mox semet ab eo retrahunt. Tum Cardinalis Decanus, et senior Cardinalis Presbyter, et Diaconus requirunt illum ad acceptandam electionem his verbis: *Acceptasne electionem de te Canonice factam in Summum Pontificem?* Electus genuflectit, orat pro gratia Divina, et dat suum consensum, ac una indicat nomen, quod qua Pontifex geret. Super quibus supremus Caeremoniarum Magister instrumentum publicum conficit; neoelectus vero per duos Cardinales Diaconos deducitur ad Altare, tum ad sacristiam, ubi deposito Cardinalitio vestitu, assumit Pontificium, et ante Altare Capellae, excipit primum homagium sic dictam adorationem. Tum ex pergula Vaticani, vel Quirinalis promulgat senior Cardinalis Diaconus: „*Annuntio vobis gaudium magnum; Papam habemus Eminentissimum ac Reverendissimum Dominum — qui sibi imposuit nomen NN.*“ — Inde a saeculis mediis, habet Austriae Imperator, Hispaniae et Galliae Rex jus *exclusivae* dandae, seu protestandi contra electionem Cardinalis unius, qua Personae sibi non gratae; quo tamen jure tempestive uti debent, nempe ante enunciatas pro aliquo duas tertias votorum; his enim enunciatis, protestatio vigore destituitur. — Si electus Ordines necdum suscepisset hos eidem Cardinalis Episcopus Ostiensis confert; et deposita fidei professione ac juramento, tenore cujus alioquin qua Custos et vindex SS. Canonum, ad Decreta Oecumenicorum Conciliorum, praeexistentes Ritus et Canones Ecclesiae servandos semet obstringit; per eundem Cardinalem Episcopum Ostiensem, qui eapropter praerogativa Pallii gaudet, et illud accipit per haec verba: „*Ut eo utaris in Consecratione summi Pontificis*“ — consecratur [1]). Praeterea qui in Pontificem electus est, postquam supremam sedem conscenderit, jurare debet Const. Innocentii XII. incipientem: „Romanum decet“, per quam modus imponitur largitionibus ac donationibus aliquando a Romanis Pontificibus in Consangvineos effusis [2]), ac in Ecclesia S. Petri Tiara seu Triregno per Cardinalem Decanum Episcopum Ostiensem ac Veliternensem, coronatur his verbis prolatis: „Accipe Tiaram tribus coronis ornatam, et scias te esse Patrem Principum et Regum, Rectorem orbis, in terra Vicarium salvatoris nostri Jesu Christi cui est honor et gloria, in saecula saeculorum Amen.“ Tum futura aliqua die, solemni cum Processione ingreditur Basilicam Lateranensem S. Joannis, velut totius Christianitatis Ecclesiarum caput, et Ecclesiam Patriarchalem, quam Cardinalis Archi-Presbyter Ecclesiae per traditionem unius aureae, et alterius argenteae clavis resignat.

Nota. Cum in Doctrina Primatus Romani Pontificis, repetitim occurrat mentio Febronianismi, nominis hujus significatio hicce evolvitur. Prodivit quippe in lucem publicam sub ficto nomine *Justini Febronii* Juris Consulti, opus cui titu-

[1]) Benedict. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 15. n. 8. — [2]) Ibidem. l. 13. c. 13. n. 20.

lus: „*De Statu Ecclesiae et de legitima potestate Romani Pontificis liber singularis ad reuniendos dissidentes in Religione Christianos compositus. Bullioni 1763.*“ Quantumvis vero Auctor in vulgando opere hoc ad latendum cunctas cautelas sollicite adhiberet; eo non obstante tamen genuinum ejus nomen subin longe lateque percrebuit, et in Persona *Joannis Nicolai Hontheim* quasi indice monstrabatur. Joannes Nicolaus ab Hontheim die 27ª Januarii 1701 Treviris in Germania natus, postquam primam Institutionem a Patribus Societatis Jesu accepisset, altiores scientias, adjecto statum Sacerdotalem amplectendi animo, in Belgica celebratissima Universitate Lovaniensi excepit, ibidem Doctorali laurea Juris redimitus. Excellens ingenium, solers adplicatio, Ecclesiae ampliandae studium, Caracteris integritas, eximia Vitae morumque probitas, illam eidem existimationem pepererunt, quod post consecutos ecclesiasticorum muniorum et dignitatum varios gradus, qua Canonicus Trevirensis anno 1748 consecraretur in Episcopum Myriophitanum in Partibus, et Archi-Episcopi Trevirani Suffraganeus fieret. — Sed vero cui ignota esset, praesertim a tempore eo, dum Propositiones Gallicanae, extra et intra limina palestrarum literariarum vulgarentur, in Curiis et Parlamentis defenderentur, sedi Apostolicae, et Romanorum Pontificum juribus praejudiciosa, ac inimica opinionum varietas? — Objectum hoc, Potestas quippe Ecclesiae, ac Jurisdictio Romani Pontificis, etiam Joannis Nicolai Hontheim mentem occupavit, post diuturnam combinationem eo prolabentis, ut sibi persvaserit, ad Ecclesiae Unitatem firmandam, dissidentes in Religione reducendos, opportunissimum medium futurum, si Apostolicae sedis Auctoritas limitata fuerit;

jurium quoque Episcopis asserendorum studiosus. Ideo edito praememorato libro, Romanorum Pontificum jura et praerogativas extenuare, ac Jurisdictionem Universalem, quam tota antiquitas venerata est, e medio tollere, imo Primae Sedis Antistites subsumptionibus gravare non dubitavit.

Interim Auctor operis, scopum intentum minime consecutus est; et quidem non respectu Protestantium: neque enim horum quemquam Ecclesiae Catholicae reunivit, utique etiam essentialium Papae jurium Sacrificatione, imo vix ipsius Pontificatus abolitione reconciliandos. Sed nec respectu Episcoporum, quos ad originalium jurium et libertatum, saeculorum lapsu — ut praetendit — per Papas usurpatarum usum reponere cupiebat; patuit enim, quod cum debilitatione Auctoritatis Pontificiae, Episcoporum quoque Auctoritas diminuta sit, dumque Episcopi respectu Papae independentiam praetenderunt, hujus, independentiae nempe et Auctoritatis, in parte alia, apud Status Viros naufragium passi sunt.

Principia Justini Febronii, comuniter nomine *Febronianismi* compellata, multis, tam Catholicorum quam Protestantium, et ipsis Civilibus Regiminibus pergrata exstiterunt; ast eadem, velut Ecclesiae, imo omni Auctoritati — sine qua mundus consistere nequit, — inimica, etiam copiosos nacta sunt, jam voce jam scripto oppugnatores. Libri Justini Febronii damnati et prohibiti fuerunt Decretis Congregationis Indicis 27ª Februarii 1764; 3ª Februarii 1766; 24 Maji 1771; et 29ª Martii 1773. Post multas autem impugnationes, ipse Joannes Nicolaus Hontheim propria doctus experientia, quod ad procurandam reunionem perniciosam iniverit viam, Ecclesiae Catholicae, et ipsi quae intendebatur Unioni damnosam, conscientia tactus

principia sua Anno 1778 apud sedem Apostolicam et publice revocavit. Febronianismi tamen longe propullulantis zizania, Auctor tum in Congressu Embsano, per Archi-Episcopos Electores et Salisburgensem celebrato, cum et alibi supervixit; demum die 2ª Septembris 1790, Deo et Ecclesiae jam antehac reconciliatus, vitam caducam cum aeterna commutavit.

Postquam in toties citato opere Justini Febronii, Auctoritas Romani Pontificis systematice vellicaretur; eorum, quae in obversum SS. Canonum et Sensus Ecclesiae typis vulgaverat, docte deductam retractationem hic loci subjungere, haud superfluum videtur. Retractio haec desumpta ex Actis Consistorii Secreti, per Pium PP. VI Anno 1778, solemni Dominicae Nativitatis Die, in Basilica Vaticana, mox post Missam Pontificalem celebrati, est tenoris sequentis:

Beatissime Pater!

Si quid mihi in longaeva, et ad exitum declinante vita evenit triste, et acerbum (evenerunt autem haud pauca); illud omnium maximum, et intima viscerum penetrans est, quod per Reverendissimum, et Serenissimum Dominum Archiepiscopum meum, Pastorem vigilantissimum, ad me pervenit, Sanctitatem Vestram indigne ferre plura, quae in Libris Justini Febronii, seu quovis alio adscititio nomine a me evulgatis, aut forte etiam mihi suppositis continentur, utpote summae Sedi iujuriosa, nec non supremis ejus juribus detrahentia, proin Sanctae Nostrae Religioni (sane praeter, et contra meam intentionem) noxia.

Cum autem nihil majus, et Viro bono dignius sit, quam agnitum errorem confiteri, et praeteritam culpam melioribus factis redimere; sic inprimis agnosco et defleo errorem, ex zelo indiscreto Protestantes Catholicae Ecclesiae, et Apostolicae Sedi reuniendi, huncque in finem etiam usus, et praxes particularium Ecclesiarum, easque persaepe ultra modum exaggeratas, omnibus Ecclesiis applicandi studio natum; neque eum, quoad vixero, deflere desinam. Dein deliberatum mihi constitutumque est, postquam culpam confessus, et veniam gratiamque a paterna Sanctitatis Vestrae Clementia supplex de-

precatus fuero, sicuti jura et decorem Summae Sedis pro viribus tueri, ita et ejusdem Sanctae Sedis judicium Libris et luminibns meis praeferre, nullumque meae erga eamdem submissioni ponere terminum. Eripuit mihi authoritas Sanctitatis Vestrae (in qua authoritatem Jesu Christi recognosco) errorem. Itaque praesentes, eosque genuinos animi mei sensus de Statu Ecclesiae, et summis Sedis S. Petri, Apostolorum Principis, juribus, ad Successoris ejus Pedes omni cum submissione depono, tamquam in qua vivere, et mori cupio. Sunt autem ii sequentes.

Inprimis profiteor et agnosco cum *Tournelio*, Claves Ecclesiae, et uni Petro, et Unitati simul a Christo concessas esse, ita ut unum aliud non excludat. Oportebat quippe meminisse cum *Tertulliano*, in Scorpiaco *Cap. 10.* *„Eas Dominum Petro, et per eum Ecclesiae reliquisse;* et cum *Optato*, de Schism. Donatist. *Lib. VII. n. 3.* *„Petrum Claves Regni Coelorum communicandas ceteris solum accepisse;* ut enim de Petro ait *S. Leo* Serm. *III. in Anniv.* *„Si quid* (Christus) *cum eo commune ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit:* Scilicet Claves datae sunt uni Petro, quatenus ille Primatum et regiminis potestatem accepit a Domino, idemque Personam totius Ecclesiae, seu Supremus ejusdem post Christum, et sub Christo Rector ac Moderator, gerebat. Datae quoque sunt Unitati, idest in bonum Unitatis, et Petro praecipue, ut dictum est, et aliis etiam Apostolis, eorumque Successoribus Episcopis, quibus docendi, ac regèndi ministerium et potestas, seclusa plebe, commissa sunt in verbis: *Sicut me misit vivens Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata etc. Euntes docete omnes Gentes etc. Attendite Vobis, et universo Gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* Attamen cum dependentia a Petro, et cum subordinatione ad ipsum, qui eas, ut superius ait *S. Optatus*, communicandas ceteris solus accepit. Explodendus proinde error, haustus ex Protestantium fontibus, Ecclesiam Collegium esse, non Societatem, ut Catholici sentiunt, in qua baptizati fideles ex institutione Christi sub legitimorum Pastorum, ac praecipue Summi Pontificis regimine degunt; cujus regiminis potestas, a Christo constituta, veram subjectionis, et obedientiae obligationem multitudini, seu universitati imponit.

Profiteor Dei Filium, dum suam Ecclesiam fundare, eamque esse unam vellet, formandae ac regendae huic Unitati Primatum in illa instituise; huncque S. Petro commisisse. Firmiter assero cum SS. Patribus *Cypriano*, *Hieronymo*, *Optato Milevitano*, *Gregorio Nazianzeno*, *Joanne Chrysostomo*, *Ambrosio*, *Leone M.*, *Gregorio M.*, et aliis propterea inter duodecim Apostolos unum electum esse, ut Capite constituto, super quo Ecclesia fundata est, Schismatis tollatur occasio: Ideo Christum,

cum suis Apostolis potestatem largiretur, ab uno, cui Primatum tribuit, coepisse, ut unam Ecclesiam, et unitatem Cathedrae, simulque unitatis originem demonstraret: Schismaticum esse, qui, ut ait *Optatus*, contra singularem Cathedram aliam collocat, vel ab ejus communione per obedientiae negationem recedit: Non habere Petri haereditatem, qui Petri Sedem impia divisione discerpit; siquidem ubi est Petrus, ibi est Ecclesia: Petrum Ecclesiae fundamenta (Apostolos, sibi ut Capiti subordinatos) in fidem suam recepisse: Eidem Petro, in quo Primatus excellenti gratia praeeminet, ipsorum etiam Apostolorum curam a Christo esse commissam, Ipsum esse Os, et Principem Apostolici Coetus.

Assero hunc Primatum (qui non Ordinis, inspectionis ac directionis tantum est, sed et verae Auctoritatis ac Jurisdictionis) quia non minus, quam Unitas ipsa, pro cujus conservatione ac regimine institutus est, perpetuus esse debebat, in Petri Successores Romanos Pontifices, Sedemque Apostolicam, hujus Unitatis Centrum et Radicem, jure divino transiisse, ut nulla ratione transferri a Romana ad aliam sedem valeat: Ad hanc Ecclesiam *propter potiorem principalitatem* (id est propter supereminentem ejus dignitatem atque auctoritatem) uti ait *S. Irenaeus, necesse esse omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles:* Eam esse caput Ecclesiarum, *a qua*, ut inquit *Bonifacius Papa I., quisquis se abscindit, fit a Christiana Religione extorris.* Huic accedunt Patres Concilii Constantinopolitani IV. *Sequentes*, ut ajunt, *in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes omnia ejus Constituta, speramus, ut in una Communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est vera et integra Christianae Religionis soliditas; promittentes etiam, sequestratos a Communione Ecclesiae Catholicae, id est, non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter Sacra non recitanda esse Mysteria.*

In horum sequelam cum Patribus *Concilii Oecumenici Florentini* agnosco, Romano Pontifici in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Sicut autem pascendi, et regendi potestas sine conveniente Auctoritate, Jurisdictione, ac Coactione (ad quam etiam, velut gravissima Spiritualis poena, pertinet Excommunicatio, quoad fructum et suffragia generalia separans) subsistere non potest; sic talem a Christo ipso promanantem in Romano Pontifice, tanquam Universalis Ecclesiae Capite, Principe, ac Magistro residere affirmo.

Profiteor quoque Romanorum Pontificem esse summum Judicem Controversiarum in rebus Fidei et morum; ac in omni ejusmodi Controversia exorta, hinc inde dissentientibus animis, tum maxime audiendam vocem *Hieronymi*, scribentis ad Damasum: *Ego Beatitudini Tuae, id est Cathedrae Petri communione con-*

socior: Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc Domum Agnum comederit, profanus est...... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum; quicumque tecum non colligit, spargit. Et: *adhuc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat... Ego interim clamito: Si quis Cathedrae Petri jungitur, meus est.*

Addo speciatim adversus errorem tum veterum, tum recentiorum Novatorum, qui spreta multitudine Episcoporum, Capiti suo Romano Pontifici expresse, vel tacite adhaerentium, Ecclesiam, ac veritatem in sua paucitate concludere non verentur, fieri non posse, ut a vero aberret Corpus Episcoporum, qui Capiti suo Romano Pontifici adhaerent: Sic haeresim Lutheri jam ante *Concilium Tridentinum* ab Ecclesia, praeeunte Pontifice, per ejus Oraculum ultimato et irrevocabiliter damnatam fuisse; quandoquidem Ecclesia Capiti unita, sive per Orbem Universum dispersa, sive congregata in Conciliis Generalibus (in quibus Episcopi jure proprio ac judiciaria potestate sibi ex institutione Christi cohaerente una cum Summo Pontifice definiunt) in dictis Causis definiendis errare non possit, nec ab ea Cathedra discedere, ad quam, teste *Cypriano*, perfidia non valet accedere; et in qua, manente dispositione veritatis, B. Petrus in accepta fortitudine Petrae perseverans Ecclesiae gubernacula non relinquit, ac per Successores suos sedere ac loqui non desinit.

Agnosco pariter datam Ecclesiae a Christo authoritatem judicandi de sensu, seu doctrina Propositionum, Librorum, et Authorum, ac fideles compellendi ab subscribendum suae Sententiae; hos proinde teneri eidem acquiescere interna mentis et judicii adhaesione, non solum religioso, ut vocant, silentio; atque hujusmodi Judicium nullatenus errori esse obnoxium. Constitutioni *Unigenitus*, ut dogmatico Sanctae Sedis Romanae et Universalis Ecclesiae Decreto, omnimodam ab omnibus obedientiam deberi affirmo.

Dico cum *Avito Viennensi Episcopo*, in rebus, quae ad Ecclesiae statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanae Ecclesiae Maximum Sacerdotem, quasi ad Caput nostrum, esse referendum.

Circa Decretales Romanorum Pontificum Epistolas, profiteor cum *SS. Gelasio, et Leone*, eas venerabiliter suscipiendas esse, et sancte custodiri debere.

Affirmo Romano Pontifici jure divino competere Jus indicendi, dirigendi, et confirmandi Universalia Concilia, quae per ejus concursum plenam sortiuntur firmitatem, et infallibilitatem, independenter a quacumque alia acceptatione.

Concilium Tridentinum non tantum in Causis Fidei, sed etiam Disciplinae liberum fuisse profiteor, non obstante, quod pro illorum temporum et rerum circumstantiis in eadem Sacrosancta Synodo non potuerint omnia de quorumdam etiam pro-

borum Virorum voto ac desiderio reformari. Causas Criminales Episcoporum per Concilium *Tridentinum*, *Sess. XXIV. Cap. 5.*, Summo Pontifici, et Apostolicae Sedi merito reservatas judico. Cumque eadem Sacra Synodus, *Sess. XIV. Cap. 1.* declaraverit Pontifices Maximos, *pro suprema potestate sibi in Universa Ecclesia tradita*, Causas aliquas Criminum graviores merito potuisse suo peculiari judicio reservare; non arbitror licere apertam hanc Synodi declarationem eludere, aut obliquis et coactis interpretationibus evertere, quasi haec potestas Summo Pontifici non competeret proprio, ac originario, divinoque jure. Habet proinde idem Pontifex, et jure exercet in Universa Ecclesia potestatem dispensandi ex legitima causa in lege per Generale Concilium lata.

Primis jam tum Ecclesiae temporibus ii censebantur Spurii, adulterinique Episcopi, quorum Romanus Pontifex Ordinationem, seu Electionem absolute respueret, veluti Ultrajectinorum *Pseudo-Episcoporum*, aliorumque eidem Communioni, atque Causae adhaerentium. Quamvis autem antiquioribus temporibus Confirmatio, et Consecratio Neo-Electorum Episcoporum ad Provinciales Synodos, praecipue vero ad Metropolitanum, pertinuerit; attamen legitimis de causis haec disciplina per Universum Occidentem mutata fuit, neque pristinam hac in parte disciplinam reduci posse existimo, nisi de pleno atque libero Summae Sedis assensu. Idem de Translationibus, et Depositionibus Episcoporum, nec non de Erectionibus novarum Sedium Episcopalium servandum judico.

Canonizatio Servorum Dei per Papam *Alexandrum III.*, ad evitandos innumeros abusus, soli Romano Pontifici, seclusis Episcopis Dioecesanis, merito reservata est. Quamquam et ab antiquioribus temporibus, ut habetur ex *Benedicto XIV. lib. 1. de Beatif. et Canon. Serv. Dei 10. num. 1.*, Beatificationes ipsae quae fiebant ab Episcopis, vim obtinebant Canonizationis vel per expressam Summi Pontificis approbationem, vel per universalem, extra Concilium, Ecclesiae consensum, in quo tacita Summi Pontificis approbatio continebatur.

Quamvis olim vix aliae Causae, quam Majores, ex Provinciis ad Romanam Curiam deferrentur; attamen hodie in reverentiam Summae Sedis, ac pro Suprema potestate eidem in Universa Ecclesia divinitus tradita, legitimo communique usu invaluit, ut in quibusvis Causis Ecclesiasticis ad Summum Pontificem appelletur, ita ut ejusdem Sanctissimi authoritate in suprema instantia judicetur, tum Romae per Judices Ordinarios ibidem constitutos, tum per Delegatos in partibus, pro diversitate locorum, morum, et Concordatorum.

Summi Pontifices *Pius II., Julius II., et Gregorius XIII.* omni jure damnarunt Appellationes a Papa ad futurum Concilium, cujus damnationis causas suis Constitutionibus explicant. Sane jam antea reprobatas comperimus *a Gelasio* Appellatio-

nes a Sede Apostolica: ***Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellare voluerint; ab illa autem nemo sit appellare permissus.***

Equidem primaevo Ecclesiae usu omnia Beneficia ad Episcopi, tamquam Ordinarii Loci, dispositionem, seu collationem pertinuisse videntur; attamen cum sanae rationis sit, ut Summus et Universalis Pontifex plurium in Provinciis gratiarum dispensator existat, sic minime injustae, imo huic Summi, et Universalis Pontificis qualitati consonae fuerunt Beneficiorum Reservationes, quae deinceps Nationum Concordatis firmatae, et respective moderatae sunt. Haec concordata, utpote vim pacti habentia, religiose omnino servanda sunt. Declarant autem saepius Romani Pontifices, signanter *Gregorius XIII.*, longe a suo Animo abesse Concordatorum, nominatim Germaniae, infractionem.

Annatae ad sublevandas necessitates Romanae Curiae, pro omnibus Ecclesiis excubantis, laborantis, et sumptus portantis, pro legitimis habendae; atque ut tales, eo saltem usque retinendae sunt, donec alia aeque commoda ratione, Apostolicae Sedis judicio, sustentationi, atque innumeris oneribus ejusdem Curiae provisum fuerit.

Exemptio Regularium (quorum magna in Ecclesia est utilitas), eorundemque immediata subjectio ad Apostolicam Sedem, legitimis ex causis, in bonum non tantum Religiosorum Ordinum sed etiam Universalis Ecclesiae, videlicet ad faciliorem eorundem sub uno Supremo Capite gubernationem, introducta, et ab omnibus Ecclesiis agnita, nedum a Seculari potestate, sed nec ab una particulari Synodo abrogari valet. Abusibus, ex hac Exemptione nasci valentibus, per *Concilium Tridentinum* occursum, et provisum est.

Scio Episcopos non ab Ecclesia, seu fidelium Universitate, sed a Spiritu Sancto positos, ut commissos sibi Greges intra suas solum Dioeceses pascant et regant, cum debita ad Romanum Pontificem subordinatione. Quamvis autem illi primis Ecclesiae temporibus ampliorem, pro varietate disciplinae, in his quae Jurisdictionis sunt, potestatem exercuerint; potuere tamen Canones ejus usum intra strictiores terminos coercere, quos privata authoritate extendere nefas foret.

In illis, quae ad Fidem, Sacramenta, et Ecclesiasticam Disciplinam pertinent, potestas Ecclesiastica pleno jure decernit, sine concursu potestatis Civilis; ratione tamen mutuae Protectionis, quam sibi invicem debent, ad hanc spectat, juxta mentem Ecclesiae, et quantum ipsa optat, ejus Canones protegere, et exequendos curare per media temporalia.

Finaliter judico, curandum omni legitimo ac meliore modo, ut pax et concordia inter Ecclesiam, et Rempublicam perpetuo retineatur; atque adeo, quoad Fides et Religionis jura patiun-

tur vitandas esse occasiones offensionum, unde et dissidia oriri, et gravia mala in Religionis detrimentum timeri possent.

Accipe, **Sanctissime Pater**, has Assertiones, velut tesseram genuinae meae sententiae de divinis, atque eminentioribus Tuis, Tuaeque Sedis juribus, tanquam monumentum revocationis omnium, quae adversum ea, et si fortasse alia verae doctrinae Capita, seu universalis Ecclesiae jura (licet praeter intentionem) a me quavis via, aut modo dicta, scriptave fuere, vel scripta videri possent.

Si quid ultra est, quod circa fidei, seu Doctrinae meae professionem ac declarationem, quam in omnibus Sanctae Romanae, atque Apostolicae Ecclesiae conformem esse cupio, jubes, aut postulas; habebis me semper ad eandem germana sinceritate edendam obedientem ac promptum. Non negabis interim (sic humillime confido) veniam erranti, qui medias etiam inter deviationes nihilominus cum Patribus *Concilii Lateranensis* semper agnovit, et quoad vivet, agnoscet, Romanam Ecclesiam disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere Principatum, utpote Matrem Universorum Christifidelium; qui cum *Divo Bernardo* sine fraude et fuco profitetur: Esse alios aliis assignatos Greges, singulis singulos; Tibi universos, uni unum, non modo Ovium, sed et Pastorum, tamquam uni omnium Pastori; qui cum *S. Hieronymo* non ignorans Romanam Ecclesiam supra Petram, qui Christus est, aedificatam, nihil magis desiderat, quam Cathedrae Petri (qui etiam *per Christum factus est Petra*, ut ait *S. Maximus Taurinensis*) perpetuo consociari. Suscipe me in hanc Unionem redde poenitenti filio paternum affectum, et in pignus hujus gratiae da jacenti ante Sacratos Pedes Tuos, eosque deosculanti, Apostolicam Benedictionem:

Sanctitatis Tuae

Treviris 1. Novembris An. MDCCLXXVIII.

Humillimo et Obedientissimo Filio

Joanni Nicolao ab Hontheim

Episcopo Myriophitano Suffraganeo
Trevirensi M. propria.

§. 8. Propositiones Gallicanae.

Stabilita Primatis universae Ecclesiae suprema Potestate; Ejusque Juribus recensitis; opportunum videtur Propositiones Gallicanas hic loci examini subjicere; de quarum Origine primo agendum venit.

Omnis, qui Catholico nomine censetur, sancta fide tenet, in Ecclesia Jesu Christi Divina Auctoritate inductum esse Primatum. Sacrae Paginae enim indubitanter docent S. Petrum prae caeteris Apostolis specialibus praerogativis fuisse ornatum; quorsum refertur: mutatio nominis „*Simonem,* quem cognominavit *Petrum.*“ Tu es *Simon* filius *Jona,* tu vocaberis *Cephas;* (quod interpretatur *Petrus*). Post confessionem Petri dicit Jesus: Tu es *Petrus* et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Item Potestas Clavium Petro credita: *Tibi dabo claves Regni Coelorum.* Cura, et officium pascendi Gregem Dominicum data. *Pasce Agnos meos, pasce oves meas.* Firmitas in fide promissa, et officium Fratres confirmandi impositum: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* His accedit et id, quod ubicumque in S. Scriptura sermo de Apostolis occurrit, Petrus Apostolus primus fere semper nominatur, et quidem cum aliqua specialitate. Demum in tam ampla societate, ad opinionum varietatem componendam, et errores evitandos, inevitabiliter opus est suprema auctoritate, et Centro unionis, quod in Romano Pontifice veneramur. Sed haec jam supra prolixius probata sunt.

Interim existunt etiam S. Scripturae textus, qui quasi innuunt, Supremam in Ecclesia Auctoritatem per Christum in manus Universorum Apostolorum depositam fuisse. *Vocavit Discipulos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* Instruxit eos potestate ligandi et solvendi; *quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Item: *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Praeterea junctim omnibus Apostolis est dictum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Tum: *Pax vobis, sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos.* Joan. 20. v. 21. super cunctos Apo-

stolos Festo Pentecostes delapsus est in specie ignitarum lingvarum Spiritus Sanctus. Act. Apost. 2. v. 1. Dein de Ecclesia tantum dicitur: quod sit Columna et firmamentum veritatis; et qui Ecclesiam non audiverit, sit sicut ethnicus et publicanus. 1. Timoth. 3. v. 15. Matth. 18. v. 17.

Hos de Primatu Petri, et alios de universis Apostolis sonantes S. Scripturae textus ad invicem conciliare jam antiquis temporibus inter difficillima objecta referebatur. Id semper certum exploratumque erat; quod Episcopi, qua Apostolorum successores, ad Jure Divino institutam Ecclesiae Catholicae Hierarchiam pertineant, atque junctim cum Primate Ecclesiae, supremam forment auctoritatem; et individualiter Primati subordinati esse debeant in tantum, quantum opus est, ad conservandam Ecclesiae Unitatem. Caeterum, quinam sint subordinationis hujus limites, per se non patebat, sed in specifico correlationes inter Romanum Pontificem et Episcopos, successive ex adjunctis semet evolverunt, atque Primatis Ecclesiae Universae Jura, fundamento praeviorum, in verbo Dei scripto et Traditione radicatorum principiorum, per Episcopos in Conciliis Congregatos, cum veneratione recognita sunt, aliis autem Pontifices consvetudine diuturna introductis, utebantur. — Esto autem universae consequentiae Primatus, mox primis aerae Christianae saeculis semet non evolverint; semper tamen Ecclesia habuit et optabat in Primatu centrum unionis; unde non saltem in correlatione cum Episcopis; ast cum Papa, qua Repraesentans universalis Ecclesiae consideraretur, — respectu etiam Civilis Potestatis ejus auctoritas subsequis temporibus magis et magis extensa, atque usu diuturno roborata fuit.

Auctoritas Primatis Universae Ecclesiae notabilem diminutionem subivit ex incidenti acerbae litis inter Bonifacium VIII. Papam, et Philippum Pulchrum

Galliarum Regem, exortae [1]). Dein per translationem sedis Pontificiae Avenionem [2]) et cumprimis per Schisma occidentale cum gravissimo Ecclesiae damno ab

---

[1]) Bonifacius VIII. Papa, antehac Cardinalis Benedictus Cajetanus conscendit Pontificiam sedem 23. Decembr. 1294; Successor Coelestini V. Papae, Dignitati Pontificiae renunciantis, ingenio eminenti, et voluntate firma praeditus, pietate praeterea ac probitate morum insignis. Quod suum immediatum Antecessorem fugam arripere meditantem honestae Custodiae mancipaverit, fecit propterea, ne inimici Pontificiae sedis nimia bonitate, secus devotissimi Coelestini abutantur, et Schisma producant.

Praeter alias quas per tempus durantis novem annorum Pontificatus, gravissimas expertus est tempestates, famosissimam, una et suis, sedique Pontificiae nimium damnosam, cum Gallorum Rege Philippo IV. cognomine Pulchro anno 1296. ingressus est litem, consequentiarum foecundam matrem. — Bonifacius quippe VIII. dimissa 1296. Bulla; „Clericis laicos" etc. prohibuit, ne Clerus Galliae extraordinariis datiis arbitrarie subjiciatur, ast Philippus vicissim pecunias Romam efferri vetuit; quae circumstantia Papam tantillum remissiorem, Philippum autem secus etiam ad amoliendam suae dominandi cupiditati adversam quamcunque restrictionem, ad omnia extrema quoque media tentanda pronum, audacioremque fecit. — Rex Galliarum maxime exacerbatus est, quod Papa qua Intermediator inter Galliam et Angliam, de justo quidem, ast fere totum contra Philippum deciderit. — Bullam cum Sententia, medio Fratris sui Rex cremari fecit. Papa postmodum incassum tentatis reconciliationis mediis, 1303. Bullam Excommunicationis dimisit. Philippus interim procurata sibi adhaesione nobilitatis et civium, Cleroque terrorisato, trium Statuum Conventum Parisios indixit, ubi post plures gravissimas inculpationes decisum est: appellandum esse ad Concilium Generale, atque sub hujus praesidium Regem, et Nationem Gallicam esse ponendam. — Ita ergo prima vice in Gallia, *Monarchico principio, repraesentativum est oppositum.* Vicarius Christi per Concilium corrigendus et judicandus enunciatur; cujus Declarationis una cum consequentiis usus captus fuit saeculis: 14, 15 et 16. in omnibus quaestionibus inter Auctoritatem Civilem, et Ecclesiasticam emergentibus. Quas vero indignissimas, Personales etiam injurias magnus hic et doctus Pontifex deinceps sustinere debuerit, historia docet. Respectu Juris Canonici in eo est Bonifacius VIII. memorabilis, *quod quinque libris Decretalium, sextum adjecerit.*

[2]) Ut Clemens V. natione Gallus, et Archi-Episcopus Burdigallensis die 5a Junii 1305. per Cardinalium Collegium in Pontificem eligatur, plurimum contulit Rex Philippus IV. ea posita Clementi conditione, ut sedem Pontificiam Roma Avenionem transferat, fixit is sedem

anno 1378 — 1417. perdurans, qua temporis periodo duo, imo finaliter tres Papae, Ecclesiae praeesse voluerunt [1]). Demum sub Schismate enatae multae sedi Pontificiae praejudiciosae opiniones, per Concilium Constantiense et Basiliense nutrimentum acceperunt. In Gallia Carolus VII. Rex, Concilii Basiliensis 23 Propositiones 1438. in Conventu Biturigensi (Bourges) acceptandas, et qua *Pragmaticam Sanctionem* improtocollandas commisit. Quae quidem per Ludovicum XI. Regem 1461. revocata

---

suam ibidem 1309. ubi Papae usque 1376, adeoque prope annis 70, quod tempus *Captivitas Babilonica* dicitur, ideo, quia ab Aula Gallica plene dependentes facti sunt — residebant. Dependentia haec perduravit et tunc, postquam 1348. Clemens VI. Avenionem a Johanna I. Rege Neapolitana, ad cujus proprietatem Provincia *(Provence)* spectabat, Octuaginta millibus florenorum auri, cum consensu Caroli IV. Imperatoris emisset. Avenionem Ludovicus XIV. occupavit, sed rursum restituit Pontifici; 1790 Avenionenses semet Gallicae Reipublicae junxerunt, atque ab eo tempore Ditio haec, non obstante Cardinalis Consalvi in Congressu Viennensi 1815. intenso Conatu; non obstantibus item quotannis Festo SS. Petri et Pauli Apostolorum nunc quoque renovari solitis Romae Protestationibus, Galliae incorporata manet. — Caeterum *Clemens V. secus in Jure ab eo memorabilis, quod Clementinarum Decretalium Auctor sit,* — esto urgente Philippo Pulchro multa per Bonifacium VIII. disposita revocaverit, eo non obstantibus machinationibus pertrahi non poterat, ut Pontificis hujus universa acta, facta irrita declaret. Consensit tamen in id, ut Ordinem Templariorum, cujus Divitiae invidiam pepererunt, coram Concilio Viennae in Gallia 1312. celebrato Processu conventum, — condemnet.

[1]) Post obitum Gregorii XI. Populus urbis Romanae tumultuosissime desiderabat, ut Italus eligatur. Electus est 10. Aprilis 1378, Neapolitanus Bartholomaeus Prignani Archi-Episcopus Bariensis, qui contra voluntatem Cardinalium Gallorum Romae sedem fixit sub nomine Urbani VI. Pontificis hujus nimia in Cardinales severitate, Galli Cardinales exasperati, deserta Roma, ejusdemque electione pro nulla declarata, elegerunt Cardinalem Robertum a Genf, qui primo Neapoli, dein 1379. Avenione sedem fixit, et occidentali Schismati inconsutilem Ecclesiae vestem dilaceranti occasionem praebuit. Finis Schismati impositus est in Concilio Constantiensi, postquam depositis simultanee jam tribus existentibus Pontificibus 1417. Martinus V. ad sedem Pontificiam elevatus fuisset.

est; ast Parlamentum revocationem non subscripsit; donec per Concordatum inter Leonem X. et Franciscum I. 1516. initum penitus annullata fuisset. Propositiones hae et aliae ex his deductae, sub specioso nomine libertatum Gallicanae Ecclesiae, diligenter praenotabantur, quarum praecipuae sunt: Nuncii Pontificii in Gallia Jurisdictione destituuntur. Legatus a Latere in agendo restrictus, ante abscessum obligatur expeditionum Galliam tangentium consignationem Regio homini tradere. Rex habet Jus Placeti in Bullas et Brevia. Item Synodos Provinciales et nationales indicendi. Praeterea in servitiis suis existentes sacerdotes judicandi. Appellationes ab abusu recipiendi jure gaudet. Dein Regaliae jus, vigore cujus Vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus percipiebat, Regi tribuebatur.

Propositiones ac Theses hae in publicis Scholis tradebantur et defendebantur; Clerus iis innutritus fuit, dum 1680. Innocentius XI. Papa, cum Ludovico XIV. Galliarum Rege simultatibus implicitus fuisset. Ansam his praebuit Episcoporum Arelatensis et Apaniensis, cum suis Capitulis, ad sedem Apostolicam Appellatio; nam cum Provinciae ad montes Pyrenaeos sitae a Regalia exemptae fuissent, Episcopi ejates Regi jus Regaliae eorsum etiam extendere volenti, contradixerunt, atque ab Archiepiscopi sententia disfavorabili appellarunt. — Innocentius XI. tribus Brevibus ad Regem dimissis, huic novitati, et Regaliarum ad praevia etiam Beneficia extensioni, obviare contendebat; una autem Ecclesiasticos illarum partium, totidem vicibus ad suam Immunitatem defendendam hortabatur.

Penes juris *Regaliae* exercitium, et illa anomalia viguit, quod Reges, Beneficia et Dignitates Ecclesiasticas contulerint, quin Provisi ullam acciperent Institutionem Canonicam, aut missionem a Praelatis. Emergentium itaque dissensionum harum ocasione in rem suam usi Episcopi, Regi supplicuerunt, ut huic

inconvenientiae modum poneret; qui etiam publico Edicto cavit, nemini, nisi Canonicis Qualitatibus praedito, Beneficium vel Dignitatem Ecclesiasticam deinceps conferendam esse, atque Impetrantes ad Institutionem Canonicam, a proprio Episcopo obtinendam obligari. — Per quod Edictum Rex animos Episcoporum plene sibi devinxit, qui in extensionem Regaliae consenserunt, et Pontifici idipsum significarunt. Caeterum Pontifex cuncta in Conventu Cleri circa Regaliam acta, irrita declaravit, in Juribus Ecclesiae defendendis constantiam Ivonis Carnotensis Episcopis objiciens.

Inclinantibus ita in partem Regis animis, pro Episcoporum, relate ad Independentiam Civilis Potestatis, et restrictionem Pontificis pure ad ea, quae Spiritualia sunt, sententia expetenda; tum pro enunciando de superioritate Concilii Generalis principio, oportunissimum temporis momentum videbatur. Indictus est eapropter per Regem Ludovicum XIV. anno 1682. Conventus Cleri, in quo praesentes 36 Episcopi famosam illam Declarationem, quae sub nomine *Gallicanarum Libertatum* aut *Gallicanismi* venit, compilarunt, e praeambulo et 4. punctis consistentem, ut sequitur:

„Cleri Gallicani, de Ecclesiastica Potestate Declaratio."

Ecclesiae Gallicanae Decreta et libertates, a majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris Canonibus et Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur, nec desunt, qui earum obtentu Primatum Beati Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, sedisque Apostolicae, in qua fides praedicatur, et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus

Majestatem imminuere non verentur. Haeretici quoque nihil praetermittunt, quo eam potestatem, qua pax Ecclesiae continetur, invidiosam et gravem Regibus et Populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiae Matris, Christique ideo Communione dissocient, quae ut incommoda propulsentur, eo Archiepiscopi et Episcopi Parisiis mandato Regio congregati Ecclesiam Gallicanam repraesentantes, una cum caeteris Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito haec sancienda et declaranda esse duximus.

I. Beato Petro ejusque Successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiae, *rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem Civilium et temporalium a Deo traditam Potestatem,* dicente Domino, Regnum meum non est de hoc mundo, et iterum reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo; ac proinde stare Apostolicum illud: Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim Potestas nisi a Deo, itaque qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges ergo et Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticae Potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate Clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, et praestito fidelitatis juramento, solvi posse, eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, et verbo Dei, Patrum Traditioni, et Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.

II. Sic autem inesse Apostolicae sedi ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant, Sanctae Oecumenicae Synodi Constantiensis a sede Apostolica comprobata, ipso Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita, De-

creta de Conciliorum Generalium auctoritate, quae sessione quarta et quinta continentur, nec probari ab Ecclesia Gallicana, qui eorum Decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus, Concilii dicta detorqueant.

III. Hinc Apostolicae Potestatis usum moderandum per Canones, Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos. Valere etiam regulas, mores et instituta a Regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae sedis, ut statuta, et consvetudine tantae sedis et Ecclesiarum firmata, propriam stabilitatem habeant.

IV. In fidei quoque quaestionibus, praecipuas summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse ejus judicium, nisi Ecclesiae Consensus accesserit. Quae accepta a Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas, atque Episcopos iis Spiritu Sancto authore praesidentes, mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu et in eadem sententia.“

Si Propositionum harum, quas Gallicanismum vocant origo consideretur, patulum est in iisdem compilandis, quod ipse celebratissimus Episcopus Bossuet fatetur, auctoritatem exclusa libertate praevaluisse, et non veritatis, ast oppositionis et ex parte congregati Cleri complacendi studium, operatum fuisse. Propositiones hae, ad quas compilandas ex 18 Archiepiscopis, et 108 Episcopis, 36 duntaxat — praeter paucos e Clero inferiore in Conventu praesentes — influxerant, per Potestatem Civilem Codici legum insertae, gravem in Regnis Catholicis attentionem excitarunt. Nationale Concilium in Hungaria sub Primate, et Archiepiscopo Georgio Szelepcsényi 1682 celebratum; complures item Universitates et Theologi eas fundate impugnabant. Pontifex Innocentius XI., tum hujus successor Alexander VIII.; demum Innocentius XII., illas cum universis conventus hujus actis, rejecerunt et damnarunt. Quia vero ipse Clerus Galliae in opinione admodum dissentiret, imo Episcopi Declarationis compilatores eandem retractassent—datis ad summum Pontificem Innocentium XII. litteris, quae inter caetera continent: „Ad pedes sanctitatis Vestrae provoluti, profitemur ac declaramus, nos vehementer, et supra id, quod dici potest, ex corde dolere, de rebus gestis in Comitiis praedictis, quae sanctitati Vestrae, et ejusdem praedecessoribus summopere displicuerunt; ac proinde, quidquid in iis Comitiis, circa Ecclesiasticam Potestatem, aut Pontificiam Auctoritatem decretum censeri potuit; *pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus;*“ — Ludovico XIV. visum est dimissum die 23. Martii 1682. Edictum, revocare, et d° 14. Septembr. 1693. Pontificem edocere, quod quaestionata Conventus Cleri conclusa, nullas sequelas sint habitura. — Caeterum semen mali jactum fuit, quod in Jansenismo, et subin in Febronianismo germinavit, periculose que semet evolvit; a Pseudo Philosophis, Divinam et humanum auctoritatem, ac omne positivum impugnatibus, pleno sinu exceptum. Plurima Europae Regimina imperarunt Propositiones Gallicanas in Scholis publicis tradendas, et defendendas, in Gallia autem prima Revolutio illis in suam rem cum effectu usa est; imo quod mirum, adhuc 1845. Minister Comes Portalis Parisiis in Camera Superiore nomine Regiminis defendit, Declarationem de 1682. vim et robur in Gallia habere.

Examen Propositionum.

Innegabile est, Declarationem Gallicanam ita in suo cortice speciosam esse, ut incautos in transver-

sum facile pertrahere possit. Provocatio fit ad Canones Spiritu Dei conditos, totius mundi reverentia consecratos, et tamen auctoritas et jura, quae fundamento Primatus, primorum saeculorum Patres; Concilia et Canones Romano Pontifici attribuerunt; Eidem Capiti Ecclesiae et Christi Vicario denegantur, et Subordinatio Episcoporum ad Primatem Ecclesiae vix non e toto tollitur. Si Petri successoribus Romanis Pontificibus et Ecclesiae pure de spiritualibus disponendi facultas competit, juxta hanc sententiam Ecclesia deterior est qualibet Consociatione Civili; quia haec licite negotia ad consequendum praefixum finem spectantia coordinat; Catholica vero Ecclesia, tam eminens et perfecta societas, jure hoc destitueretur. In theoria hac, disciplina Ecclesiastica, Bona mobilia et immobilia, Res, Loca S. recidunt ad manus saeculares; Scholae ab Ecclesia abstrahi, imo ipsae Personae ministerio sacro mancipatae, muniis et servitiis Civilibus adplicari possunt. Tribunalia saecularia in Ecclesia erigentur, atque Ecclesiae legislativa, judiciaria, et executiva Potestas, eidem in sphaera sua, ex idea societatis, ex actis et Scriptis Apostolorum, continua Traditione, veteris Ecclesiae Canonibus competens, in saecularem auctoritatem transferetur; exteriora enim haec, esto cum fine et sphaera Ecclesiae, ad bonum spirituale consequendum intime nexa, — in basi puncti I. Declarationis anni 1682. inter temporalia referri possunt, super quibus Ecclesia a Deo potestatem non accepit. Haec et alia paradoxa sequentur, si quamcunque plausibilis prima fronte videatur quaestionata Declaratio pro principio statueretur. Imo finaliter Anarchiae latus campus aperitur: quis enim limites eorum, quae spiritualia et quae temporalia contingunt definiet? idquidem nec Defensores Gallicanismi unilateraliter saeculari Potestati attribuere audent et volunt.

Jam, postquam in thesi Gallicanismi Ecclesia nec ea, quae ad disciplinam membrorum societatis pertinent coordinare, nec vero proprietatem temporalem, sive mobilem, sive immobilem tutari potest; his adminiculis destituta desorganisari, in paupertatem incidere debet, et semet conservando impar erit. Nam promissio durabilitatis usque ad consummationem saeculi, concernit universam Ecclesiam, et non est attributum particularium Regnorum; cujus testimonium praebet Dania, Norvegia, Svecia; in Germania nonnulli Principatus, item Egyptus, Asia etc..

Post tantas, quibus Declaratio Gallicana praeluxit, Philosophorum, — ethnicis Philosophis longe deteriorum, — Politicorum, Juristarum, theorias, potissimum in perniciem Ecclesiae Catholicae directas, quaeve in suis sequelis ipsi statui Civili perniciosissimae evaserunt, veritas aeterna, quam dies, et humana vicissitudo delere non potest, contra ephemeras opiniones recentissimis temporibus triumphavit, dum sensus practicae rationis, et Religiosae voluntatis in integris nationibus semet zelose manifestat, ductuque hujus Civiles Imperantes Ecclesiam diu vinculis constrictam, nativae libertati restituunt; quae certe amplissimo fructu, et benedictione in statum publicum largissime dimanaturo non carebit.

Quantum attinet punctum 2um praeviae Declarationis. Ex adjunctis temporis suffragante vix non unanimi coaevorum opinione certum est, Decretum de superioritate Concilii in Synodo Constantiensi Sess. 5. publicatum universae Ecclesiae perniciosi Schismatis sublationem, et normalis status restitutionem, unice pro scopo habuisse. Recte autem Episcopi Galliae, in Concilio Constantiensi praesentes, huic Decreto publicando obsistebant; et ut memoriae tradidit Spondanus Apamiensis in Gallia Episcopus, in Galliarum Bibliotheca, — Codicibus evolvendis solertissimus; teste etiam Littera Synodali Georgii Szelepcsényi Ar-

chiepiscopi Strigoniensis [1]); per Martinum V. Papam, qui Concilii hujus materiam fidei et morum concernentia conclusa confirmavit, Decreti Sessionis V. punctum 2[um] prout et clausulam de Reformatione Ecclesiae in Capite et membris, improbata fuisse.

Secus etiam cum Concilium generale pro tali, sensu Catholico haberi non possit, nisi illud, ad cujus conclusa Pontifex Caput Ecclesiae influit et eadem confirmat, quaestio de superioritate Concilii generalis non est usus practici. Ecclesia et Concilium vere Oecumenicum contra Summum Pontificem stare non potest, et Pontifex nec supra, nec infra, sed in, et cum Concilio generali est; nam sine Primate Ecclesiae esset Concilum Acephalum, et juxta Doctrinam Catholicam nomine Oecumenici Concilii insigniri nequiret. Hoc sensu dixit S. Gelasius PP. Epist. contra fautores Acacii; *quod firmavit in Synodo sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit habere non potuit firmitatem et sola rescindit, quod praeter ordinem Congregatio Synodica putaverit usurpandum.* —

Interim in Propositione hac de superioritate Concilii, ipsi docti Protestantes magnam inconsequentiam inveniunt. Samuel Pufendorfius de habitu Rel. Christ. ad vitam civilem §. 38. haec habet: „*Concilium esse supra Papam* thesis est — — — sed quod isti quoque hanc propositionem asserere velint, qui sedem Romanam omnium Ecclesiarum Centrum, ac Papam Oecumenicum Episcopum agnoscunt, id quidem non parum absurditatis habet, cum Status Ecclesiae Romanae Monarchicus sit, ista autem thesis meram Aristocratiam oleat.“ Joan. Mosheimius autem dicit: „quod universis sive singulis Ecclesiis praeesse Pontificem dicunt, non Universae Ecclesiae id tam mihi scitum videtur, ac si quis affirmaret membra quidem a Capite regi, non vero quod ex membris

---

[1]) **Péterfy, Coll. Concil. P. 2. p. 439.**

constet corpus; aut Urbes quidem omnes, villas et praedia subesse Regi, non vero quae his continetur ipsam Provinciam“ [1]).

Porro Punctum 3[um] verissimum est, ipsorum Summorum Pontificum eloquio comprobatum. Non enim Arbitrio, sed S. Lege regitur Ecclesia, et res fidelium aguntur, prout id jam §. 6. uberius demonstratum est. — Caeterum inde non sequitur Pontifici non esse jus Leges latas modificandi necessitate exposcente; quod utique non secus, quam universis adjunctis rite examinatis ac matura cum deliberatione fieri, saeculorum experientia docet.

Demum Puncto 4° super tali objecto 36 congregati Galliae Episcopi sententiam tulerunt, cujus Decisio nisi universali Ecclesiae competit. Sequelae sententiae hujus amaros produxerunt fructus, et cumprimis Episcopatui Gallicano ingratas differentias causarunt. Huic enim adscribi debet, quod Jansenistae incunctanter denegaverint obsequium Bullis Pontificiis Cornelii Janseni Yprensis Episcopi propositiones 5 damnantibus; alioquin juxta Gallicanam Declarationem, Pontificis judicium irreformabile non fuit. Et cum post rejectas per Bullam „*Unigenitus Dei Filius* Paschasii Quesnel 103 Propositiones, Jansenistae ad Concilium generale appellassent, differentiae supremum attigerunt gradum, et totam Galliam magna cum animorum exasperatione, inter *appellantes* et *acceptantes* diviserunt. Episcopis extra Galliam super Bulla *Unigenitus* interrogatis, pro eadem semet unanimiter declarantibus; Appellantes refugium sumpserunt ad distinctionem inter Ecclesiam dispersam, et congregatam, atque Ecclesiae dispersae inerrantiam denegarunt. —

Interim stantibus his, sequeretur Ecclesiam Universam adminus provisorie, et quidem usque asser-

---

[1]) **Diss. de Gall. appellat. ad Conc. Univers.**

vandum Concilium generale, seu longo tempore in iis, quae ad fidem et mores pertinent, errare posse, quod utique promisso Divini Statoris adversum foret, cui conformiter homo Catholicus tenet, Ecclesiam ne una quidem die, aut hora vel minuto errori obnoxiari posse. Dein, dum fide tenemus, Pontificem esse Centrum Unitatis; qui Catholico nomine censeri cupit, in communione sedis Apostolicae manet, et tacite etiam recognoscit, per Pontificiam sedem, semper veram fidem conservatam fuisse. Jam S. Cyprianus de Unitate Ecclesiae enunciat: „Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?“ — Et octavum generale Concilium, Constantinopoli anno 869 celebratum, qua fidei articulum proponit: „Prima salus est, rectae fidei regulam custodire, et a Patrum Traditione nullatenus deviare, quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede Apostolica immaculata est semper servata religio.“

Si proinde 4ᵗⁱ articulorum Declarationis 1682. momentum vel tantillum expendatur, facile concipi potest qualem iidem in Universo orbe Christiano attentionem excitaverint, simul autem, quod Independentia Potestatis Ecclesiasticae, si unice ad terrenum Dogmaticum restringatur, sit malum donum pro Ecclesia, imo taliter intellecta, non tantum Ecclesiae, sed et statui Publico in perniciem vergat, prout id praeteritorum temporum experientia notum reddit. Egregie hac de re Dr Ignatius Beidtel in supra citato opere: Das kanonische Recht etc. — Item Pet. Ballerini: De vi ac ratione Primatus Romanorum Pontificum etc.

CAPUT II.

De Cardinalibus.

§. 9. Origo et Numerus Cardinalium.

Munus et officium, eximias item, quibus in utraque republica ornati sunt, praerogativas Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in considerationem sumendo, eorum dignitas, sicut magni momenti, ita post Pontificiam in Ecclesia Catholica suprema est. Nomen Cardinalis quidem in cana antiquitate cunctis Presbyteris et Diaconis titulum et officium fixum penes Ecclesiam tenentibus, adeoque ibidem quasi incardinatis, vel intitulatis, proprium erat; interim Presbyteri et Diaconi Urbis ac Dioecesis Romanae caeteris copiosiores, et ad dirimendas aliarum quoque Ecclesiarum difficilliores quaestiones per Papam in consortium vocati hoc titulo auctoritatis incrementum acceperunt. Clerum urbis Romanae cum Pontifice jam olim rei ecclesiasticae totius Catholici orbis praefuisse, sedeque vacante curam totius Ecclesiae gessisse, epistolae S. Cypriani manifestum reddunt, et historia Montani apud Epiphanium docet. Sufficiat hic memorare, secus etiam notam ejusdem S. Cypriani Episcopi epistolam in negotio lapsorum Carthagine et generaliter in Africa ansam scissionibus praebentem. Idem nempe S. Cyprianus sibi consulturus, Romam ad primam sedem recurrit, tristem Ecclesiae suae statum adumbrando [1]). Recte autem eotum Cathedra Petri ab obitu Fabiani orbata erat Pontifice, et Clerus Romanus suae dignitatis conscius, responsoriam ad S. Cyprianum dedit epistolam, magno cum applausu susceptam. Hanc de speciali Cleri Romani dignitate opinionem confirmat vir caetera inter antiquitatum magnus scrutator Van-Espen, qui de

[1]) Epist. 5.

Cardinalibus Ecclesiae Romanae disserens ait: „Presbyterium, de quo S. Cornelius Papa ad S. Cyprianum, idem fuisse quoad officium et functiones cum hodierno Cardinalium Collegio, notat Pamelius in notis ad citatam epistolam Cornelii: „Presbyterium intelligit tum hic, tum paulo post Collegium, sive senatum, (ut loquitur D. Hieronymus epistola ad Rusticum) Cleri Romani, utpote sine cujus consilio arduum nihil soleat agere Romanus Pontifex. Atque adeo tum hinc, tum ex epistolis Cypriani ad Clerum Romanum constat, Presbyteros et Diaconos Ecclesiae Romanae in eadem auctoritate jam olim fuisse, qua nunc pollent, eodem etiam munere functos, quo nunc Cardinales, nempe, ut essent Consiliarii et Assessores Episcopi Romani. Quod plene perspicuum fit ex verbis illis epistolae 55 ad Cornelium: „*Florentissimo illic Clero tecum praesidenti*“ [1]). Romanae itaque Ecclesiae Clerus, qui summo Pontifici in regimine universae Ecclesiae constanter sua opera aderat; tum etiam ob dignitatem primae sedis, in qua traditionis depositum custoditur, et ubi ad detegendam veritatem semper securiora adsunt promtuaria, omni tempore auctoritate quadam prae reliquis eminebat. — Sub finem saeculi 5ⁱ Romae principales Ecclesiae jam 25 numerabantur, tardius adhuc tribus auctae; singula harum Ecclesiarum cum Clericis minoris gradus habebat Presbyterum Cardinalem. Praeter hos erant Diaconi Cardinales, alias Diaconi regionarii, in 7 urbis regionibus pauperum curam sibi commissam habentes, et 4 Diaconi palatini, ad servitia Papae in Lateranensi Basilica adpliciti. Saeculo 9° vicini Episcopi suffraganei septem: Ostiensis-Veliterno conjunctus; Portuensis; Albanus: Prenestinus; Sabinus; Tusculanus, et Rufinae seu silvae candidae, Basilicae Lateranensi incardinati, Cardinales Episcopi dicti, statis solemnibus

[1]) Juris Ecclesiast. Univ. P. I. tit. 22. de corp. Card. N. 18.

diebus in Ecclesiis Lateranensi, S. Petri, S. Pauli, S. Mariae Majoris, et S. Laurentii extra muros, divina mysteria celebrabant, aut Papae Sacris operanti obsequia praestabant. Serius tamen Episcopatu S. Rufinae cum Portuensi unito sex Cardinales Episcopi remanserunt, quorum Ostiensis unitus Veliternensi est una S. Collegii Decanus, Portuensis vero unitus cum S. Rufinae, Collegii Pro-Decanus.

Numerus Cardinalium fixus non erat usque ad tempora Pauli IVⁱ et Sixti Vⁱ. Ante saeculum quippe XII 53 Cardinales numerabantur: 7 Episcopi, 28 Presbyteri, et 18 Diaconi. Tardius numero Diaconorum ad 14 reducto, Presbyterorum numerus sub Leone X° ad 45, sub Pio IV° et V° ad 50, sub Gregorio XIII° ad 56 increvit. Paulus IV Pontifex numerum Cardinalium in 70 defixit, quem Sixtus Vᵘˢ exemplo seniorum, quos in suum adjutorium assumsit Moyses inalterabiliter retinendum disposuit, decernens: „ut in posterum connumeratis omnibus cujuscunque Ordinis Episcopis, Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum 70 nullo unquam tempore excedant, ac talis numerus quovis praetextu, occasione, vel causa etiam urgentissima minime augeatur.“ Declarans insuper, nominationem ultra hunc numerum nullam, irritam, ac inanem [1]). A quo tempore numerus Cardinalium S. R. Ecclesiae in 70 consistit, e quibus sunt Cardinales Episcopi 6, Presbyteri 50, Diaconi 14.

Cardinales Episcopi Presbyteri, et Diaconi non a gradu Ordinis suscepti sed a titulis Ecclesiarum, quas tenent ita dicuntur; Cardinales enim Presbyteri passim ex Archi- et Episcopis nominantur. Cardinalium Presbyterorum tituli sunt: S. Laurentii et Damasi: S. Marci; S. Laurentii in Lucina; S. Puden-

[1]) Const. „Postquam verus“ 1586.

tianae; S. Praxedis; S. Petri in Vinculis, S. Augustini, quem de praesenti Princeps a Schwarzenberg Archi-Episcopus Pragensis tenet etc. — Complexus omnium Cardinalium dicitur *Collegium Cardinalium*, intimum Consilium Papae, et Supremus Senatus Ecclesiae; cujus caput est *Cardinalis Decanus*, et in hac dignitate semper senior inter Cardinales Episcopos sua serie succedit.

Pius V^us Papa titulum Cardinalis Anno 1567° unice ad Cardinales Ecclesiae Romanae restringendo, eodem aliis, quales erant Canonici Compostellani, Ravennatenses, Mediolanenses, Neapolitani, et omnibus quacunque dignitate conspicuis uti interdixit.

§. 10. Cardinalium Creatio et Qualitates

Cardinalium *creatio* fit per Romanum Pontificem, possunt tamen Monarchae Dignitarios ecclesiasticos Archi- et Episcopos de sacra et civili republica meritissimos Pontifici commendare. Cardinales hac modalitate creati, *Cardinales Coronae* dicuntur. Idmodi praerogativa utuntur: Imperatores Austriae et Galliae, Reges item Hispaniae, Portugalliae, Neapolis et utriusqne Siciliae, ac Sardiniae. — Creatum Cardinalem Papa non semper statim renuntiat, sed subin in *Petto* retinet, seu reservat in Pectore. Id antea tunc factum fuisse refertur, dum completo Cardinalium numero vacantia non praeexstitit, aut erga nominandum idmodi Individuum aliqui e Collegio Cardinalium propensione non ducebantur. Reservatus interim in Petto etiam ad casum praematuri Papae ex hac vita decessus, fit Cardinalis, et qua talis ad eligendum novum Papam Conclave ingreditur. — Creatus in Cardinalem, si Romae existat, per unum Cardinalium Pontifici praesentatur, et ab hoc rubrum Biretum, seu ut Septim. Decret. l. 1. tit. 4. C. 1. habetur; *Capellum rubeum* accipit. Tum celebratur *publi-*

cum Consistorium, in quo praemisso per Papam de gravitate et officiis Cardinalitiae dignitatis sermone, Neocreatus, deposita praevie professione fidei et juramento, Galerum Cardinalitium accipit, et ad homagium per osculum pedis et manus admittitur. Neocreato *os clauditur*, seu ad indicandam modestiam, in sessione votum ei negatur. Futuro tamen Consistorio eidem Papa *os aperit*, et per assignationem *tituli* ac traditionem annuli saphirini, promotio completur. Cardinales Coronae Biretum, seu Capellum rubeum, penes Breve Apostolicum via specialis Missionis accipiunt, quod eisdem respectivi Monarchae cum solemnitate resignant. Galerus et Titulus nisi Romae personaliter praesentibus conceditur. Episcopi Cardinales non creantur, sed *optio* locum habet, ita ut in vicem ultimi Episcopi, nominatione seniori Cardinali Presbytero jus competat succedendi similiter et Cardinales Diaconi in Cardinales Presbyteros optantur, Cardinales Diaconi tamen libentius suis locis remanent: cum enim sede vacante Potestas signanter in temporalibus, sit penes Collegium Cardinalium, atque singulis diebus distincti tres Cardinales, Episcopus, Presbyter et Diaconus suprema rerum auctoritate fruantur, Cardinalibus Episcopis et Diaconis, velut numero paucioribus, juris hujus exercitium crebrius obtingit. Manet praeterea Diaconis salvum jus eorum praecedentiae prae Cardinalibus Presbyteris, expost, dum optione uti potuissent, creatis.

Instituti Cardinalium momentum, paucis verbis expressit Synodus Tridentina „*Quorum* (Cardinalium) inquit, *consilio, apud Sanctissimum Romanum Pontificem universalis Ecclesiae administratio nititur*“ [1]). Et jam vel hinc patet, praecellentes in Cardinalibus dotes requiri. Unde eadem Synodus summam manifestat sollicitudinem in respectu creandorum Car-

---

[1]) Sess. 25. C. 1. de ref.

dinalium: „Ea, inquit, omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate et doctrina, et caeteris qualitatibus alias constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, exigenda; quos Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis Nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet“ [1]). Sixtus V. autem in praememorata Constitutione diserte cavit: ut creandus sit legitimo thoro natus, ita, quod nec per subsequens matrimonium legitimati, esto aliarum dignitatum ecclesiasticarum secus capaces, eligi possint. Tum debet ab uno anno adminus in minoribus Ordinibus constitui; non audet proles vel nepotes habere, neque viventium Cardinalium alicui usque secundum consanguinitatis gradum necti. Praeterea, ut in Collegio Cardinalium ex Ordinibus Mendicantium minimum quator Theologi adsint, disponit.

§. 11. Officia eorum et Jura.

„Tria sunt officia Cardinalium, dicit Bellarminus de Clericis. Primum est, commune cum Episcopis, Presbyteris, et Diaconis caeteris; omnes enim Cardinales aut episcopale, aut presbyterale, aut diaconale officium habent. Alterum officium est, summum Pontificem eligendi. Postremo *eidem Pontifici perpetuo assistere, eumque in regenda universa Ecclesia consilio et industria adjuvare.*“ Et sane, sive originem Cardinalium, sive Decreta Conciliorum et S. Canones spectemus, respectu universae Ecclesiae praecipuum Cardinalium officium est, Romano Pontifici in *gerendis totius Ecclesiae* negotiis consilio et opera assistere. Cardinales constituunt quasi *Concilium permanens*, sine cujus consilio Papa nihil gra-

1) Sess. 24. C. 1. de ref.

vioris praesuscipit. Conventus Cardinalium audiunt *Consistoria*, a quibus distingvuntur *Congregationes*. Insuper Officium *Protectorum* in quibusvis negotiis Principum et Nationum gerunt.

Sede Pontificia vacante Cardinales juxta praescriptam et supra recensitam normam Romanum Pontificem eligunt, exclusis Cardinalibus in minoribus duntaxat Ordinibus constitutis. *Jurisdictio Primatialis* velut personalissima sede vacante in Cardinales non transit, ea tamen, quae ad defensionem Ecclesiae, et status Pontificii administrationem pertinent, procurare tenentur: quod posterius jus medio trium quotidie distinctorum Cardinalium, qui *Cardinales Locumtenentes* audiunt, exercent. — Cardinales omnes, etiam non Episcopi velut dignitate primi post Papam, in Conciliis generalibus sessionem ante Patriarchas, et caeteros Praelatos habent; in suis Titulis seu Ecclesiis, etsi tantum *Presbyteri* aut *Diaconi* sint, Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent. Utuntur quippe Insignibus episcopalibus, Mitra et Pedo. Dispensationes in casibus Episcopalibus concedunt; subditos suos prima tonsura initiant, et iisdem minores Ordines conferunt, ac solemniter benedicunt. Ubi autem Cardinalis etiam non legatus praesens est, Episcopus non celebrans abstinet ab omnibus benedictionibus, nec crucem sibi praeferri sinit. Dum Cardinalis, Archi-Episcopus Provinciae fuerit, celebrans Episcopus Cardinali praesenti significat, ut omnia munia episcopalia exercere, et benedictiones dare dignetur; quae si Cardinalis facere et exercere ex urbanitate noluerit, poterit Episcopus celebrans praedicta omnia adimplere [1]). Cardinalium personalis violenta attrectatio crimini laesae majestatis aequiparatur [2]). — Relate ad Papam stant in correlatione filiorum; et ideo in casibus nefors praevaricationum

1) Cerem. episc. l. 1. C. 4. — 2) C. 5. de poenis in 6°.

privative paterne monentur, exceptis delictis gravioribus, quae Pontificis judicio aeque subsunt. — Pontifex eos in communi „*Venerabiles Fratres*," singillative „*Dilecte Fili noster*" alloquitur. Cardinales de stylo nec Episcopos vocant Fratres. In Constitutionibus Generalibus, per quas favor non praestatur, non censentur comprehensi; neque censuris, signanter interdicto subjacent, nisi expresse nominentur. Gerunt exclusive titulum *Eminentissimi*, Electoribus Coloniensi, Trevirano, et Monguntino, qui eodem utebantur, amplius non existentibus. Habent praecedentiam prae Principibus, utuntur *purpureo pallio*, unde purpuratorum nomen; praeterea Cappam majorem, Mantalettam, Mozetam adhibent, quae omnia sunt coloris rubri, violacei, aut rosacei. Vestis eorum communiter est rubra; rosaceam assumunt Dominica 3^{ia} Adventus, et 4^{a} Quadragesimae; violaceam caeteris Adventus, et Quadragesimae, luctus item et exequiarum diebus. Cardinales ex Regularibus creati, habitu quidem Cardinalitio, sed colore Ordinis sui, caputio tamen rubro utuntur. Penes solemnitates interim et hi Galerum rubrum cum purpura gestant. — Sua Majestas Imperator Austriae Cardinalibus ampliores militares honores fieri disposuit. — In Gallia vero novissime in numerum Imperatorii Senatus sunt cooptati.

Nota. Cardinalium, qui aliquando inter Praelatos Hungariae exstiterunt, sequens est series: *Stephanus de Vancsa* A.-Ep. Strig. Cardin. et Episcopus Prenestinus 1252 creatus. *Demetrius* A.-Ep. Strig. SS. 4. Coronatorum Presb. Cardin. et Apostolicae sedis per Hung. et Polon. Legatus 1380. Eodem tempore Valentinus Ep. Quinqueecclesiensis S. Sabinae Presb. Cardin. *Jordanus de Ursinis* Eccl. Quinqueeccles. Commendatarius, tit. S. Laurentii in Damaso Card. 1409. *Dionysius de Széch* A.-Ep. Strig. tit. S. Cyriaci in thermis Presb. Card. *Joannes de Arragonia* A.-Ep. Strig. 1477. Card. tit. S. Sabinae. *Gabriel Rangonius* Ep. Agriensis tit. SS. Sergii et Bachi Presb. Card. *Hippolytus Atestinus* A.-Ep. Strig. 1492 tit. S. Luciae Diac. Card. creatus. *Thomas Bakocz* alias *Bakács* de Erdőd A.-Ep. Strig. Patriarcha Constantinop. et S. Sedis Ap. Legatus de Latere ad Hungariam, Bohem. et Polon. tit. S. Martini in Montib. Presb. Card. 1501. creatus. *Petrus* Vesprimiensis Episcopus S. Cyriaci in thermis Presb. Card. *Georgius Martinusius* A.-Ep. Strig. et Card. 1551. *Franciscus Comes Forgách* A.-Ep. Strig. 1607 Card. renuntiatus, 1632 praesens Romae Galerum, titulumque S. Hieron. Illiricor. consecutus: quem titulum accepit et *Leopoldus Comes Kollonich* 1666, qua Jauriensis Epis. albo Card. inscriptus, expost A.-Ep. Strig. *Christianus Augustus* e Ducibus Saxoniae, A.-Ep. Strig. 1707 Card. factus. *Emericus Comes Csáky* Ep. Varadin. 1717 Presb. Card. *Mich. Frid. Comes ab Althan* Ep. Vacien. 1723 Card. *Christoph. Comes Migazzi* A.-Ep. Vienn. et Administrator Eppatus Vaciensis 1764 Card. *Joseph. Com. Battyányi* A.-Ep. Strig. An. 1782 e manibus Pii VI Viennae commorantis Galerum accepit, tit. S. Barthol. de Insula Presb. Card. *Alexand. Rudnay* A.-Ep. Strig. 1828 Presb. Card. *Joannes Scitovszky* A.-Ep. Strig. 1853 Presb. Card. creatus. — Schemat. Cleri A. Dioec. Strig. 1849 et Szvorényi Jus publ. pag. 313 et seqq.

§. 12. De Consistoriis Cardinalium.

Dum Collegium Cardinalium in uno consessu causa negotiorum, per Pontificem coactum, sub hujus, aut eo absente vel impedito sub Cardinalis Decani praesidio convenit, Consessus idmodi *Consistorium*

dicitur; quod a *Congregationibus* Cardinalium differt, quia hae sunt conventus e parte Cardinalium, et aliis ad id nominatis consistentes ad determinata ecclesiastica vel saecularia negotia discutienda, ac pleno cum effectu terminanda instituti. *Consistoria* sunt vel *secreta* etiam *ordinaria* dicta, quae regulariter et potissimum quavis quindena, sub praesidio Pontificis, et hoc impedito sub praesidio Cardinalis Decani unice cum Collegio Cardinalium asservantur: alia sunt *Consistoria publica seu extraordinaria*, ex incidenti solemnis cujuspiam eventus, sub praesidio Pontificis, praeter Cardinales aliis etiam Praelatis et Legatis exterarum Aularum praesentibus, celebrari solita. Saepe objecta, in Consistorio secreto pertractata, in Consistorio publico ad notitiam perferuntur.—Allocutiones per Pontificem idmodi occasionibus haberi solitae, magni sunt ponderis et diplomatice quoque celebres. In Consistoriis publicis in specie Beatificatio et Canonisatio Sanctorum in ultima analysi pertractatur; novi Cardinales publicantur, et Galerum accipiunt; exterarum Aularum Legati, prout et Nuntii reduces excipiuntur.

Ad secreta Consistoria pertinet: Creatio Cardinalium; praemissis praemittendis: confirmatio, translatio, depositio Archi- et Episcoporum, Pallii elargitio, erectio et unio Episcopatuum, nominatio Legatorum a Latere, Exemtiones, Privilegia, Concordata.

§. 13. De S. Congregationibus Cardinalium.

Gravissima et multiplicia totius orbis negotia, Romano Pontifici qua Primati Ecclesiae incumbentia, adjutricem multorum exposcunt operam, quam vario tempore institutae Congregationes Cardinalium praestant, quaeve plures existunt, et earum Definitiones seu Declarationes magnae sunt auctoritatis, imo, cum praesidente, aut consulto Pontifice fiant, si generales sint, et praescripta forma expeditae, vim legis univer-

salis habent; secus vero, in negotiis privatorum latae, his pro norma deserviunt. Tam eae, quae ecclesiastica, quam et, quae civilia negotia pertractant, serie illa, qua in *Romano Ecclesiae et Status Schematismo* comparent, isthic recensebuntur.

1° *Congregatio S. Officii seu Inquisitionis.* Instituti hujus initia per nonnullos referuntur ad tempora Innocentii PP. III., binis sacerdotibus Ordinis Cisterciensium A. 1204 committentis, ut haereticos Albigenses tum per publicam, cum et per privatam institutionem ad viam emendationis et poenitentiae reducere contendant, reluctantes vero Censuris ecclesiasticis afficiant. Serius Inquisitionis munus Dominicanis, ac ex parte Franciscanis fuit commissum, neque illud odii et invidiae objectum erat interea donec in nonnulis regnis, recedendo a Pontificum salutari, — in spiritu Ecclesiae non armis et imperio, ast praedicatione Evangelii, regnum Dei dilatantis edita — instructione, civilis Auctoritas ad politicos fines eo abuti cepisset. Congregationem S. Officii Romae primus Paulus III. 1542; dein Pius V. ac tandem Sixtus V. edita Bulla: „Immensa aeterni Dei" organisavit. Sphaera ejus est: *intendere puritati doctrinae catholicae*; ideo contra haereticos, schismaticos, apostatas a fide, sortilegos, praedicatores, aut defensores scandalosarum propositionum inquirit, et perniciosos idmodi novatores citat, atque pertinaces haereticos a coetu fidelium rescindit. Sacramentorum abusui occurrit, libros, fidei, bonis moribus, et disciplinae ecclesiasticae adversa continentes proscribit. Gregorius XV. autem vetuit libros prohibitos legendi facultatem deinceps concedi, nisi a Congregatione S. Officii singulis hebdomadis coram se haberi solita. Interim indulgentia haec tribuitur Episcopis in *Facultatibus Quinquennalibus*, quae infra per extensum inducuntur.

Congregationis hujus *Praefectus* est ipse Pontifex; secretarius Cardinalis, et Assessores, qui proprie

hanc Congregationem constituunt, quindecim Cardinales, *Consultores* e Theologis et Canonistis etiam Praelatis assumi soliti; e Regularibus tamen stabiles Consultores sunt: Ordinis Praedicatorum Generalis magnus Magister, tum Magister S. Palatii, item Commissarius aeque Dominicani; unus praeterea ex ordine minorum Conventualium. Adsunt insuper Fiscales, Advocatus sub Inquisitione constitutorum, Notarii, et septem Judices Inquisitionis. Consultores consident Feria 2ª; Cardinales Feria 4ª, et singulis Feriis 5ᶦˢ, est Congregatio proprie dicta sub praesidio Papae, in qua occurrentia gravissima negotia discutiuntur.

2° *Congregatio Apostolicae Visitationis*, per Clementem PP. VIII. anno 1692 erecta, cujus munus foret Ecclesias Urbis, Monasteria et alia loca pia visitare; abusus irrepentes corrigere, implementum onerum Missarum recognoscere, et ecclesiasticam disciplinam promovere. — Innocentius XII. Cardinales et Praelatos Congregationis, ad praestitutum Visitationis scopum, amplissimis facultatibus instruxit, praesertim vero ut eorundem Ordinationes omni appellatione remota executioni mandentur disposuit. In Congregatione hac piarum Fundationum negotia, Missarum reductiones tractantur; haec simul gerit curam, ut Romae facta pia legata in effectum abeant. Constat ex Praefecto, 12 Cardinalibus, duobus Secretariis, Cancellario, Fiscale et Commissario.

3° *Congregatio negotiis Consistorialibus; et Congregatio pro erectione Ecclesiarum, et provisionibus Consistorialibus.* Constat ex Praefecto, qui est summus Pontifex, Cardinalibus Ordine senioribus, Prosecretario, Prosubstituto, et Rationante; hi tres posteriores in eadem qualitate etiam penes S. Collegium Cardinalium funguntur. — In priori Congregatione expenduntur negotia, in proximo *Consistorio* assumenda. Ad posteriorem pertinet: erectio, unio, suppressio Dioecesium, translationes, cambia, electiones, postulationes, praesentationes, confirmationes, recursus Episcoporum ad impetrandum Coadjutorem, et inductio Ordinis regularis. Objecta hic pertractata postmodum transferuntur ad Consistorium secretum.

4° *Congregatio super negotiis Episcoporum et Regularium.* Haec consistit ex Praefecto et Cardinalibus insimul numero triginta octo, ideo per antonomasiam *Congregatio Cardinalium* dicitur. Habet sibi adnexos Secretarium Praelatum, et sub-secretarium, item 24 Consultores. Pertractat summarie negotia et differentias Episcoporum et Regularium Ordinum; objectum nominationis Pro-Vicarii Apostolici; controversias de juribus et privilegiis; item eas, quae inter regulares et saeculares Clericos ratione jurium parochialium oriuntur; cognoscit causas Regularium quoad professionem religiosam, electiones, officia, eas item, quae publicum Religiosorum regimen, et differentias unius Ordinis cum alio concernunt; translationes Monialium ex uno Monasterio ad aliud, quam transitus facultatem tribuendi auctoritate, etiam S. Poenitentiaria pollet. Examinat quoque casus *publicos* Clausurae a Monialibus, vel ab aliis quibuscunque personis ad malum finem violatae.

5° *Congregatio interpretum Concilii Tridentini.* Huic occasionem praebuit ipsum Concilium Tridentinum Sess. 25. „De recipiendis et observandis Decretis Concilii," disponens: ut si aliqua inciderint, quae declarationem aut definitionem postulent, . . confidit S. Synodus Beatiss. Rom. Pontificem huic consulturum." Pius IV itaque, postquam in Bulla Confirmationis Concilii, ab interpretatione Actorum omnes inhibuisset, edita 1564 Bulla distincta Congregationem ex octo Cardinalibus consistentem, *pro executione et interpretatione Concilii Tridentini constituit.* Sixtus V. in Constit: „Immensa" potestatem concessit decla-

randi casus dubios in materia reformationis ita tamen, ut Declarationes Interpretum Concilii Tridentini nisi cum assensu Pontificis edantur. *Decreta fidei* vero Pontificibus exclusive reservavit. — Declarationes sua forma editae — disponente Urbano VIII — plenum vigorem tam in Judiciis, quam extra haec habent. Praelaudatus autem Sixtus V. praeterea decrevit, ut Congregatio haec provideat Synodos Provinciales et Dioecesanas, prout a Concilio Tridentino ordinatum est, celebrari. *Provincialium vero,* — inquit idem Pontifex — *ubivis terrarum illae celebrentur, Decreta, ad se mitti praecipiat, eaque singula expendet et cognoscet.* Posterius hoc, qualiter per Congregationem praestari soleat, in Capite de Synodis Provincialibus exponitur. Quoad Dioecesanas tamen Synodos Congregatio haec memorata activitate destituitur, imo rogata, ut Acta Synodi Dioecesanae Strigoniensis recognosceret, die 12ª Junii 1645 respondit: „*se non consvevisse revidere et adprobare nisi Synodos Provinciales ex Const. Sixti V. et quod idcirco Episcopus uteretur jure sibi ex Concilio Tridentino competente.*"

Hujus Congregationis praeter Praefectum Cardinalem, de praesenti membra sunt 32 Cardinales, item Secretarius et Sub-Secretarius. Praeterea est sectio e 12 Praelatis, et uno responsa ad Episcopos concipiente consistens, quae Archi- et Episcoporum ac caeterorum Ordinariorum de Dioecesibus relationes et postulata, secundum puncta per Benedictum XIV. praescripta factas, (in Hungaria Quinquennales) examinat, congrua responsa dat, caeteraque materiam Visitationis Liminum Apostolorum concernentia expedit.

6º *Congregatio Residentiae Episcoporum.* Haec Episcoporum ultra annum a Residentia absentium, prout et Abbatum Ordinum Religiosorum non residentiae causas examinat, et veniam absentiae tribuit.

Constat ex Praefecto et quinque Cardinalibus ac Secretario, est e minimis Congregationibus; neque periodice considet.

7º *Congregatio Immunitatis Ecclesiasticae et Controversiarum Jurisdictionalium.* Per Urbanum Papam VIII. erecta, assignatis eidem objectis Ecclesiasticas Immunitates personales, reales et locales concernentibus. In quantum interim Immunitates hae cumprimis reales et locales jam saeculo priore, ob impropitia rebus Ecclesiae adjuncta, vix non ubique et fere penitus sublatae sunt, in tantum Congregationis hujus sphaera agendorum decrevit. Praeter Praefectum Cardinalem 18 Cardinales et 12 Praelati huic Congregationi adscripti sunt.

8º *Congregatio de propaganda fide.* Fundavit et dotavit eandem 1622º Gregorius Papa XV., scopo S. Missiones ad Religionem Catholicam inter infideles propagandam coordinandi et dirigendi. Urbanus VIII erectum per se 1637º amplissimum *Seminarium de propagandaa fide, Collegium Urbanum* dictum, curae Congregationis hujus subjecit. Seminarium isthoc numerat ultra Centum Alumnos e diversis Nationibus, quae sub sole sunt; pro Chinensibus vero ob clima mitius Neapoli Collegium habet. Alumni instituuntur praeferenter in Theologia et omnibus majorum Nationum linguis, ac pro Missionariis qualificantur. Congregatio de propaganda fide habet duos Cardinales Praefectos, unum Praesidem, alterum Praefectum Oeconomiae; ad eam pertinent 26 Cardinales, 2 Secretarii, 26 Consultores maxima parte ex Ordinibus Religiosis assumti, 4 Concipistae, Archivarius, et Sub-Archivarius, unus Referens objectorum in Pontificia Audientia, qui in continua est correlatione cum Presbyteris *minutali* dictis Missionariorum totius orbis correspondentibus; insuper Director Exactoralis et Rationans. Congregationi huic subsunt in specie Vicarii Missionum illarum, quae primum in Natione

quapiam ad fidem Catholicam convertenda desudant. Congregatio haec expedit facultates a Pontifice Ordinariis pro foro externo et quidem ad beneplacitum concessas, quae inferius per extensum adnectuntur. Praeterea ad hanc pertinet sectio *spolii Camerae Apostolicae*, defunctorum Episcoporum relictam substantiam pertractans.

9° *Congregationis Indicis.* Haec revidet et censurat impressa opera, et si eadem populi christiani fidei, moribus, et disciplinae ecclesiasticae perniciosa reperiat; talium lectionem prohibet, observataque praescripta Norma *Indici prohibitorum librorum* infert. Tempore Concilii Tridentini multorum querelae personuerunt de libris fidem et bonos mores corrumpentibus, nimium propagatis. „Paulus IV. Papa, solerti studio selectorum Virorum, librorum perniciosorum Indicem ad id usque tempus editorum promulgaverat, unde videbantur revocanda a Concilio non esse ad novum judicium auctoritate sua, ea, de quibus sedes Apostolica cognitionem habuerat. Confectus itaque fuit Index, auctoritate sedis Apostolicae, studio selectorum Virorum, cujus intuitu Synodus nihil decernendum censuit. Pro futuro autem decrevit Sess. 18. „Cum omnium primum animadverterent, hoc tempore suspectorum ac perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur, et longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse, quod quidem in causa fuit, ut multae censurae in variis provinciis, et praesertim in alma Urbe Roma pio quodam zelo editae fuerint, neque tamen huic tam magno ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam; censuit, ut delecti ad hanc disquisitionem Patres, de censuris, librisque, quid facto opus esset, diligenter considerarent, etiam ad eamdem S. Synodum suo tempore referrent“ [2]). Indicem librorum per Patres

---

[1]) **Pallavicini Historia Conc. Trid. l. 15. C. 18 et 19.**

ad id delectos confectum fuisse, patet e Sess. 25., ubi provocative ad mox expositum Decretum haec habentur: „Audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob librorum varietatem et multitudinem distincte et commode possit a S. Synodo dijudicari, praecipit, ut quidquid ab illis praestitum est, SSmo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur, et evulgetur.“ Exstitit itaque jam ante Concilium Trid. Congregatio Indicis, cui tamen modernam formam indidit Sixtus V. Papa eamque quasi subsidiariam fecit Congregationi S. Officii, sphaeram quoque agendorum definiendo: „qui,—inquit,—post Indicem jussu Concilii Trid. editum prodierunt, Catholicae doctrinae, christianorumque morum disciplinae repugnantes, expendant, et recognoscant, ac ubi nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant, hominum vero injuria et dolo depravatos emendent; eos libros, qui paucis erroribus rejectis, alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi atque corrigendi modum ineant, Indicesque expurgatorios conficiant; novos praeterea libros approbandi, et imprimendi rationem praescribant.“ Congregatio haec ex Praefecto et numero Cardinalium ad beneplacitum Pontificis in momentosissimis duntaxat casibus Praesidium gerentis, Magistro S. Palatii qua *perpetuo Assistente*, et alio Dominicano qua *Secretario*, Consultoribus numero indefinito, Theologis item, et eruditione ac doctrina conspicuis viris consistit. Consultores censurant libros, et opiniones ac observationes motivis fulcitas substernunt. In perstringendis, si necessum est, libri cujuspiam Propositionibus, et Sententiis, hi termini sunt in usu: Propositio haeretica; haeresim sapiens; haeresi proxima; schismatica; erronea in specie; blasphema; impia; scandalosa; piarum aurium offensiva; seductiva; male sonans; periculosa quae facile inamoenis litibus ansam

praebere posset; temeraria, seu opinioni Ecclesiae Patrum sine fundamento adversa.

10ª *Congregatio SS. Rituum*; quam erexit Sixtus V. Papa, eo scopo, ut praescripti sacri Ritus in Missa, administratione Sacramentorum, caeterisque Officiis ad divinum cultum pertinentibus accurate et ubique locorum observentur. Congregatio haec decidit quaestiones circa praecedentiam in processionibus, et aliis publicis functionibus ortas; super jure funerandi, et ordine funebri, ut cuncta uniformiter et recto ordine in Ecclesia peragantur disponit, item quae ad Processum Beatificationis aut Canonisationis servorum Dei necessaria sunt, praeparat. Consistebat autem e quinque Cardinalibus, nunc vero eorum numerus pendet a beneplacito Papae, et solent nominari ultra Viginti; quibus adlaterantur aliqui Praelati, in specie Magister S. Palatii, unus Secretarius, duo Promotores fidei, Sacrista Pontificius, plures Consultores, qui de praesenti ultra triginta numerantur, Cardinalibus Congregationis hujus insuper incumbit obligatio Principes et Legatos Romam venientes excipiendi.

11° *Congregatio Regularis Disciplinae.* Consistit ex Praefecto et 14 Cardinalibus, Secretario, substituto Fiscale et Secretario, Congregationis super negotiis Episcoporum et Regularium; tum Consultorum novem, Ordinum Regularium Individuis, inter hos est Magister S. Palatii. Congregatio haec negotia Constitutionum et Regularum Ordinum Religiosorum, item super disciplina regulari, transitu ex uno Ordine ad alium, et saecularisatione Religiosorum pertractat.

12° *Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum;* quae examinat et authenticat S. Reliquias, et concessiones Indulgentiarum, ac in utrisque his admissos abusus reprimit. Praeter Praefectum et Cardinales, qui decem in praeindicato Schematismo exponuntur, habet Secretarium et Substitutum, tum Consultores e Praelatis et pluribus Religiosis consistentes.

13° *Congregatio Examinis Episcoporum.* In hac e Theologia et Canonibus in praesentia suae Sanctitatis Episcopi Italiae, ante Confirmationem et Consecrationem, examini subjiciuntur. Examinatores sunt partim Cardinales, partim alii Praelati scientia conspicui.

14° *Congregatio ad emendandos libros Orientalis Ecclesiae;* quae omnes libros Orientalis Ecclesiae censurae subjicit.

15° *S. Consulta.* Pertractat sub Praesidio Cardinalis Status Secretarii, Status Pontificii negotia saecularia; haec simul est supremum Cassationis Tribunal, ubi una graviores criminales causae in ultima instantia deciduntur. Habet praeterea sectionem in negotio sanitatis operantem.

16° *Congregatio super extraordinariis negotiis ecclesiasticis;* inducta per Gregorium XVI Papam, ad quam in specie nunc objectum Concordatorum pertinet.

17° *Congregatio Fabricae S. Petri in Vaticano.* Tribunalis hujus Auctoritas ad nonnullas tantum regiones protenditur, et caetera inter etiam executionis ultimarum voluntatum, implementi piorum Legatorum curam sustinet; e Cardinalibus 18, ex quibus unus est Praefectus, alter Pro-Thesaurarius, pluribus item Praelatis composita.

Reliquae Congregationes, qualis est: *Boni Gubernii,* quae extra Legationes Pontificii Status, Superinspectionem in Provincialibus et Communalibus negotiis exercet; *Hydraulicarum Operarum;* Oeconomiae status, *Studiorum,* velut Status Pontificii privatae, isthic duntaxat memorantur.

§. 14. Tribunalia suprema.

Haec collective sumta audiunt *Curia Romana.* Sub hac nomenclatione stricto sensu comprehenduntur cunctae sive administrativae, sive judiciariae Jurisdictiones, in exercitio muneris Primatialis Pontifici operam navantes. Horsum pertinent in specie: *S. Poenitentiaria; Cancellaria Apostolica; Dataria Romana; Rota Romana; Camera Apostolica; Signatura Justitiae.*

1⁰ *Poenitentiaria.* Est Tribunal, quod in Irregularitatibus sive ex defectu, sive ex delicto provenientibus, occultis matrimonii Impedimentis, Votis, Inhabilitatibus Dispensationem; ac in casibus Sedi Apostolicae reservatis Absolutionem pro foro interno impertitur. Officium Poenitentiariae antiquissimae originis esse, omnium unanimis est consensus; cum enim vigore reservationum, a gravioribus criminibus absolutionem dare, ab irregularitatibus, impedimentis item Matrimonii dispensationem largiri ad Sedem Apostolicam pertinuerit, his vero cunctis cognoscendis et decidendis summus Pontifex haud suffecisset; constitutus est primum Poenitentiarius, tum Officium Poenitentiariae, quod Auctoritate Sedis Apostolicae ea, quae ad salutem animarum conferre valebant, exequebatur. Tanta autem ex hujus Instituti ministerio in Ecclesiae administrationem utilitas dimanavit, ut Summi Pontifices eidem universas causas, quippe tam illas, quae ad Tribunal Poenitentiae, quam et eas, quae ad externum Forum pertinent, expediendas concrediderint. Mole interim negotiorum crescente, jam Pius Papa V. edita 1571 constitutione, quae incipit „In omnibus“ objecta discriminavit, casibusque nonnullis ad alia Tribunalia relegatis, novam Poenitentiariae Officio formam indidit. Innocentius XII. et 1732⁰ Clemens XII. quaedam in

officio Poenitentiariae alterarunt, donec tandem Benedictus XIV. [1]) facultates eidem Poenitentiariae et majori Poenitentiario competentes determinasset, quae horsum reducuntur: Poenitentiarius quippe major, et Poenitentiaria — cujuscunque conditionis et sexus poenitentes a criminibus atrocibus, tam publicis, quam occultis, etiam in Bulla coenae Domini reservatis, a Censuris item in utroque foro; publicos item haereticos, seu apostatas a fide catholica in foro conscientiae tantum absolvit; super quacunque irregularitate et inhabilitate ex quocunque delicto etiam homicidio voluntario, et ex quocunque defectu proveniente, in casibus tamen occultis, et in foro conscientiae tantum dispensat, ita, ut his irretitus ad ordines promoveri, aut in susceptis ministrare, dignitates beneficia canonice obtenta retinere; aut utrasque, (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus et Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeat. Regulares tamen, quando agitur de publico natalium defectu, ad *Generalatum* habilitare nequit. Similiter homicidas voluntarios, et bannitas, ut ad Ordinem Religiosum suscipi, et professionem elicere possint; etiam cum male, aut per saltum promotis ad ordines, non secus et cum simoniace ordinatis, utrobique in casibus duntaxat occultis dispensat. Titulos beneficiorum cum occulto vitio obtentos convalidat, excepta simonia reali, scienter contracta, etiam in foro conscientiae et in casibus occultis, nisi simonia fuerit ex ignorantia juris vel facti contracta, et orator de illa certior factus, quamprimum commode potuerit, dispensationem petierit. Accipientis munera a Regularibus, — exceptis devotionis muneribus, uti rerum medicinalium, — ultra Valorem decem scutatorum absolvere non valet. Juramenta, ubi praejudicium tertii non

---

[1]) Constit. 1744 „Pastor bonus“ inter selectas constit. P. 1. Nr. 32.

subversatur, relaxare, prout et vota simplicia, tametsi privato juramento confirmata in alia pietatis opera etiam ad effectum contrahendi matrimonium, dum agitur de voto castitatis, vel ingrediendi religiosi Ordinis, commutare; Horarum Canonicarum recitationem propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem in alias preces permutare; Poenas in Apostatas seu fugitivos Regulares latas moderari; Transitum etiam a strictiori ad laxiorem Ordinem concedere potest, — excepto transitu ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiae, et alias consimiles Congregationes, item ad Hospitalares et Militares Ordines, nisi forte ad ordinem S. Joannis de Deo. Porro

In matrimoniis *contrahendis* etiam in foro conscientiae in impedimentis consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, aut ex cognatione spirituali provenientibus, tametsi impedimentum sit occultum; — non secus et in contractis matrimoniis, seu matrimonii revalidatione in gradibus 1° et 2° aut secundo tantum, consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, nisi decennio occultum sit impedimentum, Oratores publice contraxerint, et ut conjuges legitimi reputati fuerint, a dispensando abstinet. Caeterum in casibus *contractorum matrimoniorum* in Dioecesi Nitriensi, dum de mox expositis impedimentis ageretur Recursu ad Poenitentiarium Majorem facto e S. Poenitentiaria dispensatio sine mora et toties quoties opus erat venit. — Porro ut in casibus obtentae a Dataria dispensationis, cum reticentia copulae inter oratores secutae, ratione hujusmodi reticentiae; item super occulto impedimento affinitatis ex copula illicita; tum occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante, tam in contrahendis, quam et contractis, demum ad petendum licite debitum conjugale dispensare possit, admissum. Praeter casus hos in praememorata Constitutione recensitos, praelaudatus

Pontifex *de casibus non celebratarum Missarum, pro quibus percepta est eleemosyna; vel percepti fructus*, tradit, condonationes idmodi eleemosynarum vel fructuum reservatas esse auctoritati Pontificiae, qui per se, aut per *Organum Poenitentiariae* opportune providet, ex spirituali thesauro Ecclesiae supplendo, quidquid in oneribus implendis peccatum est; in suffragium autem et expiationem animarum, pro quibus omissa sacrificia offerri debuerant, congruum Missarum numerum celebrari quotidie mandat ab aliquibus Capellanis huic muneri destinatis in Vaticana basilica, cujus Fabricae modica illa eleemosyna, *compositio* dicta, per eos, qui conditiones petunt, solvenda addicitur [1]).

Supra recensitas Poenitentiariae Facultates Ferraris promta Bibliotheca Canonica in compendio continet hunc in modum: „Absolvit nempe a peccatis et censuris. Dispensat super irregularitate. Convalidat titulos beneficiorum condonando, seu componendo quoad fructus male perceptos. Remittit seu condonat alia male percepta, et habilitat ad percipiendum. Relaxat seu commutat juramenta, vota et onera. Regulares habilitat, absolvit, et transitus facultatem eisdem concedit de una ad aliam Religionem. Eadem quoque respectu Monialium. Dispensat in matrimonialibus, super impedimentis impedientibus occultis, revalidat dispensationes male obtentas, etiam prolem legitimando."

S. Poenitentiariae Praeses est Cardinalis, *Poenitentiarius Major* dictus, qui juxta Const. Pii Papae V., sit Presbyter, Magister in Theologia, seu Decretorum Doctor. Post hunc praecipuus Officialis est *Regens Poenitentiariae*, teneturque e memorata Constitutione esse aeque Magister Theologiae vel Decretorum Doctor, vir eximia doctrina praestans, casuum-

[1]) De Syn. Dioec. l. 13. C. 25. N. 15.

que conscientiae peritus; uti et alter Officialis, *Datarius* dictus. *Regentis* auctoritas est magna; vices enim gerit Majoris Poenitentiarii, ad plures absolutiones et dispensationes jure proprio concedendas facultate instructus. Datarius scribit datam in hunc modum: *Datum Romae apud S. Petrum sub sigillo Poenitentiariae;* si in Vaticano resideat; si vero in Quirinali: *Apud Sanctam Mariam Majorem.* Calendis Decembris, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Pii IX. Papae, Anno N. — His adnexi sunt duo *Consultores*, nempe unus Theologus alter Canonista, unus item *Corrector*, unus *Sigillator* et *Pro-Sigillator*, tres *Secretarii*, *Archivarius, Protocolli Director,* et tres *Scriptores.* Quolibet mense, et pro re nata etiam alias Officium Sacrum convocatur, quae convocatio Signatura Poenitentiariae audit. Poenitentiarii Majoris, et Poenitentiariae officium ab obitu quoque Pontificis permanet; imo si Poenitentiarium Majorem vel aliquos e Poenitentariis, *sede vacante*, per mortem, aut quavis ratione deficere contingeret, Cardinalium Conclave alios surrogat. In Basilica S. Petri, in Tribunali elevatiori, hebdomadae sanctae die Parasceve et Sabbato Sancto sedet ad exaudiendum Cardinalis Poenitentiarius Major; praeter hunc sunt insuper *Poenitentiarii Minores*, pro commoditate omnium Nationum in Ecclesia Vaticana, seu S. Petri, ex Ordine S. Francisci; in Basilica Lateranensi ex Ordine Minorum observantium reformatorum, et in Basilica Liberiana seu S. Mariae Majoris fidelium confessiones excipientes, qui in signum potestatis, virgam in manu tenent, qua poenitentes tangere consueverunt. Demum idem Benedictus XIV. praememorata Constitutione: „omnibus Christi Fidelibus, qui ex veteri et laudabili instituto Poenitentiarium Majorem, munere suo statutis diebus Hebdomadae Majoris in tribus Urbis Basilicis solemni ritu fungentem, pie reverenterque adierint, seseque poenitentiali Virga tangendos submiserint,

centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consveta relaxandi perpetuam facultatem eidem majori Poenitentiario confirmavit, et quatenus opus esset, de novo concessit. In Poenitentiaria nullae taxae currunt, sed omnia *Gratis pro Deo* expediuntur.

Facultatum Poenitentiario Majori et officio Poenitentiariae competentium plures communicantur Archi- et Episcopis pro quinquennio, ideo quinquennales dictae; quae pro directione et usu curati Cleri hicce subnectuntur. — Juxta modernam praxim, occurrente Dispensationis casu, mutatis nominibus Oratorum, per respectivum Confessarium recursus ad Ordinarium dirigitur, qui aut vigore quinquennalium facultatum, qua sedis Apostolicae delegatus, dispensat; aut vero, in quantum opus foret, ad Poenitentiarium Majorem fine obtinendae Dispensationis recurrit.

In Dioecesi Nitriensi habent VADiaconi ex concessione Ordinariatus facultatem amissum petendi debiti conjugalis jus restituendi, imo in singillativis casibus, et pro una tantum ad semel vice, ad restituendum, sive Parochum, sive Cooperatorem Districtualem subdelegandi. Caeterum plura de Dispensationibus, ubi de matrimonii impedimentis agitur.

Facultates Quinquennales.

Emmanuel Miseratione Divina Episcopus Portuensis etc.

Vobis Venerabili in Christo Patri N. N. moderno Episcopo Ecclesiae N. infrascriptas communicamus facultates, quibus pro Foro Conscientiae per Vos, sive per Vestrum Vicarium in Spiritualibus Generalem, dummodo in Sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus, etiam extra Sacramentalem Confessionem pro Grege Vobis commisso, et infra fines Vestrae Dioecesis tantum, atque de speciali, in unoquoque Casu exprimenda, Sedis Apostolicae auctoritate Vobis delegata, uti valeatis: easque Canonico Poenitentiario, nec non Vicariis foraneis pro Foro pariter Conscientiae, sed in actu Sacramentalis Confessionis duntaxat, etiam habitualiter, si Vobis placue-

rit: aliis vero Confessariis cum ad Vos, sive ad praedictum Vicarium Generalem in casibus particularibus Poenitentium recursum habuerint pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares Causas aliquibus Confessariis a Vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio Vestro statuendum, illas communicare judicabitis.

1º Absolvendi ab Excommunicatione ob manus violentas injectas in Clericos, aut Presbyteros, vel in Regulares, dummodo non fuerit sequuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio: et dummodo Casus ad Forum externum deducti non fuerint: injunctis injungendis, et praesertim, ut parti laesae competenter satisfiat.

2º Absolvendi a Censuris contra Duellantes inflictis, in casibus duntaxat ad Forum Externum non deductis. Injuncta gravi Poenitentia salutari, et aliis injunctis, quae fuerint de Jure injungenda.

3º Absolvendi quoscunque Poenitentes sive Viros, sive Mulieres (exceptis Haereticis publicis, sive publice Dogmatizantibus) a quibusvis Sententiis, a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis incursis ob Haereses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externatas ob Infidelitatem, et Catholicae fidei abjurationem private admissas, Sortilegia, ac Maleficia etiam cum Sociis patrata, nec non ob daemonis invocationem cum pacto donandi animam, eique praestitam Idololatriam, ac Superstitiones exercitas, ac demum ob quaecunque insinuata falsa Dogmata; postquam tamen Poenitens Complices si quos habeat, prout de Jure denunciaverit, et quatenus ob justas Causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a Poenitente seria promissione denunciationem peragendi cum primum, et meliori modo, quo fieri potuerit; et postquam in singulis Casibus coram Absolvente haereses secrete abjuraverit, et pactum cum maledicto Daemone initum expresse revocaverit, tradita eidem Absolventi singrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda, seu destruenda. Injuncta pro modo excessuum gravi Poenitentia Salutari, cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata Scandala.

4º Absolvendi a Censuris incursis ob violationem Clausurae Regularium utriusque Sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non secuto, et dummodo Casus non fuerint ad Forum externum deducti, cum congrua Poenitentia Salutari. Et insuper absolvendi Mulieres tantum a Censuris, et poenis Ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem Clausurae Virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen Casus occulti remaneant, injuncta gravi Poenitentia Salutari; cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam, et Conventum,

seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

5º Absolvendi a Censuris ob retentionem, et lectionem Librorum prohibitorum incursis, postquam tamen Poenitens Libros prohibitos, quos in sua potestate retinet, prout de Jure consignaverit, seu consignare fecerit, cum congrua Salutari Poenitentia.

6º Absolvendi a Casu Sedi Apostolicae reservato ob acceptа munera a Regularibus, utriusque Sexus; injuncta Poenitenti, quando agitur de muneribus infra valorem decem Scutorum, aliqua eleemosyna absolventis judicio taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de Bonis propriis Religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem Scutorum decem, vel constet fuisse de Bonis propriis Religionis, facta prius, restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, praestita in manibus Absolventis obligatione restituendi intra terminum ejus arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia.

7º Absolvendi Religiosos cujuscunque ordinis (etiam Moniales, per Confessarios tamen pro ipsis a Vobis approbatos, vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a Casibus, et Censuris in sua Religione reservatis.

8º Dispensandi ad petendum Debitum Conjugale cum Transgressore Voti Castitatis, qui Matrimonium cum dicto Voto contraxerit: hujusmodi Poenitentem, monendo ipsum ad idem Votum servandum teneri, tam extra licitum Matrimonii usum, quam si Marito, seu Uxori respectivae supervixerit.

9º Dispensandi cum Incestuoso, sive Incestuosa, ad petendum Debitum Conjugale, cujus Jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam Carnalem habitam cum Consangvinea, vel Consangvineo, sive in primo; sive in primo et secundo; sive in secundo gradu suae Uxoris, seu respective Mariti: remota occasione peccandi: Et injuncta gravi poenitentia Salutari, et Confessione Sacramentali quolibet Mense, per tempus arbitrio Dispensantis statuendum.

10º Dispensandi super occulto Impedimento Primi, nec non Primi, et Secundi, ac Secundi tantum Gradus Affinitatis ex illicita Carnali Copula provenientis, quando agitur de Matrimonio cum dicto Impedimento jam contracto: Et quatenus agitur de copula cum suae putatae Uxoris Matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae Uxoris nativitatem, et non aliter: monito Poenitente de necessaria secreta renovatione Consensus cum sua putata Uxore, aut suo putato Marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur; remota occasione peccandi, ac injuncta gravi Poenitentia salutari et Confessione Sa-

cramentali semel in mense per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

Item Dispensandi super dicto occulto Impedimento, seu Impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in Matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad Nuptias, nec Matrimonium absque periculo gravis Scandali differri possit usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit Dispensatio; Remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula habita cum Matre Mulieris hujus nativitatem non antecedat; Injuncta in quolibet casu poenitentia Salutari.

11° Dispensandi super occulto Criminis Impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de Matrimonio jam contracto: monitis putatis Conjugibus de necessaria Consensus secreta renovatione: ac injuncta gravi Poenitentia Salutari, et confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus Dispensantis pariter arbitrio statuendum.

12° Dispensandi denique super Impedimento Tertii, et Quarti, vel Quarti simplicis Gradus, sive Graduum Consangvinitatis, vel Affinitatis, super quo, seu quibus obtenta fuerit Dispensatio a Dataria Apostolica, et in Litteris hujusmodi Dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quae tamen occulta remaneat. Ac etiam Dispensandi, seu revalidandi Litteras Apostolicas ejusmodi irritas, ac nullas redditas ex Incestu, sive post petitam Dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato, ac iterato usque ad eandem executionem, in casibus semper occultis, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive jam contracto: monitis in Matrimonio contracto putatis Conjugibus de necessaria mutui Consensus secreta renovatione; Injuncta in singulis casibus congrua Poenitentia salutari.

13° Praeterea absolvendi a Censuris, et poenis ecclesiasticis eos, qui Sectis massonicis, carbonariis, aliisque similibus nomen dederunt, vel favorem praestiterunt, postquam tamen a respectiva Secta se separaverint, eamque abjuraverint, libros, Signa, ac manuscripta, Sectam respicientia, si quae retineant, per medium absolventis Sibi tradiderint, veraeque poenitentiae signa exhibuerint. Firma obligatione renunciandi Sectae Socios, et Magistros, prout de Jure, et quoad Carbonarios, eos omnes, de quibus in SS.-praecipimus-Bullae-Ecclesiam a Jesu Christo-fel. rec. PP. Pii VII. editae, et a Leone PP. XII. confirmatae; Injuncta gravi pro modo culparum poenitentia salutari, cum frequentia Sacramentalis Confessionis, aliisque injunctis de jure injungendis.

Volumus autem ut supradictis Facultatibus uti valeatis tantummodo per Quinquennium a dato praesentium computandum. Datum Romae ex aedibus Nostris die. Et Card. de Gregorio *M.*

(L. S.)

2do *Cancellaria Apostolica.* Haec obligationem habet, graviora in *Consistorio* vel *Dataria* pertractata objecta, potissimum in Forma Bullae, interdum etiam in Forma Brevis expediendi. Cancellaria Apostolica magnae semper auctoritatis et activitatis erat; usque tempora Urbani PP. III^ii^ praesidium gesserunt Cancellarii; Urbanus interim e Cancellario Apostolico 1185° ad Pontificatum evectus, nullum Cancellarium nominavit, ast officium hujus Vice-Cancellario commisit; nomenclatione hac etiam per Bonifacium PP. VIII. stabilita, qui coordinando Cancellariam Apostolicam, muneri Praesidis Vice-Cancellarii semper unum e Cardinalibus admovendum disposuit. Praeest itaque Cancellariae *Cardinalis Vice-Cancellarius,* una *summista,* et qua talis habet *substitutum summistam*; inter officiales primus est *Cancellariae Director*, cui plures subordinantur; uti sunt *14 Abbreviatores, de parco majori*, dicti a loco Cancellariae, in quo conveniunt, quive passim *Parcus* nominatur. Hi semper Actuales Aulae Praelati, caetera inter collegialiter decidunt occurrentia super clausulis Litterarum dubia; residui abbreviatores vocantur de *parco minori*; numerus horum ultra 20 ascendit. Objecta Cancellariae sibi repartita habent Abbreviatores, cum obligatione conceptus, seu *minutas* pro expeditione apponendi. Ultra hos adsunt *scriptores, computistae*, taxas calculantes, nisi hae in via gratiae erga recursum reducantur, relaxentur, aut condonentur. *Plumbatores,* seu conservatores plumbeorum sigillorum, et *sigillantes.* — Cancellaria Apostolica in tractandis negotiis, legibus praescriptis regitur, quae recepto nomine *regulae Cancellariae Apostolicae* dicuntur, et post obitum Papae vigorem suum tunc et in tantum recipiunt, dum et in quantum a neo-electo Pontifice confirmantur. Nicolaus PP. V. 1447° ad Petri Cathedram evectus, numerum illarum ad 72 perduxit; post mutata interim quoad collationem majorum et minorum Be-

neficiorum, Reservationes item Papales, adjuncta, regulis Cancellariae in multis est derogatum.

De *Bullis et Brevibus* hic non incongrue attingitur, apertas has Pontificias litteras, objecto, Forma externa et interna abinvicem essentialiter differre *Bullae* quippe continent Ordinationes in gravioris duntaxat momenti qualia sunt: Fidei, unde etiam Bullae Dogmaticae nominantur; universalis disciplinae, regna, provincias, aut dioeceses in communi concernentibus objectis editas, ac in membrana crassiore subflava, caractere Gallico antiquo, aut Gothico, lingva latina, vocibus abbreviatis et contractis, pendenteque e funiculo sericeo in forma gratiae, aut canabino in forma justitiae, sigillo plumbeo vel aureo pro ratione personarum, quibus sonant, semper per Cancellariam Apostolicam expediuntur. Sigillum exhibet in uno latere imagines SS. Apostolorum Petri et Pauli, in alio nomen Pontificis. Bulla praeambulum habet: *Pius Episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.* Bullae aliae sunt *Consistoriales*, aliae *non Consistoriales;* priores subscribuntur per Cardinales, et aliud sigillum per formam crucis habere solent; posteriores Cardinalium subscriptione carent.

Brevia contra sunt Epistolae, minoris indaginis objecta, signanter e Dataria, Dispensationes matrimoniales, pertractantes, et forma minus solemni, per *secretariam Brevium,* in tenui et alba membrana caractere usu recepto, sub annulo Piscatoris, seu sigillo rubro, in quo S. Petrus naviculae insidet, et nomen Pontificis insertum habetur, expeditae. Breve incipit a formula: Pius PP. IX. Venerabili Fratri Episcopo Nitriensi Salutem et Apostolicam Benedictionem: — in conclusione Benedictionem potissimum etiam gregi commisso impertitur. Breve non subscribitur per Papam sed contrasignatur per Cardinalem Pro-Datarium, et officialem secretarium.

3^io^ *Dataria Apostolica.* Haec in ea correlatione, quasi pars ad totum, constituitur cum Cancellaria Apostolica. Ad sphaeram ejus spectant omnia objecta gratiae. — Momentosiores sive respectu Beneficiorum ad collationem Curiae Romanae pertinentium, sive respectu pensionum super Beneficiis, reservationes Pontificias, tum omnes dispensationes in Impedimentis Matrimonii, pro foro externo in casibus non occultis; dispensationes in aetate ad conferendos et suscipiendos S. Ordines, super Irregularitate, et super alienationibus bonorum Ecclesiae pertractat. Benedictus PP. XIV. edita Constitutione [1]), discriminat materias et Gratias Apostolicas, per *Datariam,* tum per *secretariam Brevium* secretorum expediendas. Dataria habet Praesidem, qui de regula est Cardinalis, et tunc ad distinctionem *Pro-Datarius*, secus autem, si Praelatus tantum sit, *Datarius* vocatur. Praesidi adlateratus *Sub-Datarius*, Recursus recipit, meritum in dorso apponit, et Pro-Datario praesentat, per hunc Suae Sanctitati referendos, quosve ad casum annutus signat his verbis: *annuit sanctissimus.* Dein pertinet horsum *Praefectus negotiorum per obitum,* pro objectis per mortem vacantium Beneficiorum pertractandis constitutus; *Registratores,* inter hos Registrator Recursuum pro dispensationibus matrimonialibus; Custos Recursuum; officialis Brevium; scriba secretarum Bullarum, et plures alii minores officiales. Taxae, — exceptis exiguis sportulis, — e Pii PP. V. et signanter Gregorii XV. ordinatione cedunt pauperibus. Post obitum Papae annulus piscatoris in frusta confringitur, et Dataria clauditur, functionesque ejus usque ad electionem novi Pontificis penitus cessant. — Datariae Apostolicae, Hungariae imo totius Monarchiae Austriacae Ordinariatus, potissimum ad obtinendas Di-

---

[1]) **Quae incipit: „Gravissimum Ecclesiae“ Calendis Decemb. 1745, inter select. n. 47.**

spensationes in Canonicis Matrimonii Impedimentis usum faciunt. Recursus per Ordinariatum semper dirigitur ad summum Pontificem, et quidem, — post sublationem Placeti, inter Caput et membra Ecclesiae libera communicatione restituta, — clause confectus, penes *comitivam litteram* via sollicitatoris, seu Agentis, pro arbitrio Ordinariatus deligendi, *in qua* ad tempus et laborem in correspondentiis lucrandum etiam taxa adjunctis Oratorum proportionata offerri solet. Recursus idmodi experientia teste per Caesareo-Regium Romae Agentem optimo cum successu promovetur. In matrimonialibus ad dandas Dispensationes Pro-Datarius quavis septimana, exceptis feriis, — quae quotannis ab initio Octobris usque 15^{am} Novembris durant, — periodice bis Audientiam habet, et objecta Dispensationum suae Sanctitati refert. — Dispensationem Dataria expedit sub annulo Piscatoris in forma Brevis, quod idem Caesareo-Regius Agens medio postae publicae penes litteras proprias ad Ordinariatum promte ac citra remoram inviat. Breve solet pro executione dirigi ad officialem, seu Vicarium Episcopalem; si tamen Episcopum interea mori contingat, expeditum eatenus Breve Apostolicum Vicarius Capitularis exequi non potest[1]). Dum Oratores ad duas distinctas Dioeceses pertinent, eotum Episcopus Oratricis cointelligentia cum Ordinariatu oratoris vota, Recursum Romam format, et Dispensatio ad Recurrentem pro executione dirigitur. Caeterum ex concessione sedis Apostolicae Ordinariatus in pluribus casibus gaudent jure absolvendi, et dispensandi; prout id ex isthic subjunctis, et eodem tenore cunctis Monarchiae Austriacae Ordinariis ad beneplacitum S. Congregationis de propaganda fide dari solitis facultatibus patet:

---

[1]) Bened. XIV. de Syn. Dioec. 2. c. 9. n. 3.

Facultates Concessae a SS. D. N. D. Pio Div. Provid. PP. IX. R. P. D. N. N. Episcopo N.

1^{0} Absolvendi ab Haeresi, et Apostasia a Fide, et a Schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos, tam saeculares quam Regulares, non tamen eos qui ex locis fuerint, ubi sanctum officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur Haereses deliquerint nec ullos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur Haereses, et post Judicialem abjurationem, illuc reversi, in Haeresim fuerint relapsi, et hos in foro Conscientiae tantum.

2^{0} Tenendi et legendi Libros prohibitos Haereticorum, et ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinei, Nicolai Machiavelli, Historiam Civilem Regni Neapolis Petri Gianonne, Poema inscriptum „la' Pucelle d' Orleans“, et librum cui titulus: De l' Esprit, Istruzioni intorno la santa sede tradotta dal Francese 1765. Oeuvres Philosophiques de Monsieur de la Mettrie, Les Colimacons, Abregé de l' Histoire Ecclesiastique sub mentito nomine „de Fleury, Riflessioni di un Italiano sopra la Chiesa in generale“ sisteme, de la Nature, il vero Dispotismo Londra 1770, la raison par Alphabet, Joannis Laurentii Isembielh novum Tentamen in Prophetiam de Emmanuele, et libros de Astrologia Judiciaria principaliter, ut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

3^{0} Dispensandi in 3. et 4. simplici et mixto tantum, nedum cum pauperibus, sed etiam cum Nobilibus, et divitibus in contrahendis; in contractis vero cum Haereticis conversis, etiam in 2. simplici, et mixto, dummodo nullomodo attingat primum gradum, et in his Casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4^{0} Dispensandi super Impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

5^{0} Dispensandi super Impedimento Criminis, neutro tamen Conjugum machinante, ac restituendi Jus petendi debitum amissum.

6^{0} Dispensandi in Impedimentis Cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

7^{0} Hae vero Dispensationes Matrimoniales, videlicet 3. 4. 5. et 6. non conceduntur nisi cum Clausula, dummodo Mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit in raptoris potestate non existat, et in Dispensationibus hujusmodi declaretur expresse illas concedi tamquam a sedis Apostolicae Delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessae, alias nullae sint.

8⁰ Dispensandi in Irregularitatibus, ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

9⁰ Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis et Religionis.

10⁰ Absolvendi ab omnibus Casibus reservatis etiam in Bulla Coenae, in locis tamen ubi impune grassantur haereses.

11⁰ Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, et alia utensilia ad sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra Unctio et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

12⁰ Conferendi Ordines extra tempora, et non servatis interstitiis, usque ad sacerdotium inclusive.

13⁰ Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

14⁰ Conficiendi olea cum quinque saltem sacerdotibus, non tamen extra diem Coenae Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

15⁰ Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem, sine ministro, sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus, et excommunicatis, et aliter celebrari non possit. Caveat vero ne praedicta facultate, seu Dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis, et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quodsi hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae, ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eandem communicet, aut respective causas adprobet

16⁰ Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos, sine lumine, illudque fine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis, aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

17⁰ Induendi Vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis permanere non poterunt.

18⁰ Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel Divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

19⁰ Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu Carnium, ovorum, et lacticiniorum tempore Jejuniornm, et praesertim Quadragesimae.

20⁰ Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et praesertim tempore sui obitus; ut sede vacante sint, qui possint supplere, donec sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per delegatos, aut per unum ex eis, alio modo provideat.

21⁰ Et praedictae Facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et pro tempore ad Beneplacitum S. Congregationis de propaganda fide tantum concessae intelligantur.

4⁰ *Rota Romana.* Olim pro toto Catholico Orbe supremum Tribunal; ex quo interim ad decidendas in ultima Instantia causas per sedem Apostolicam Judices in partibus delegantur, S. Rota Romana vix non exclusive pure pro statu Pontificio deservit. Nomenclationem a Judicibus ad circulum in forma rotae sedentibus accepit. Origo ejus est antiqua, successuque temporis varias formas, et finaliter sub Gregorio Papa XVI. 1838. essentialem mutationem subivit. Consistit e 12 individuis, *Auditoribus Rotae* dictis; nominatione senior est *Decanus*, qui in Pleno praesidium tenet; singulus vero Auditor habet adjunctos juris peritos, notarios et scribas. Juxta memoratam novissimam 1838ⁱ coordinationem non in tres, ut prius, ast in duos senatus dividitur, quibus respectivus causae referens, *Ponens* dictus praesidet, votisantes autem *Correspondentes* nominantur. Ad peragendas Inquisitiones, Auditores non habent opus speciali commissione, verum tales nutu et nomine proprio praesuscipiunt. Sessiones, exceptis feriis mense Augusto et Septembri, quavis septimana binis vicibus die lunae et die veneris in Palatio Vaticano asservantur. *Decisiones S. Rotae* semper motivatae per extensum imprimuntur, et sunt in analogis casibus magnae considerationis.

5° *Reverenda Camera Apostolica.* Haec universos Reditus tam quippe status Pontificii, quam ecclesiasticos, — nunc jam diminutos, — administrat. Praeses est *Cardinalis S. Romanae Ecclesiae Camerarius*, seu *Camerlengo,* cujus officium etiam Papa e vivis decedente perdurat. Habet Cardinalem Pro-Thesaurarium, et distinctum Cardinalem praesidem *Congregationis ad revidendas Rationes.* Ad Cameram Apostolicam *Generalis Auditor,* plures *Clerici Camerae* voto gaudentes, et status oeconomiae varios ramos administrantes, praeterea *Advocatus Fisci,* et *Advocatus Camerae* pertinent.

6° *Signatura Gratiae.* Inde dicta, quia Pontifex Rescripta Ipsemet subscribit. In Tribunali hoc, cui praesidet Papa, quodve e pluribus Cardinalibus consistit, deciduntur casus juris in via gratiae. Commembra hujus sunt, vi muneris sui, Cardinalis Poenitentiarius, Praeses Datariae, unus Auditor Rotae, Secretarius Brevium, Auditor Camerae. Omnes interim hi votum nonnisi consultativum habent, Pontifice decidente.

7° *Signatura Justitiae.* Praefectus est Cardinalis; octo Praelati cum voto, et multi etiam Signaturae Gratiae Referendarii, partem capientes. Judicat de competentia fori, de admittendis ad Rotam Appellationibus, nullitatis querelis, Restitutionibus in integrum, Recusationibus, Delegationibus. Nonnunquam e Signatura hac objectum ad Signaturam Gratiae appellatur, et ibi deciditur.

Sunt praeterea Capella Apostolica; Aula Pontificia sic dicta Familia Pontificia; demum varii secretariatus Status, qui quidem in bonum totius Ecclesiae cooperantur, magis tamen temporalia status Pontificii concernunt, neque ea propter stricto sensu ad scopum operis hujus pertinent. Non possunt tamen praeteriri sedis Apostolicae Legati, Nuntii, Internuntii, et Negotiorum Gestores, Vicarii, de quibus nunc agendum erit.

CAPUT III.

De Legatis, Nuntiis, Internuntiis, et Vicariis Sedis Apostolicae, ac Proto-Notariis.

§. 15. Origo eorum et Classes.

Legatos mittendi potestate Romanos Pontifices praeditos esse, e scopo, et jure Primatus evincitur. Ipse Febronius jus hoc inter essentialia jura Pontificis refert; „Cum, inquit, supremo Pontifici vi sui muneris incumbat cura, inspectio, et quaedam superintendentia in omnes Ecclesias, is nullibi quoad hoc potest haberi pro extraneo. Quia vero ipse omnibus adesse non potest, sic prohiberi nequit, quominus per Nuntios has suas partes expleat“ [1]). Hac potestate usi sunt Pontifices mox in primordiis Ecclesiae, dum difficillima quaepiam adjuncta emerserunt. Hujus exemplum praebet Liberius Papa, 366° mortuus, qui in causa Athanasii ad Constantinum Imp. binis vicibus Legatos misit, et quidem primo Vicentium Capuensem cum Marcello aeque ex Campania, Episcopos; secundo autem Luciferum Calaritanum Episcopum cum Pancratio Presbytero, et Hilario Diacono. Hi Legati erant qualitatis illius, qui nunc *de Latere* dicuntur, quosve e numero Cardinalium sedes Apostolica in casibus extraordinariis, uti pro foedere pangendo, bello componendo, ad Reges exmittit.

Erat et aliud genus Legatorum in Urbe regia, aut loco eminentiore, per longius tempus negotia procurantium. Ita S. Leo Papa, terminata Synodo Chalcedonensi Juliano Coensi Episcopo solertem vigilantiam, ne condemnatae Nestoriana et Eutichiana haereses propagentur, commisit, utque ad scopum hunc

---

[1]) De Statu Eccl. c. 6. §. 10.

apud Principes opportuna agat, frequentes Pontifici relationes praestet, et in rebus dubiis eumdem consulat, disposuit. Ex hac delegatione, ait Petrus de Marca, „occasio profecta est mittendorum ad Urbem regiam Responsalium Apostolicae Sedis; praecipue post Justiniani tempora, qui felicibus armis triumpho de Gothis acto, Italiam imperio consolidavit. Tunc enim erant assidui in Comitatu Diaconi *Responsales*, qui et causas proprias Ecclesiae Romanae apud Principem prosequebantur, et pro negotiis fidei publicae obsides in Comitatu degebant“ [1]. Hi dicebantur *Responsales*, aut *Apocrisiarii*, quod responsa eorum, a quibus missi fuerunt, executioni mandaverint. Gregorius M. memorat, se vice Pelagii Papae II. apud Imperatorem Apocrisiarii seu Legati munere functum fuisse. Cui Legatorum Generi nunc correspondent *Nuntii Apostolici*, Pontificis ac Sedis Apostolicae nomine apud Imperatores et Reges stabili legatione fungentes. Ii autem, qui non ad summos Principes, sed eorum Locumtenentes, vel supremum Magistratum exmittuntur, *Internuntiorum* nomine veniunt. — His antiquiores erant *Vicarii Apostolici*, Metropolitae nonnullarum principalium Urbium, quibus graviora ad judicium Sedis Apostolicae pertinentia negotia committebantur. S. Innocentius I., ut ipse inquit, Praedecessores suos Apostolicos imitatus, Anysium Thessalonicensem Episcopum, et hoc decedente ejus successorem Rufum, Vicarium Apostolicum constituit. Vicariorum Apostolicorum jura amplissima multis occasionem praebuerunt, dignitatem hanc prensandi, quae primum personalis, subin Ecclesiis alligata continuo in successores transibat, et inde enatum est novum genus Legatorum, sic dicti *Legati nati*.

Jam vel ex hactenus dictis patet, Legatorum plures classes distingui. Legati quippe sunt *missi* vel

[1] De concordia Sacerd. et Imp. L. 5. c. 16.

dati, item alii *nati*. Inter Missos seu datos honore et auctoritate eminent *Legati de latere*, qui Cardinalitia dignitate praefulgent, et causa gravissimorum ecclesiasticorum et civilium negotiorum per Pontificem, cujus lateri qua Consiliarii adhaerent, mittuntur. Idmodi Legatus de Latere erat Cardinalis Consalvi ingenio et activitate conspicuus 1815° ad Congressum Viennensem fine procurandorum tum ecclesiasticorum tum civilium Sedis Apostolicae jurium per Pium Papam VII. missus. — Hos sequuntur Missi *cum potestate Legati de Latere*; hi non sunt e coetu Cardinalium, amplioribus tamen praerogativis ac alii Legati ornantur. Demum sunt Missi simpliciter seu Nuntii. Ii, qui ad certum tempus, vel causam determinatam agendam mittuntur, quo tempore evoluto, vel causa definita redeunt, dicuntur *extraordinarii*; qui vero ad regna pro stabili, et usque revocationem disponuntur, *Missi Ordinarii*, seu *Nuntii Apostolici perpetui* audiunt, a quibus, ut supra dictum, *Internuntii* vel *Residentes*, inferioris Ordinis Legati distinguuntur [1]. Idmodi Nuntii perpetui sunt: Viennae, Bruxellis, Florentiae, Ulissiponae, Madriti, Neapoli Monachii, Parisiis, Taurini, et in Helvetia; — in Brasilia est Internuntius et extraordinarius Legatus: Neo-Granadae vero in America Negotiorum Gestor. Usque Annum 1805 etiam in Russia Nuntiatura exstitit. Postquam interim sub Catharina II. erectum *Ecclesiasticum Romano Catholicum Consistorium,* Metropolita Latino simul praeside, cooperante, plerisque autem Episcopis energice, ast sine fructu contradicentibus, omnem potestatem ad se pertraxisset; Nuntio Apostolico Arezzo necessitas imposita est, Aulam Petropolitanam 1805 deserendi, cui ab eo tempore alter Legatus non successit. — Denique *Legati Nati* appellantur, in oppositione ad Missos ii, qui munus Legati,

[1] C. 1. et seqq. de offo Legati.

Ecclesiae Metropolitanae, cui praeficiuntur, e privilegio Pontificio adnexum, quasi haereditate accipiunt. Tales sunt: Primas et Archi-Episcopus Strigoniensis, Pragensis, Salisburgensis, Gnesnensis cum Posnano unitus; Coloniensis, Lugdunensis, Remensis, Burdigalensis, Toletanus et Pisanus. In Sicilia fundamento Bullae per Urbanum Papam II. 1099 editae et per Benedictum XIII. Anno 1728 confirmatae jura Legati nati exercebat Rex medio constituti specialis Tribunalis, *Monarchia Sicula* dicti. Quamvis autem per Concordatum inter Pium Papam VII. et Ferdinandum I. utriusque Siciliae Regem 1818 initum jus Appellationum ad sedem Apostolicam liberum mansisset, Rex interim in obversum Concordati eodem adhuc anno dimisso speciali Rescripto declaravit, concessa per Benedictum XIII. privilegia porro suum vigorem retinere neque iisdem Concordati puncto 22° derogatum esse.

§. 16. Jura Legatorum.

In genere Legatorum Pontificiorum jura olim amplissima erant: praeterquam enim, quod in respectivis Regnis, Provinciis, Dioecesibus Ordinariam Jurisdictionem habuerint, insuper Episcopos vice Pontificis confirmabant; Beneficia conferebant; ab excommunicatione majori, interdicto et aliis censuris ac poenis ecclesiasticis absolvebant; non solum Appellationes recipiebant, sed et causas in prima instantia decidebant. Dispensationes in voto et juramento, ac impedimentis matrimonii concedebant. Jura haec Metropolitis et Episcopis praejudiciosa ac molesta, successu temporis Pontifices et Concilia restrinxerunt; signanter Concilium Tridentinum decernit: „Legati quoque etiam a Latere, Nuntii, Gubernatores ecclesiastici, aut alii quarumcunque facultatum vigore, non solum Episcopos in praedictis causis impedire,

aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis praeripere, aut turbare non praesumant; sed nec etiam contra Clericos, aliasque personas ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente procedant; alias eorum processus, ordinationesque nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur“ [1]).

Caeterum cum Pontifices e scopo Primatus, jus Legatos mittendi habeant; potestas cujuscunque generis Legatorum huic scopo commensurata esse debet. Jam Concil. Trid. cavet: Ne jurisdictionem Episcopis praeripere, aut eos turbare praesumant; id enim scopo Primatus adversaretur. Contra vero incumbit omnibus Legatis generaliter unitati fidei et religionis ac integritati disciplinae invigilare cunctaque ad scopum hunc dirigere. Quod ad Jura eorum in specie attinet:

1° *Legati de Latere* ad singularia eaque gravissima negotia agenda missi, Instructionem immediate a Pontifice obtinent, quae mensuram potestatis eorum constituit. Ex Jure communi *qua Cardinales* exmissionem suam legitimare non tenentur; durante legatione Clericorum percussores ubicunque ab excommunicatione absolvere possunt; Jurisdictionem in exemtos exercent; in comitiva Cleri et Populi sub Baldachino ad civitates solemniter introducuntur; habent jus praeferendae crucis, quae praesentibus illis nec Patriarchis, nec Metropolitis praefertur, hique nec Pontificalia, nisi iis indulgentibus, exercent. Episcopos tamen in Jurisdictione dioecesana impedire non possunt, et hi neque ab usu Mozettae abstinere tenentur.

2° *Nuntii Apostolici;* regulariter Praelati non Cardinales esse solent; quodsi intermedio tempore ad Cardinalatum promoventur, retento officio, non Nuntii, ast Pro-Nuntii nomen gerunt; prouti id recenter Viennae et Madriti evenit. Hi jure communi excom-

[1]) Sess. 24. C. 20 de reform.

municatis pro violenta manuum injectione in Clericos, sed duntaxat intra provinciam sibi commissam, beneficium Absolutionis impertiri possunt [1]. Statuta eorum durant, etiam dum provinciam suam egressi sunt [2]. De electorum ad Archi-Episcopales, vel Episcopales Ecclesias Natalibus, aliisque Canonicis Qualitatibus juxta formam per Urbanum Papam VIII. praescriptam, *processus informativus in partibus*, dictam, examen instituunt, et Acta rite confecta *pro processu definitivo in curia* adórnando, Sedi Apostolicae substernunt [3]. „In Appellationibus ad eos interpositis, in quibusvis causis, tam in admittendis Appellationibus, quam in concedendis inhibitionibus servare tenentur formam praescriptam" [4]. Tenore juramenti per Episcopos praestari soliti: „Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo" Episcopi Legatos Pontificios competenter excipere obligantur, et si sit praesens Nuntius Apostolicus habens in eo loco facultates Legati de Latere, Episcopus abstinet a Pontificalibus, ita, quemadmodum praesente Cardinali non Legato. Sed si non habeat hujusmodi facultates, et pure Nuntius sit; vel etiamsi habeat facultates, non tamen pro illa civitate, ubi moratur, Episcopus fungitur officio suo, neque ob ejus praesentiam sua munia intermittit [5]. Ex obtutu autem politico, Nuntios Apostolicos Principum Legatis primi gradus aequiparandos esse, celebratus Viennae 1815° Imperatorum et Regum Congressus recognovit. — Residua eorum, prout et *Internuntiorum* potestas, per facultates, quibus eos Pontifex instruit, determinatur.

3° *Legati Nati.* Dignitas haec tractu temporis fere ad nudum titulum restricta habetur. Quibusnam in specie juribus gaudeat, qua Legatus Natus Metro-

[1] C. 9. de offic. Legati. — [2] Ibid. C. 10. — [3] Conc. Trid. Sess. 22. C. 2. de reform. — [4] Ibid. C. 7. de reform. — [5] Caerem. Episc.

polita Strigonensis, infra in tractatu de *Primatibus particularibus* exponitur. In reliquo esto jura Missorum Legatorum nimium diminuta sint, indubitatum tamen est, ut observat Van-Espen, non exiguam etiam hodie esse Nuntiorum apud Principes et Ecclesiae Praelatos auctoritatem, propter reverentiam et eminentiam Sedis Apostolicae, cujus ipsi vices gerunt, et pro qua legatione funguntur; quodve plurimum Ecclesiae sua Auctoritate prodesse possint [1].

Nota. Amplissima, quibus olim Legati Pontificii ornabantur, jura et horum contra Intentionem concedentis facti abusus, per Sanctos etiam Viros, uti S. Bernardum L. 4. de Consid. ad Eugenium Papam C. 6. perstricti, munus Legatorum Crisibus obnoxium reddiderunt, cumprimis apud Metropolitas et Episcopos nonnullos, reservationum ultra limites justi et aequi impatientes. Scriptores Canonistae Catholici quoque, sed maxime Protestantes idmodi Praelatorum suffragio sufful ti, non solum in singularium personarum legatione fungentium famam, sed et in ipsum Institutum ac Romanos Pontifices indiscriminatim desaeviebant; e quibus vel unum Justi Henningi Boehmeri Juris Eccli Opus, P. 1. tit. 30 de officiis Legati, memorare sufficiat. In Germania priori saeculo magna cum exasperatione et derogamine etiam Sedis Apostolicae indicta est lis Nuntiaturis, non quidem ob abusum Legatorum, sed ad influxum Pontificis tollendum, malo consilio excogitata. Electores quippe Germaniae et Archi-Episcopi Monguntinus, Treviranus, Coloniensis, quibus et Archi-Episcopus Salisburgensis dexteram porrexit, principiis Trevirani Suffraganei Nic. ab Hontheim, sub ficto nomine Fe-

[1] P. I. tit. 21. pag. 124. edit. Veneta 1781.

bronii jam tunc divulgatis existentibus — praetextu et praesidio supra citati Decreti Concil. Trid. Sess. 24. c. 20. de reform. omnem jurisdictionem a Nuntiis Apostolicis abstrahere, et in casibus etiam reservatis jure proprio dispensationes elargiri volebant, atque celebrato 1769 Confluentiae (Koblenz) conventu, Gravaminum suorum puncto 29° tribunalium Nuntiaturarum Apostolicarum in Germania sublationem ab Imperatore petierunt. Querimoniae auctae sunt 1785°, dum erga desiderium Caroli Theodori Electoris Principis Bavariae, Monachii Nuntiatura induceretur; eoque in asservato 1786° per memoratos Archi-Episcopos conventu Embsano processum, quod Nuntiaturas via facti sufferendas, et eorum activitatem pure ad politica restringendam edixerint. Huic postulato conforme Imperiale decretum emanavit, una vero Elector Bavariae ad inhibendum ab exercitio Jurisdictionis Nuntium monitus exstitit. Hic interim causae suae conscius, ad eorum, quae decreta sunt, executionem, se nullo jure stringi posse respondit. Sed nec Anno 1788° in Comitiis Ratisbonensibus contra Nuntiaturas feliciori successu pugnatum est; incompetentiam Comitiorum ad dijudicandum meritum hoc, edito scripto — Pontifex asseruit, et irrealitatem gravaminum demonstravit, atque Archi-Episcoporum postulatum rejecit [1]). Interim, dum jam antea Episcopus Spirensis, cui postmodum alii etiam semet adjunxerunt, contra punctationes Embsanas et Gravamina protestationem interposuisset, easdem etiam Elector ac A.-Episcopus Treviranus Clemens Venceslaus

[1]) **Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. VI. responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, Salisburgensem super Nuntiis Apostolicis. Romae 1789.**

Princeps Saxoniae die 20a Febr. 1790 seposuit; lis tamen haec nisi sub Francisco IIdo 1792° fasces Imperii capessente composita est, neque ab eo tempore querelae quaepiam resuscitatae sunt.

§. 17. De Protonotariis Apostolicis.

Protonotarius Apostolicus vocatur per Sedem Apostolicam nominatus Notarius. In Bullis et Rescriptis semper unice Notarii, in regulis Cancellariae autem ob muneris excellentiam cum honoris praedicato *Proto-Notarii*, seu primi Notarii compellantur. Origo eorum cum certitudine refertur ad primum Aerae Christianae saeculum; jam enim Clemens I. deputavit septem Notarios, ad perquirenda et conscribenda Acta Martyrum. Hi vero reddita etiam Ecclesiae pace in Ecclesia Romana perseverarunt, atque in obseqvium Apostolicae Sedis gravibus Officiis occupabantur. Ad officium eorum spectabat, Pontificum biographias, Acta Consistorii Cardinalium conscribere, quae ad beatificationem et canonisationem pertinebant, protocollare, publica fidedigna instrumenta conficere. Collegium Proto-Notariorum per Sixtum V. ad duodecim auctum, eminentibusque privilegiis ornatum fuit; et isti dicuntur *Participantes;* alii vero sunt *non Participantes*, seu honorarii, aut titulares. Participantes Sixtus V. exemtos decrevit tam a Civili quam a Criminali jurisdictione Ordinariorum, quibus unice ratione Beneficii, quod possident, subjecti sunt. Praecedunt Auditores Rotae, et Minores Praelatos, ac Generales Ordinum. De facultatibus etiam e Beneficio collectis ad vires bis mille ducatorum causa mortis disponere possunt. Habent praeterea jus Pontificalium. Protonotarii non Participantes seu titulares, quos praeter Papam etiam Legatus de Latere, imo ipsum Collegium Protonotariorum Participantium denominat, praerecensitis Privilegiis non utuntur. Imo Vigore Decret.

Conc. Trid. Sess. 22. c. 10. de reform. nisi per Ordinarios examinati et probati, Instrumenta publica conficere possunt. Canonicos tunc praecedunt, si ipsi sint Canonici. Penes functiones ecclesiasticas gestant annulum, non tamen pretioso lapide ornatum.

CAPUT IV.

De Patriarchis, Exarchis, Primatibus et Metropolitis.

§. 18. Origo et Definitio Dignitatum harum; tum de Patriarchis in specie.

In Hierarchia inter Romanum Pontificem, et Episcopos quasi medii constituti erant Patriarchiae, Exarchae, Primates, et Metropolitae. Originem eorum varii variam assignant, quae tamen perperam per paucissimos ad tempora Christi, et Apostolorum refertur. Nam Christus Dominus, praeter Primatum Petri, nullam inter caeteros Apostolos distinctionem fecit, sed eos aequali potestate instruxit. Nec e I. Petri I. v. 1. „Electis advenis dispersionis Ponti, Gallatiae, Cappadociae, Asiae, et Bithyniae etc.“ erui potest Jurisdictionem quampiam Episcopis nonnullis, super alios Episcopos datam fuisse; verum cum Christiani jam tunc per omnes Imperii Romani Provincias dispersi essent, S. Petrus divisioni huic congrue Christianos Provinciarum illarum alloquitur. — Sed neque argumentum e Distinct. 80. c. 1. et 2. item Dist. 99. c. 1. et 2. ubi dicitur: *quod in ipsis urbibus post Christi adventum Apostoli — — Patriarchas vel Primates posuerint* petitum majoris est ponderis, illud enim ex Isidoriana collectione desumtum, firma basi destituitur. Dignitatum interim harum antiquissimam originem pandit celebratum 328° Nicaenum generale Concilium Canone 6°, circa Episcoporum, qui pluribus Provinciis praeerant, et non tantum Episcopos, sed et Metropolitas confirmabant, et ordinabant potestatem statuendo: *ut antiqui mores serventur;* „qui sunt in Aegypto, Lybia, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum, similiter et in Antiochia, et in aliis Provinciis sua privilegia, ac suae dignitates, et auctoritates Ecclesiis serventur“ [1]). Nisi itaque Jurisdictio Patriarchalis dudum invaluisset Nicaeni Patres ad veterem consvetudinem provocare non potuissent. Hic autem intelligi Patriarchalem dignitatem patet ex inde, quod Alexandrino Episcopo Potestas extensa dicatur in Aegyptum, Lybiam, et Pentapolim, seu in plures Provincias; prout et Antiocheni Episcopi Potestatem per totam Dioecesim orientalem, seu super 15 Provinciis diffusam fuisse vicinus Concilio Nicaeno Hieronymus lib. contra Joan. Hierosolymitanum c. 37. testatur.

Caeterum priusquam causae inductarum dignitatum harum exponantur, peropportunum erit meminisse politicae divisionis Romani Imperii, cui territorii ecclesiastici divisio potissimum accomodata est. Temporibus quippe nascentis Ecclesiae vastum Romanum Imperium ex obtutu politico in quatuor Praefecturas dividebatur: Orientis, Illyrici, Italiae, et Galliae, quibus praeerant Praefecti-praetorio. Quaevis Praefectura in plures Vicariatus, seu Dioeceses, quas Vicarii, vel Proconsules; Dioeceses in Provincias, quas Praesides gubernabant, dispescebantur. Demum Provinciae cujuslibet praecipua urbs, Metropolis dicebatur. In specie autem Praefectura orientis tempore Constantini Magni subdivisa fuit in quinque politicas Dioeceses: Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam, Caesaream, et Ephesinam. — Itaque *Patriarchae,* Principes Fratrum, dicebantur illi Episcopi, qui in plurium Provinciarum, vel integri alicujus Re-

1) Dist. 66. c. 6.

gni, vel partis mundi Episcopos, et Metropolitas, lege aut privilegio, vel usu determinatam Jurisdictionem exercebant. — *Exarcharum* nomen in Occidente inusitatum, proprium unice erat Episcopis illis, qui in Praefectura Orientis, mox memoratis quinque politicis Dioecesibus praeerant, ante erectam interim Constantinopolim, loco hujus *Heraclea;* item *Hierosolyma* ob Apostolicam originem, dignitate hac ornabatur. Inter Exarchas succesive ob specialem distinctionem, a tempore Synodi Chalcedonensis 451 celebratae, Patriarchae dicebantur: *Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus,* et *Hierosolymitanus* Episcopi. Residui tres Exarchae; Ephesinus, Caesareae, et Heracleae a Jurisdictione Patriarcharum exempti, praeerant tribus Dioecesibus in viginti tres Provincias divisis, donec crescente Patriarchae Constantinopolitani auctoritate, tres isti huic semet subjecissent. De praesenti in oriente non integrarum quidem Dioecesium, ast *Provinciales Exarchae*, seu Archiepiscopi existunt, et eadem cum Metropolitis jurisdictione gaudent. — *Primas* in Africa olim vocabatur Episcopus consecratione, et dignitate episcopali omnium senior. In occidente ubi Exarcharum nomen ignotum erat, his Primates aequiparari poterant, et nomenclatio Primatis, jam Provinciae alicujus *primum Episcoporum,* jam etiam Regni cujusdam, e pluribus Ecclesiasticis Provinciis consistentis, *primum Metropolitanum* denotabat. — *Metropolitae* vero, aut Archiepiscopi vocantur illi, qui supra Episcopos Provinciae unius officio, et Jurisdictione eminent. Territorium Metropolitarum dicitur *Provincia,* Episcoporum olim *Parochia,* nunc *Dioecesis,* et ipsi Episcopi *Suffraganei* compellantur ideo, quod Metropolitae in Conciliis Provincialibus, Episcoporum consecrationibus etc. suffragari jubeantur.

Causae invalescentium jam in primordiis Ecclesiae Dignitatum harum, variae, et complures erant.

Inprimis, dispersae per orbem Ecclesiae utilitas exposcebat, ut temporibus illis, dum ob vigentem contra Christianos persecutionem, cum Capite totius Ecclesiae communicatio si non impossibilis, certe difficillima erat, sint ex Episcopis, qui auctoritate caeteris emineant, in arduis adjunctis Confratribus Episcopis consilio adsint, vicinorum Episcoporum conventus indicant, et iisdem praesint. Dein cum Apostoli conversionem in celebrioribus Urbibus Imperii inchoaverint, et in his Cathedras episcopales erexerint, per se tentas, ac martyrii cruore decoratas, ad alios iterum Episcopos e suis Discipulis ipsimet ordinaverint, iisdem tamquam originis Apostolicae major reverentia tribuebatur eo etiam ex obtutu, quod in Ecclesiis illis, e Traditione Apostolica purior Doctrina conservata fuisse crederetur. Huc pertinet quod Innocentius I. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum ep. 18. scribit: „advertimus non tam pro Civitatis magnificentia hoc eidem attributum (Antiochenae sedi) quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit religio Christiana, et quae conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quaeque urbis Romae sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gaudet.“ — Successu praeterea temporis crescente numero fidelium, litibusque multiplicatis evenit, ut partes a Judicio proprii Episcopi confugerint ad alium Episcopum fama sanctitatis, eruditionis celebriorem, ita nempe usu postmodum invaluit jus appellationum Jurisdictionem involvens. Tum ipsi Episcopi in causis Ecclesiarum, Cleri, Populi apud Episcopos praecipuarum urbium Patrocinium quaesiverunt, ut negotia residenti in loco Magistratui saeculari commendarent; quod luculentum fit e Concilii Antiocheni 347° celebrati Can. 9. ubi Patres dicunt: „Episcopum qui Metropoli praeest, etiam curam suscipere oportere totius Provinciae: *eo quod in*

Metropolim undequaque conveniant omnes, qui habent negotia. Unde visum est eum quoque honore praecedere, reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult, qui ab initio obtinuit Patrum canon." Concilium autem Chalcedonense can. 17. statuit: „si qua Civitas potestate imperiali novata est, aut si protinus innovetur, Civiles dispositiones, et publicas Ecclesiasticarum quoque Parochiarum (seu Dioecesiani) ordines subsequantur." Atque ita factum est, quod divisio ecclesiastici Territorii congruerit divisioni politicae Romani Imperii, et Metropoles civiles evaserint etiam Metropoles ecclesiasticae.

Jam e supra citato Concilii Nicaeni can. 6. patet, primitus Patriarchales sedes tres dumtaxat fuisse, nempe *Romanam per eminentiam*, tum *Alexandrinam* totius Aegypti principem, et *Antiochenam* orientis reginam, quibus Ecclesiis a S. Petro fundatis, per reliquas quasi matribus, specialis reverentia exhibebatur. — Saeculo 4° Constantinopoli urbe, velut altera Imperii sede in dies crescente, Episcopus Constantinopolitanus, sub aegide Imperatoris, sedem episcopalem, in Patriarchalem elevavit; quod quia in Can. 6. Concilii Nicaeni impingeret, Occidentales elevationi huic contradixerunt, cessit demum precibus Imperatorum sacra sedes Apostolica, et Episcopo Constantinopolitano, locus inter Patriarchas tributus est. — Sedes Hierosolyma, ubi mysteria redemptionis generis humani coepta, peractaque sunt, peculiari semper in veneratione habebatur, atque ideo assensum praebente summo Pontifice sub Theodosio juniore Episcopus Hierosolymitanus Patriarchae dignitatem obtinuit, in Concilio Chalcedonensi Palaestina eidem, Phoenicia vero et Arabia Antiocheno Patriarchae assignata.

Series Patriarcharum finaliter constabilita fuit in generali Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. asservato, ubi Patres declarant: „*Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes sancta universali Synodo approbante sancimus, ut post Romanam Ecclesiam (quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium, et Magistra): Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat*"; quae series etiam in oecumenico Concilio Florentino 1439. praesentibus Graecis sub Eugenii IV. Papae praesidio celebrato, recensebatur, juxta quam Patriarcha primus est Romanus, secundus Constantinopolitanus, tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, quintus Hierosolymitanus. Hi Patriarchae vocantur *Majores;* interim praeter Romanum, qui ipse Pontifex est, et Patriarcha Basilicae Lateranensis, — quatuor posteriores, sedibus eorum per Muhamedanos occupatis, cessarunt, et summus Pontifex titulos dumtaxat confert, hisque ornati *Patriarchae in partibus,* speciali Jurisdictione non gaudent. — Ultra recensitos Patriarchatus erant alii *Minores* dicti; hos inter antiquissimus *Aquilejensis,* primum Metropolitana dignitate — juxta Benedictum XIV. — cum fine saeculi quarti ornatus, jam saeculo quinto exstitit, etiam tunc ita nominatus, dum Aquileja, olim florentissima Civitas, nunc vero pone mare Adriaticum non procul Goritio parvus pagus, funditus eversa ejus Patriarcha Paulinus sedem in insulam Gradum transtuliset. Successor Paulini Elias, semet in controversia sic dictorum trium capitulorum pro his enunciando, cum nonnullis sequacibus suis Episcopis schisma efformavit; cui Patriarchae schismatico alter catholicus oppositus est a loco Cathedrae *Gradensis* dictus. Subin tamen Aquilejensi Patriarcha ad unionem Ecclesiae redeunte uterque Patriarchatus, tam nempe Aquilejensis quam Gradensis usque saeculum decimum quintum perstitit, et prior quidem in Lombardiam, posterior autem in Venetias, et Istriam Jurisdictione pollebat; donec Patri-

archatu Gradensi 1451. per Nicolaum V. Venetias translato, Aquilejensi per Benedictum XIV. suppresso, in vicem hujus, bini Archi-Episcopatus Udinensis quippe, et Goritiensis erecti fuissent[1]). — Recentiore temporis periodo, anno 1716, Rex Portugalliae pro Metropolita *Ulissiponensi dignitatem Patriarchae* impetravit. Provincia quippe Ulissiponensi per Clementem PP. XI. in duos Archi-Episcopatus dismembrata, novus Archi-Episcopus in Patriarcham nominatus est, cum juribus Patriarchae Veneto competentibus [2]). Praeterea Clementis XI. Successor, Clemens XII. decrevit, ut Patriarcha Ulissiponensis in regula fieret Ecclesiae Romanae Cardinalis; et Constitutionem hanc etiam Clemens XIII. confirmavit. — Sed et magnum Eleemosynarium Regis Hispaniae erga preces Caroli V. Paulus PP. III. attributo *Patriarchae Indiae occidentalis* ornavit, nulla titulo huic Jurisdictione adnexa. Insuper sunt adhuc Orientis Episcopi, qui nullos quidem suffraganeos habent, titulo tamen Patriarchae decorantur, in schematismo romano cum praeattactis majoribus, et minoribus Patriarchis mox post Cardinales recensiti, sequentes: Antiochenus *Melchitarum*, Antiochenus *Maronitarum*, Antiochenus *Syrorum*, una administrator Archiepiscopalis Ecclesiae Hierosolymitanae ritus Syriaci; *Babilonensis*, nationis Chaldaeorum in Mesopotamia, *Ciliciae Armenorum.*

§. 19. De Juribus Patriarcharum.

Jura Patriarcharum olim erant amplissima, partim per Canones, partim e speciali benevolentia Primatis Ecclesiae Romani Pontificis tributa[3]); quae cum taliter etiam privilegiis niterentur, apud nonnullos magis, apud alios minus extensa fuerunt, Communia

[1]) Bulla 18ª Aug. 1752. „Injuncta Nobis.“ — [2]) Clem. XI. Const. „In supremo.“ — [3]) Dist. 22. c. 1.

eorum Jura respectu totius sic dictae Dioecesis fere coincidunt cum Praerogativis Metropolitarum relate ad Episcopos Provinciae suae. Itaque Patriarchae 1° Metropolitas confirmabant, et ordinabant. Hierosolymitanus tamen, in cujus territorio velut minimae extensionis nullus Archi-Episcopus exstitit, Jure in Episcopos suffraganeos utebatur. 2° Synodos convocabant, et iisdem praesidebant[1]). 3° Dum ipse Patriarcha a Pontifice Romano accepit Pallium, eotum Metropolitis Pallium Archi-Episcopale concedebat, et ab iis juramentum fidelitatis, ac pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiae excipiebat[2]). 4° Gaudebant jure causas Metropolitarum cognoscendi[3]). 5° Appellationes a Metropolitis recipiendi[4]). 6° Paraecias, seu Episcopales sedes erigendi, uniendi, et supprimendi. 7° Puritatem Doctrinae conservandi, et Disciplinae observantiam mediis canonicis procurandi. 8° Casus conscientiae reservandi. Demum 9° Jus Pallii, item crucis duplici transverso Stylo instructae, ubique excepta Roma praeferendae. Caeterum Jura haec exoleverunt, et Patriarchae titulares, quemadmodum et Archi-Episcopi *in partibus*, nec Crucis, nec Pallii honore fruuntur: usus enim Pallii *propriae cujusque Provinciae finibus circumscribitur; Patriarchae autem titulares omnes extra Provinciam suam commorantur* [5]).

Nota. Patriarchatus ut supra cum Juribus suis descriptus pertinet ad Hierarchiam Jurisdictionis institutionis humanae. Quamvis autem scopus ejus in emolumentum totius Ecclesiae directus fuerit; historia interim teste Institutum hocce, hominum vitio, unitati Ecclesiae vix non omni tempore perniciem attulit, atque inconsutilem Ecclesiae tunicam dire scindenti pertinaci orientali schismati

[1]) Conc. Chalc. c. 9. — [2]) C. 23 de Privil. — [3]) Cau. 11. q. 1. c. 46. — [4]) ibid. et c. 23. de Privil. — [5]) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 15. n. 17.

originem praebuit. — Dum e politicis causis Primatui, et unitati Ecclesiae adversa oppositio in Regno quopiam excitata fuisset, hanc inducendi, et erigendi Patriarchatus idea comitabatur. In Gallia post stabilitas quatuor propositiones, ex incidenti Controversiae de *Regaliis*, Ludovicum XIV. Ecclesiae nationalis inducendae, et Patriarchatus erigendi animus invasit; imitatorem nactus 1811° Napoleonem I., quae molimina interim, perfacile schisma procuratura effectu caruerunt, in casu posteriori Pio VII. intrepida animi fortitudine, nec minis, nec pollicitationibus, ad acceptandas Propositiones sex, permoveri queunte. — In Germania obtutu procurandae independentiae a capite Ecclesiae, erigendi Patriarchatus projectum 1817° factum, et novissime, quippe 1848, tam ibi, quam et in ditionibus Austriacis per nonnullos renovatum fuit, irrito tamen semper conatu.

§. 20. Primates Particulares.

In Hierarchia Jurisdictionis institutionis humanae, secundus gradus est: *Primatum Particularium.* Dignitas haec primum in occidente, ubi Exarcharum nomen ignotum erat, invaluit, et alicujus Regni, vel plurium ecclesiasticarum Provinciarum Episcopo inhaesit. In florentissima Africana Hierarchia, jam saeculo quarto septem Primates exstiterunt, inter hos tamen Episcopus Carthaginensis Ecclesiae, Jurisdictione eminebat, Primas totius Africae dictus, quod luculente patet e Dist. 18. c. 10. ubi et de Jure Primatis convocandi Concilium Nationale habetur. — Galliam jam dudum ante saeculum octavum possedisse Primates dubio caret etiam e Decretalibus Gratiani[1]);

[1]) Can. 9. q. 3. c. 7. et 8.

quod ipsum memorat Benedictus XIV. in toties laudato opere l. 2. c. 4, ubi una puncto primo de Primatibus particularibus sequentia adnotat: *Qui Primas est Dioecesis, sumpta hic Dioecesi pro plurium provinciarum tractu sicuti accipitur in leg. unic. c. ut omnes Judices; idem est Metropolitanus suae provinciae*, *et suae item Civitatis Episcopus: sunt enim inter se ita gradus hi comparati, ut superior semper inferiorem complectatur.* Post saeculum octavum Primatialis dignitas magis adhuc invaluit, Jura interim Primatum, quos Anacletus Papa, scribens ad Episcopos Italiae cum Patriarchis identificat[1]), multum restringi coeperunt. Antehac enim Primas, electiones Dioecesis suae Metropolitarum confirmabat, et ordinabat, Synodos indicebat, ac Provincialium conciliorum conclusa examinabat; Archi- et Episcopos peregrinantes Litteris commendatitiis providebat, ne haeresis irrepat, et fides, aut boni mores patiantur, strenue vigilabat; appellationes recipiebat. — Serius Primatis nomen vix non vacuum evasit; celebratione enim conciliorum nationalium, in desvetudinem abeunte, ipsa fere rudera e Juribus Primatum remanentia evanuerunt. — Primas Hungariae Archi-Episcopus Strigoniensis ab anno 1426. Princeps, et anno 1714. S. R. I. Principis attributo ornatus, eximiis ecclesiasticis, et civilibus praerogativis actu utitur. Initium Dignitatis hujus refertur ad 1279., quo rebus Hungariae nimium perturbatis, Philippo Episcopo Firmanno, Nicolai III. ac sedis Apostolicae Legato, pernecessarium visum est Synodum nationalem haberi. „*His in comitiis Lodomerius ex voluntate Pontificis, et probante Rege, Primas Regni, Ecclesiaeque Hungaricae nominatus*“ [2]). Hic quippe nempe Lodomerius paulo ante e sede episcopali Varadinensi ad Metropolitanam Strigoniensem evectus fuit. Jura Primatis ecclesiastica huc

[1]) Dist. 99. c. 1. — [2]) Péterffy Collect. Concil. P. 1. pag. 95.

redeunt: 1° Consessum Episcoporum, imo Synodum Nationalem indicendi, et eidem praesidendi jure pollet. Quoad hoc jus generaliter Benedictus XIV. de Syn. Dioec. L. 1. C. 1. haec habet: „Nationalia concilia sunt, in quae conveniunt Archi-Episcopi, et Episcopi unius Regni vel nationis, Praeside ejusdem nationis Patriarcha, vel *Primate.*“ Intuitu Convocationis Concilii Nationalis controversia Regni Primatis cum Metropolita Colocensi, historice exponitur inferius in Capite de Synodo nationali. 2° Recipit Appellationes ab Archi-Episcopo, et Episcopis excepto Metropolita Colocensi, et ejus Suffraganeis; qui prior immediate, Suffraganei vero in tertia instantia ad Sedem Apostolicam causas appellant, pro quibus finaliter, et Auctoritate Sedis Apostolicae decidendis salvo semper jure summi Pontificis—judices in partibus delegari consueverunt. Ab Archi-Abbate Montis Pannoniae, aeque directe Romam appellata instituitur. 3° Dignitas Legati nati est in perpetuum Primatiae adnexa; qua Joannes III. de Kanisa Ecclesiam Strigoniensem ab Anno 1387 — 1419 gubernans ornatus fuisse legitur. 4° Appellationes a Sede Primatiali velut etiam dignitate Legati nati ornata ad S. Sedem Apostolicam derivantur, et causae modalitate mox praeattacta deciduntur. 5° Intra fines Primatiae ubique utitur Pallio, et Cruce [1]), quae qua Legato nato in praesentia sive Metropolitarum, sive Episcoporum, unice illi praefertur [2]). 6° Dum sua Majestas in Hungaria moras trahit, Primas officio Parochi fungitur. Jura illa, quae Metropolitae Strigoniensi, qua Primati, ab illis, quae eidem qua Archi-Episcopo Strigoniensi competebant, rite discriminat Petrus Pázmán Primas, et Archi-Episcopus apud Péterffy P. 2 pag. 286 et seqq. item M. Geor. Kovachich in opere: Codex Juris Decretalis Ecclesiae Hungaricae t. 1. pag. 465 et seqq. Cuncta vero in complexo

[1]) Bulla Nicolai V. 10. Calend. Maji 1452. apud Péterffy P. 2. pag. 293. — [2]) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. C. 2.

recenset in Institutionibus Juris Privati Hungarici Emericus Kelemen edit. 2ª pag. 229.

Nota. Inter Jura Primatis et Archi-Episcopi Strigoniensis refertur *Jus Piseti*, cujus antiquissimam et vix non stabilitae in Hungaria monetae coaevam originem, ex ipso Corpore Juris discimus; jam enim mentio privilegii hujus 1342° occurrit. In editione Corporis Juris 1779, pag. 457 ad Articulum 23um 1553 ubi decernitur: „§. 3. Advertatque juxta veterem consuetudinem D. Ressmus Strigoniensis, et ejus *Pisetarius* nequis error, aut fraus in cusione hujusmodi et ferramentis, juxta veterem consvetudinem, et Ecclesiae suae privilegia comittatur,“ — ad vocem *Pisetarius* sub D, haec habentur: „Nempe officialis Cremnicii residens, et pro Archi-Episcopo Strigoniensi Pisetum colligens: sic dictum probabilius a voce Italica *peso*, et diminute *pesetto*, quod pondus, et ponduscul um significat, aut ut quibusdam placet: a voce ungarica *Fizető*, idest solutor.“ — Collectione vero Conciliorum Péterffy P. 2. pag. 295, ubi Privilegia circa proventus Archi-Episcopi Strigoniensis recensentur, haec de Piseto adnotavit: „In Cameris omnibus totius Coronae, in locis item quibus pecunia cudebatur, ex qualibet Marca, Auri, et Argenti cusi, vel non cusi Pisetum unum (vulgo nehezék) hoc est tertia pars unciae, seu quadragesima octava pars unius Marcae, Archi-Episcopo Strigoniensi dabatur: Ita in Capsa A. etc. Itaque Ferdinandus Rex mandavit Camerae Rivuli Dominarum, ut juxta veterem fundationem, Archi-Episcopo solvat Pisetum. Sigismundus Rex mandat monetario Budensi ut Pisetum pendat Archi-Episcopo, Camera quoque Cibiniensis Pisetum solvere consueverat; Camera item Sirmiensis, et Quinque Ecclesiensis.“ Pise-

tum per abusum quempiam ab Anno 1573 — 1623 intercidisse, patet ex Litteris fundationalibus, per Petrum Pázmán super convictu nobilium Tyrnaviensi, et ejus dotatione Posonii die 20ª Aug. 1624 editis ac a Ferdinando II. Imp. et Rege die 11. Dec. 1625 confirmatis, ubi caetera inter haec continentur: „Nam, licet per Hungariae Reges, ex cusione monetae certi quidam nec non contemnendi, reditus A. Episcopo Strigoniensi fuerint assignati, ita ut ex singulis Argenti cusi, vel non cusi Marcis Pisetum, hoc est: quadragesima octava pars Marcae, certo ac infallibiliter assignaretur, tamen hos reditus ab Anno 1573 . . . usque ad Annum 1623 per quamdam usurpationem Camera Cremnicensis percipiebat . . . Verum invictissimus Imperator, et Rex Hungariae Ferdinandus II. visis authenticis, ac aliquot saeculorum usu continuo roboratis Archi-Episcoporum privilegiis, . . . reditus Piseti Archi-Episcopatui restituit, quod intelligebat Majestas sua bonam horum redituum partem Nobilium juvenum seminario erigendo a nobis destinari. Quod igitur Deus praepotens, ad sui Nominis aeternam gloriam, ad Ecclesiae Catholicae incrementum, ad utilitatem afflictae Patriae nostrae, bene feliciterque vertat, accedente SSmi Dni nostri Urbani VIII., ac Sacratissimae Regiae Majestatis nec non Vener. Fratrum Capituli Ecclesiae Met. Strigoniensis consensu pariter et assensu, ex reditibus Piseti Cremniciensis recuperatis, annis singulis 5000 Hung. flor. ad honestam sustentationem nobilium juvenum Hungarorum in perpetuum adplicamus.“ Epist. Petri Pázmán Coll. per Miller pag. 61. et seqq. Huic Summae adjecit Rex ex aerario annuos flnos 2000. Dotem itaque Instituti effecerunt 5000 fl. e revindicato Piseto per Fundatorem annue collati, et alii 2000 fl. per Ferdinandum II. R. e Camera Cremniciensi assignati: interim Domus dissoluto Convictu Anno 1784 invalidis militibus tradita, ab his vero 1802 Clero juniori resignata fuit. Mox memoratorum florenorum 2000 depensio, pro futuris quoque temporibus, per Imp. et Reginam Mariam Theresiam resoluta, et 1741 legum tabulis inserta est, ratione cujus Art. 53 sequentia continet: „Cum consolatione intellexerunt SS. et OO. Regni b. suae Majestatis Dominae Dominae eorum Clementissimae resolutionem, vi cujus summae quinque mille R. flor. juxta Fundationem Pázmánianam pro Convictu Nobilium Tyrnaviensi ex proventu Piseti secundum Litterarum Fundationalium genuinum Regia et Pontificia Auctoritate roboratum tenorem quotannis praestandae, ibidem specificatos bis mille florenos ex Regiis reditibus suis annue addendos clementer decrevit.“ Pisetum, Primas, Archi-Episcopus Strigoniensis in certa conventa summa actu percipit, Jusque etiam hoc Collationalibus semper, et usque ad tempora novissima insertum deprehenditur. Post abolitum Tyrnaviensem Convictum, ejectata e Piseto summa in stipendia scholastica conversa fuit.

§. 21. Archi-Episcopi, et Metropolitae.

Archi-Episcopi attributum mox primis Aerae Christianae saeculis unice Romano Pontifici proprium, successu temporis in alios praecipuarum Urbium Episcopos seu Metropolitanos honoris causa usu vel concessione derivatum fuit; expost demum cuncti Metropolitae titulo Archi-Episcopi utebantur, et actu utuntur, non tamen citius, quam accepto a Sede Apostolica Archi-Episcopali Pallio. Metropolitanorum institutionem ab antiquo viguisse, primum Nicaenum Oecumenicum concilium supponit, nam Can. IV. habet:

„Eorum autem quae fiunt confirmationem in una quaque Provincia a Metropolitano fieri oportet.“ Item Can. VI. „Illud autem est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitani sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definit non esse Episcopum.“ In singulis itaque Provinciis Metropolitanus erat, imo si Provinciam subin in duas dividi contigisset, divisa Provincia, duos accepit Metropolitanos. Metropolitanorum institutio, et erectio ab olim ad Romanos Pontifices pertinebat, ita Zozimus Pontifex, 417 Arelatensem Ecclesiam Episcopalem in Gallia ad Metropolitanam evexit; erectioni interim etiam Principes saeculares saepe intervenerunt, suffraganei item Episcopi audiebantur. Galliae vetere Dioecesium divisione cum fine saeculi prioris cessante, partim per Concordatum 1801, partim subsequa cum sede Apostolica conventione stabiliti sunt 15 Metropolitani cum 96 suffraganeis Episcopis. Recentissimis temporibus in Anglia, et Hollandia Pius IX. Metropolitanas, et Episcopales sedes, de plenitudine Potestatis sibi a Christo traditae erexit, et limitibus circumscripsit. — In Hungaria ut Carthuitius memorat — S. Stephanus Proto-Rex „provincias in decem partitus Episcopatus, Strigoniensem Ecclesiam Metropolim et Magistram caeterarum fore constituit.“ Quae cuncta Pontifex Sylvester II. oraculo sedis Apostolicae confirmando, cum Benedictionis Apostolicae Litteris, una Coronam, et Crucem eidem S. Stephano, qua velut Apostolus uteretur submisit. — Postmodum Colocensi Episcopali sede in Metropolitanam evecta; Anno 1804 Agriensis Dioecesis quoque; tum novissime, anno quippe 1853 Episcopalis sedes Zagrabiensis, item Fogarasiensis Metropolitica dignitate ornata est. Existit insuper in Monarchia Austriaca Metropolitana sedes Viennae; item Pragae ubi Princeps Archi-Episcopus est una Primas Regni Bohemiae, tum ibidem ac per Bambergensem, Misnensem, et Ratisbonensem Dioeceses legatus natus; Salisburgi, qui pariter titulo Principis, Primatis, et legati Apostolici pro tota Germania est ornatus; dein in Moravia Olomucensis; in Gallicia Leopoliensis et quidem latini ritus anno 1817 Metropolita ejus temporis Andreas Aloysius Comes Skarbek Angvicz in Regnis Galliciae, et Lodomeriae, etiam pro suis successoribus Primatis dignitatem obtinuit; ab anno tamen 1849 Graeco-Catholico Metropolitae Leopoliensi Michaeli Leviczky collatam; praeter hos binos Metropolitas Leopoli habent Metropolitam Armeni Catholici; in Lombardia est Mediolanensis; Patriarcha Venetus; in Dalmatia Zaraensis una Primas; demum in Regno Illyriae ab Anno 1830 Goritiensis dignitate hac praeeminet.

§. 22. Jura Metropolitarum Antiqua.

Metropolitarum Praerogativae, et Jura, pro ratione temporum, et adjunctorum, quod in omnibus Institutionibus humanae originis fieri consuevit, jam extendebantur, jam arctioribus limitibus constringebantur, prout nempe salus, et utilitas Ecclesiae, quae suprema lex est, deposcebat. In regula quilibet Episcopus subest alicui Archi-Episcopo, et nisi per exceptionem dantur Episcopi Metropolita, non secus et Metropolitae Suffraganeis carentes; prout et nonnullae Dioeceses sedi Apostolicae immediate subjectae, quae ideo *Immediatae Dioeceses*, aut *Immediati Episcopatus* dicuntur. Ita Episcopus Vratislaviensis per se subsistit, et nulli subordinatus est Metropolitae; Episcopus Tridentinus immediate Sedi Apostolicae subjectus, et qua talis per Pium VII. recognitus, per Leonem XII. Salisburgensi Provinciae unitus edita die 7ª Martii 1827. Bulla illo privilegio decoratus exstitit: „ut primus sedeat, et primi suffraganei juribus, et praeeminentiis libere potiri, et gaudere perpetuo debeat.“ — Metropolitis praeter Jurisdictionem Epi-

scopalem in sua Paraecia seu Dioecesi antiquitus competebant Jura, quae in Provincialibus Synodis in consortio Suffraganeorum Episcoporum, alia item quae extra Synodum exercebant; priora dicuntur *jura communia*, posteriora *jura propria* seu *reservata*. Utraque per Pontificum Decreta, et Concilia iisdem tributa, in Corpore Juris Canonici dispersa horsum redeunt: 1° Electiones Episcoporum Provinciae suae dirigebant [1]). Electos instituto examine confirmabant, et ordinabant [2]). 2° Juramentum fidelitatis, et obedientiae, *observata forma canonica* exigebant [3]). 3° Cum Synodi Provinciales primum bis, subseque semel in anno celebrari praeciperentur, has convocabant, et iisdem praesidebant. 4° Dioeceses Suffraganeorum visitabant, salva tamen Episcoporum Jurisdictione ordinaria. 5° Jure relationes a Suffraganeis exigendi gaudebant. 6° Pascha, et caetera festa mobilia Episcopis significabant. 7° Appellationes ab eorum sententia recipiebant, et Episcopos in prima instantia judicabant. 8° In officio negligentes supplebant. 9° Episcopos peregre euntes Formatis, et Commendatitiis Litteris providebant.

Nota. Litterae, vel Epistolae *formatae* dicuntur, quibus de collatis cuidam ordinibus fides perhibetur. — *Commendatitiae* stricto sensu sunt Litterae, quibus superior Ecclesiasticus peregre proficiscentem Clericum cujuscunque ordinis, benevolentiae aliorum devovet, et una de ejusdem gradu hierarchico testimonium praebet. — Litterae *dimissoriae* a *dimissorialibus* distinguuntur; priores nempe continent facultatem suscipiendi Ordines ab Episcopo alieno, quae facultas si expedita sit „*de promovendo a quocunque*" seu de

[1]) Dist. 63. C. 36; Dist. 61. C. 6; Dist. 64. C. 7. — [2]) Dist. 65. C. 3. — [3]) C. 13. de major. et obed.

conferendis ordinibus per quemcunque Episcopum communionem cum sede Apostolica habentem, dicuntur *dimissoriae generales;* si vero determinate ad Episcopum quempiam directa sit, seu „*facultas in bianco*" *dimissoriae speciales* appellantur. *Litterae dimissoriales*, olim *exeat* vel *Apostolica* nunc autem *dimissoriales perpetuae* dictae, dantur ecclesiasticis Dioecesim mutantibus, et Catalogo Cleri Dioecesis alterius inserendis. Quoad jus dandi *dimissorias* opportunior dicendi locus recurrit de Ordinum collatione.

§. 23. Metropolitarum Jura Moderna.

Metropolitarum Jura Amplissima successu temporis multum restricta, de praesenti alia sunt *Jurisdictionis* alia *Praecedentiae et honoris*. Jurisdictionis Praerogativas, potissimum determinat Concilium Tridentinum. 1° Metropolitanus dispositione Conc. Trid. habet jus, imo obligationem, quovis triennio convocandi Concilium Provinciale, ubi et id disponitur: ut „Episcopi, qui nulli Archi-Episcopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo provinciali cum aliis interesse debeant" [1]). 2° Jus Dioeceses suffraganeorum visitandi restringit idem Concilium ibidem Cap. 3. ita, ut „a Metropolitanis . . non visitentur Cathedrales Ecclesiae, neque Dioeceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita, et probata in Concilio provinciali." 3° Causas absentiae a Dioecesi adprobandi, et pro re nata „cum Concilio provinciali judicandi de licentiis a se datis," nisi publica et notoria Ecclesiae vel Regni utilitas adsit, et causa repentina [2]). Si tamen Episcopi absentia ultra annum extendatur, Romanus Pontifex causas cogno-

[1]) Sess. 24. C. 2. de refor. — [2]) Ib. Sess. 23. C. 1. de refor.

scit [1]. 4° Jus superinspectionis in Seminaria Cleri junioris, ad quae per Suffraganeos erigenda et conservanda coactivis mediis uti potest, quod ipsum respectu Archi-Episcopi hac in parte negligentis injungitur Concilio Provinciali [2]. 5° In collatione Beneficiorum negligentiam Suffraganeorum jure Devolutionis supplendi [3]. Regulares vero Praelatos, si parochiales Ecclesias teneant subjectas Monasteriis in nulla Dioecesi existentibus, in annunciando verbo Dei negligentes, pariter jure Devolutionis ad id compellendi [4]. Sed et ut Monasteria in congregationem se forment, et triennalia capitula celebrent, cogendi auctoritate pollet [5]. 6° „Notoria crimina, quae examinatione non egeant (cum super his merito notari possit ordinariorum negligentia eorumdem) in Dioecesi Suffraganea libere corrigendi, poenam pro illis debitam infligendo“ [6]. 7° Jure a Sententiis Episcoporum in secunda Instantia appelationes recipiendi [7]. 8° E memorato Jure Devolutionis competit Metropolitae jus Vicarium Capitularem nominandi, si hunc Capitulum infra Octo ab obitu Episcopi dies eligere negligat [8].

Antiquorum jurium, quibus Metropolitae ornati erant, semper quasi fundamentum, et fons censebatur morte Episcopi interveniente, *jus electiones suffraganeorum dirigendi*, has confirmandi, et electos consecrandi; prout enim Thomassinus de Metropolitis agens adnotat: „Potestas ordinandorum Episcoporum paternam eis in illos conciliabat auctoritatem, et hinc fluebant in eosdem egregia potestatis jura“ [9]. Jure hoc in Catholico orbe de praesenti duo duntaxat Metropolitae e speciali privilegio utuntur: Ulissiponensis in Portugallia, et Salisburgensis in Austria;

[1] Ib. Sess. 6. C. 2. de ref. — [2] Sess. 23. C. 18. de ref. — [3] C. 3. et 5. de suppl. reg. Prael. — [4] Sess. 5. C. 2. de ref. [5] Sess. 15. C. 8. de ref. — [6] C. 1. de Censib. §. 4. in 6°; sensu item Con. Trid. Sess. 24. C. 20. de ref. — [7] Sess. ead. cap. eod. — [8] Sess. 24. C. 16. de ref. — [9] Vet. et nov. Eccl. discip. P. 1. l. 1. c. 47.

relate ad posteriorem sequentia ad notitiam faciunt: S. Gebhardus Archi-Praesul Salisburgensium, Anno 1072 e Salisburgensi Dioecesi fundavit Episcopatum *Gurkensem* in sup. Carinthia; S. Eberhardus Archi-Episcopus 1219 sub Honorio Papa III. pariter fundavit *Secoviensem* in Styria; et 1221 Levantensem in inf. Carinthia. Hoc ex obtutu Metropolita Salisburgensis actu exercet jus Episcopos hos nominandi, et e speciali Nicolai V., Pauli II., ac Clementis VII. Privilegio, et concessione etiam canonice confirmandi, seu instituendi, consecrandi et transferendi; quin imo Paulus II. pleno juri Ecclesiis illis viduatis providendi, insuper et facultatem addidit illorum Episcopatuum resignationes acceptandi. Quoad Gurkensem subin 1535 ea facta est mutatio, quod hunc sua Majestas Sacratissima Imperator Austriae per turnum, et quidem bis, tertia vice vero Archi-Episcopus Salisburgensis nominet. Confirmationis solemnitatem, servata Canonica forma, Procurator assumptus, habito sermone aperit; Metropolita allocutione praemissa, ab electo Professionem fidei, juramentum item fidelitatis, et Canonicae obedientiae excipit eumque per traditionem rocheti, bireti, et annuli confirmat sequenti forma: „quia igitur per obitum, vel translationem N. N. praedictus Episcopatus N. N. nostrae Provinciae in partibus N. ad praesens vacat, et nobis de Tua doctrina et industria, integritate vitae, ac in rebus gerendis prudentia et dexteritate, juxta juratum examen super moribus et qualitatibus Tuis nuper ex ordinatione nostra specialiter institutum sufficienter constat, ac propterea praefatum Episcopatum, sic ut praemittitur vacantem Tibi regendum concedere constituimus: ideo Nos N. N. Princeps Archi-Episcopus Salisburgensis, Legatus Apostolicus natus, Germaniae Primas, etc. atque hujus Episcopalis N. Ecclesiae collator plenarius, Te N. ad saepefatam Ecclesiam Episcopalem N. a nobis antea nominatum, et designatum Episco-

pum, per Rocheti, et Bireti impositionem, et hujus Annuli traditionem confirmamus, instituimus, et investimus committentes Tibi hujus Episcopalis Ecclesiae in Spiritualibus, et quibusvis annexis curam et regimen. In N. P. et F. et S. S. Amen."

Jus confirmandi Episcopos necessitate Ecclesiae exposcente, a saeculis per Pontifices Romanos exerceri, jam supra dictum est. Febronianos qui Jurisdictionem Metropolitanam restrictam dolent, opportune monet praecitato opere de Metropolitis agens Thomassinus: „Consultius nihil fieri a nobis posse, quam ut nostras semper opiniones vel voluntates, linguas pennasque aptemus ei disciplinae, quae in Universali viget Ecclesia eo aevo, quo nos summi Providentia Numinis locavit, damnandae semper sunt abusiones, et corruptelae particulares, at magni semper facienda Universalis disciplina, moribus Catholicae Ecclesiae confirmata; nunc ad rigorem juris adstricta, nunc ad necessariam ex materna, providaque charitate indulgentiam temperata, semper sanctitatis adglutinata legibus; Episcopatus gradus varios magna semper Auctoritate donans, nunc majori tamen, nunc minori, hos vel illos, prout sempiternae verbi sapientiae libitum est. . . Quo demum cunque loco, et solio resideat summa in Ecclesiis jurisdictio, cum penes Apostolorum successores, et maxime Petri semper resideat; unum illud residuum, ut non aliud magni referre existimemus, quam ut ex sanctissimis justitiae et veritatis legibus administretur, utque vel austeritates ejus, vel blandimenta tunc in usum vocentur, cum vel utilitas effulget, vel necessitas urget Ecclesiae. Perspicuum autem est, cum hic agimus de principe in Ecclesiis auctoritate, agere nos de usu magis, et exercitio hujus auctoritatis, quam de Auctoritate ipsa. Perspicuum est etiam principem auctoritatem penes summos Pontifices esse, et Concilia generalia, inferiorem autem potestatis gradum Metropolitanis, et

Conciliis provincialibus concessum esse, cujus aliquando devolutio fit ad Summum Pontificem; et hanc denique Auctoritatem posse etiam principem seu, principalem dici, ubi cum subjectis potestatibus confertur." P. 1. lib. 1. cap. 48. pag. 115. n. 17.

§. 24. Jura honorifica Archi-Episcoporum, et Metropolitarum.

Inter jura honorifica specialia, censetur jus *Praecedentiae*, quo tum in Synodis Provincialibus, cum et aliis quibuscunque sive Ecclesiasticis, sive civilibus conventibus Metropolitae utuntur. Praecipuae tamen honoris praerogativae sunt; *jus praeferendae Crucis, et gestandi Pallii Archi-Episcopalis.*" a) Morem praegestandae Crucis, — uti habet Benedictus XIV. — a Summo Pontifice ad ejusdem legatos primum fluxisse, asserit Thomassinus de vet. et Nov. Eccl. discipl. P. 1. l. 2. C. 59, atque inde factum est, ut Sanctissimus Hungariae Rex Stephanus, statim ac Apostolicae Sedis legatione donatus fuit, eidem muneri consentaneum privilegium simul obtinuerit praeferendi Crucem. . . Ab Apostolicae vero Sedis legatis mox ad Patriarchas, subinde ad Primates et demum ad Archi-Episcopos est propagatus. Non tamen omnibus Archi-Episcopis fuit id juris universim, et indiscriminatim ab initio concessum, sed modo uni, modo alteri ex speciali gratia attributum" [1]). Primum in Concilio Viennensi 1311 sub Clemente V. celebrato jus Crucis praeferendae etiam per loca excepta suae Provinciae ad omnes Archi-Episcopos extensum fuit [2]). Metropolitae tamen praesente Pontifice Romano, aut Legato dignitatis pontificiae insignibus ornato, seu sic dicto Legato de latere; aut extra fines Provinciae propriae, jure hoc uti nequeunt. — Nonnulli Episcopi praeferendae intra limites Dioecesis suae crucis pri-

[1]) De Syn. Dioec. l. 2. C. 6. N. 2. — [2]) Clem. de Privil. C. 2.

vilegium a Pontificibus acceperunt. — Sylvester II. Pontifex Astrico legato, de Proto-Rege Hungariae Stephano effatus: „Ego sum Apostolicus, ille vero merito Christi Apostolus, per quem tantum sibi populum Christus convertit;“ in signum Apostolatus jus praeferendae Crucis eidem concessit, quam Regi Hungariae occasione solemnitatum praeferre consvevit Episcopus titularis equo insidens, privilegium hoc Clemente XIII. dimisso de 1758 ad Imperatricem et Reginam Mariam Theresiam Brevi Apostolico pro successoribus etiam confirmante.

b) *Pallium Archi-Episcopale.*

Archi-Episcopis sive Metropolitis aliud ornamentum proprium est sic dictum *Pallium Archiepiscopale.* Originem Pallii aliqui plane ad tempora Apostolorum referunt, asserentes Petrum Apostolum dum adhuc Antiochiae, ubi Episcopatum fundavit ageret, ad distinctionem a caeteris fidelibus usum fuisse Pallio, quo Romam secum accepto, Marcum ad fundandam Ecclesiam Alexandrinam missum decoravit; opinio interim haec, prout et alia, quae Linum Papam, S. Petri in sede Apostolica immediatum successorem, *Pallii* auctorem esse statuit, positiva basi destituitur. Id certum est, Pallio primum usos fuisse Patriarchas; dein idem dabatur per Pontifices *Vicariis Apostolicis;* quiqua vices gerentes sedis Apostolicae signo hoc exteriori decorabantur. Primum vestigium collati Pallii occurrit sub Symmacho anno 498—514. Pontificatum gerente; qui cum in facta Theodoro Laureacensi, qua Vicario Apostolico concessione dicat: se id *more majorum* indulgere; dubium non est illius usum et aliis tribuendi morem jam tunc antiquum fuisse. Similiter initio saeculi VI. Vigilius Pontifex Archi-Episcopo Arelatensi, qua sedis Apostolicae Vicario Pallii usum concessit. Opinioni huic adstipulatur monumentorum historicorum scrutator sagacissimus Benedictus Papa XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 15. „Quamvis, inquit,

Pallium sacrum sit insigne Romano Pontifici praecipuum, coepisse tamen Romanos Pontifices id ipsum indulgere, non omnibus quidem Archi-Episcopis, sed paucis quibusdam, et ea fortasse de causa, quod hi ab ipsis constituerentur *Vicarii Apostolici;* quapropter vetustioribus temporibus uni per universam Galliam Arelatensi Archi-Episcopo Pallium concessum legitur.— —Septimo et Octavo dumtaxat exeunte saeculo eam obtinuisse consvetudinem, ut omnibus indiscriminatim Archi-Episcopis Pallium indulgeretur.“ Imo celebrata 741. per Bonifacium Germaniae Synodus diserte decernit: „ut omnes deinceps viverent in unitate, et subjectione Ecclesiae Romanae, et Vicarii beati Petri, et Metropolitani a sede Romana Pallium quaererent.“

Est autem Pallium fascia candida, tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quae humeros cingit, et instar torquis per humeros, atque a pectore, et tergo propendet, sex nigris sericeis crucibus intextis distincta, tribus aciculis aureis lapide pretioso ornatis supra pontificalem vestitum firmatur. *Benedictio Palliorum* fit ritu sequenti: Quinque Subdiaconi Apostolici, duos candidissimos agnos, in cistis duabus equo impositos, die 21ª Januarii festo S. Agnetis, per plateam S. Petri ante Vaticanum Palatium Papae, qui e fenestra manu eos benedicit, dein per medium Urbis ad Ecclesiam S. Agnetis ferunt, ubi in Missa solemni a Religiosis Canonicis regularibus SS. Salvatoris ad Agnus Dei oblati, traduntur duobus Canonicis Basilicae Lateranensis S. Joannis, tum dictis subdiaconis cura eorum committitur, qui eosdem primum in pascuo privato alunt, et detonsam lanam, a monialibus in filum duci curant, unde fasciolae, et ex his Pallia conficiuntur, quae in Vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli de mane, a Basilicae Vaticanae Canonico altarista cum consveto comitatu ad confessionem B. Petri deportata, post vesperas Papa, aut hoc ab-

sente vice Illius Cardinalis Vesperas asservans in altari inferiori S. Petri, ejus sepulchro viciniori benedicit, et una nocte super confessione, seu Altari S. Petri relinquit, ideo Pallia dicuntur *sumpta de Corpore Petri;* tum arculae argenteae auro obductae recluduntur, prope S. Corpus B. Petri asservanda.

Pallium per Archi-Episcopum conformiter Dist. 100. c. 2. sive per se, sive per Procuratorem in Consistorio *instanter*, *instantius*, *instantissime* peti debet, juxta Bullam Benedicti XIV. inter select. Const. P. 3ª pag. 106. contentam, hac forma: „Ego N. Procurator, et procuratorio nomine, et pro parte Reverendissimi in Christo Patris et Domini N. electi Ecclesiae N. instanter, instantius, et instantissime peto mihi tradi, et assignari Pallium de Corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, et promitto illud reverenter portare, vel portari facere eidem Reverendissimo Patri Domino N. sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei evangelia.“ Hinc patet, juramentum penes traditionem Pallii nuncupatum, praejudicia, qualia multi comminiscuntur, — plane non continere. Roma remotioribus Metropolitanis, per alium Episcopum delegatum traditur, et imponitur, qui facta sub Missa communione, Pallium supra medium Altaris extendit serico cui involutum erat coopertum; dein peractis Missarum solemniis, ac per Electum *fidelitatis juramento praestito,* Episcopus surgit cum mitra, et Pallium de altari accipit, atque illud super humeros Electi, adhuc ante se genuflexi imponit, dicens: „Ad honorem Omnipotentis Dei, et B. Mariae semper Virginis, ac Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, Domini nostri N. Papae, et S. Romanae Ecclesiae, nec non Ecclesiae N. tibi commissae tradimus tibi Pallium de Corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, cum Archi-Episcopalis nominis appellatione, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in

privilegiis ab Apostolica sede concessis. In nomine P. et F. et S. S. Amen.“

Pallium a sede Apostolica peti debet e dispositione Canonum, intra tres menses a Consecratione, et quidem ita necessario, ut ante illud acceptum Metropolita nec nomen quidem Archi-Episcopi gerere, nec Synodum provincialem indicere, nec Pontificalibus uti, nec Chrisma conficere, nec Clericos ordinare, verbo nulla munia Metropolitica, aut Episcopalia sive Ordinis sive Jurisdictionis exercere possit [1]); per Pallium enim juxta Innocentium III. Pontificalis Officii plenitudo, cum Archi-Episcopalis nominis appellatione confertur. — Romanus Pontifex *omni die, et ubique,* Metropolita vero intra fines provinciae suae, determinatis unice diebus Pallio uti potest, videlicet: in Nativitate Domini, Festo S. Stephani, S. Joannis Apostoli, Circumcisionis, et Epiphaniae Domini, Dominica Palmarum, feria quinta in Coena Domini, sabbato sancto, Dominica Resurrectionis, et subsequis duabus diebus, Dominica in Albis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, item Festis B. Mariae Virginis: Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis, Festo OO. Sanctorum, in dedicatione Ecclesiarum, principalibus festivitatibus Ecclesiae Metropolitanae, Ordinatione Clericorum, Consecratione Episcoporum, Abbatum, et Virginum, die Anniversaria dedicationis Ecclesiae principalis, et Consecrationis suae [2]). Extra Missarum solemnia, et in omnibus Missis de requiem non est licitus usus Pallii. Praeterea Pallium uni Archi-Episcopo concessum est ita personale, ut nec alteri commodari, nec in successorem transferri possit, sed cum accipiente sepeliri debeat. Dum quis aliam Metropoliticam sedem obtinet, pro alio Pallio est ei recurrendum [3]). Praeter Archi-

---

[1]) C. 28. de Elect. — [2]) Caerem. Ep. l. 1. c. 16. — [3]) vid. Dist. 100, et de auctoritate, ac usu Pallii integer Titulus.

Episcopos, e speciali Privilegio etiam Episcopi nonnulli Pallio utuntur, quin prae aliis suffraganeis quidpiam juris iisdem competat, aut per id Metropolitis praejudicium inferatur. Episcopus autem, privilegio hoc ornatus, ante receptionem Pallii, potest Synodum indicere; quia nemo tenetur uti privilegio sibi specialiter concesso [1]). — Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui Romanum Pontificem consecrat, vigore antiquissimi privilegii Pallio utitur. Ita et Episcopis Quinqueecclesiensibus post iteratas preces Episcoporum erga commendationem Augustissimae Mariae Theresiae jus Pallii Benedictus XIV. instauravit, et Crucem instar Archi-Episcopi intra limites Civitatis Quinqueecclesiensis praeferendam concessit [2]). Idem Benedictus XIV. Episcopum Herbipolitanum in Bavaria, et modernus Pontifex Pius IX. anno 1851. Massiliensem in Gallia Pallio Archi-Episcopoli ornavit. Archi-Episcopos, qui unice titulum gerunt, nec Cruce, nec Pallio uti posse, decisa etiam inter Pázmánum, et Telegdyum controversia certum reddit. Dum enim Joannes Telegdy, retenta Administratione Episcopatus Nitriensis anno 1624. in Archi-Episcopum Colocensem, Turcis ibidem grassantibus, nominatus, in Nitriensi Ecclesia Pallio uti coepisset, reclamavit Pázmánus Strigoniensis Metropolita, atque Pontificis, et S. Rituum Congregationis hac de re sententiam interpellavit. Quam pro parte Metropolitae pronunciatam fuisse Litterae Roma datae docent. — — Jos. Vurum Memoria Episcopatus Nitriensis pag. 352. et seqq.

---

1) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. c. 6. n. 4. — 2) ib. l. 13. c. 15. n. 16.

CAPUT V.

De Episcopis; eorum Institutione et Origine; Qualitatibus, Juribus, et Obligationibus.

§. 25. De Episcopis in genere et eorum Institutione ac Origine.

Nomine Episcopi venit, primi Ordinis Sacerdos, ritu praescripto consecratus, qui assignati sibi certi tractus terrarum, Clero et Populo cum jurisdictione etiam externa praeest [1]). Episcopos esse Institutionis, ac Originis Divinae, probatur e S. Scriptura, Traditione, et Decretis Conciliorum. Divinus enim Stator Ecclesiae, qui hanc usque ad consummationem saeculorum duraturam et voluit et praedixit, dum Apostolos ea, quam Ipse a Patre acceperat Missione [2]), ornasset, data eis potestas unice ad Personas eorum restricta non erat: sed velut „ad consummationem sanctorum in opus Ministerii in aedificationem corporis Christi“ [3]) adeoque ad porro regendam et gubernandam Ecclesiam Dei necessaria, in eorum successores, Episcopos transferri debebat, quamve Apostoli superna auctoritate instructi, effective in suos successores transfuderunt. Hos siquidem in dies fidelium numero crescente, cum omnibus ipsimet praeesse non potuerint, per impositionem manuum consecratos, determinatis Communitatibus, seu Dioecesibus praeficiebant, iisdem nomen et potestatem Episcopalem dando [4]). Ita Petrus Evodium Antiochiae, quem sequebatur Ignatius; Marcum Alexandriae; Lazarum Massiliae dedit Episcopum. Paulus Timotheum Ephesi, Titum Cre-

---

1) Conc. Trid. Sess. 23. cau. 2; — Cau. 9. q. 2. c. 6, 7. et 8; c. 16. de Off. jud. ord. — 2) Matth. 18. v. 18, 28, v. 18—20. Luc. 24, v. 49. Joan. 20; v. 21—23. — 3) Ephes. 4, 12. — 4) 1. Tim. 3, 5. 2. Tim. 4. 2. Tit. 1, 2—9. 1. Petr. 5, 1—4.

tae; Joannes Smyrnensibus Polycarpum Episcopum consecravit. S. Hieronymus in Libr. de Scriptor. eccles. prodidit, S. Policarpum et S. IgnatiumDioeceses suas, quas abducti deserere cogebantur invicem sibi commendasse. Hi taliter per Petrum constituti, ac per Apostolos consecrati Episcopi, virtute Spiritus S. rursum successoribus suis potestatem acceptam communicarunt; ut adeo diffusus per totum orbem terrarum Episcopatus non aliud sit, quam ininterrupta successio Apostolatus. Haec est concors doctrina SS. Patrum. Ita Clemens Romanus per S. Petrum consecratus, in 1 Ep. ad Corinthios n. 44. dicit: Episcoporum successionem per Apostolos inductam esse, ut in defunctorum, nempe Apostolorum locum, alii viri probati succedere, et illorum munia exequi possent. S. Ignatius M. pariter coaevus Apostolorum ep. ad Epheseos n. 3. identidem repetit: Episcopos ex sententia et per sententiam Jesu Christi constitutos esse. Idem ad Smyrn. 8. „omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem.“ Irenaeus adv. haeres. III. 3. „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos.“ S. Cyprianus ep. 27. „Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit; ut ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. „*Cum hoc itaque Divina lege fundatum sit etc.*“ Clemens Alexandrinus, de veritate doctrinae hujus ita fuit persvasus, ut Episcopis directe Apostolorum nomen tribuat[1]). Ita fere loquitur et S. Hieronymus ep. 41. ad Marcellam: „Apud nos Apostolorum locum tenent Episcopi.“ Quorum vices in Ecclesia habeant Episcopi „ait S.

[1]) Ep. 1. ad Corinth.

Augustinus in Comment. ad Ps. 44. et prosequitur: „Patres missi sunt Apostoli; pro Apostolis filii nati sunt tibi; constituti sunt Episcopi“ [1]). Conciliorum sententiae idipsum pariter confirmant; in Concilio Cartag. anno 255. celebrato congregati Patres diserte enunciarunt: „Apostolos, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes.“ Synodus autem Tridentina, Doctrinam hanc in omnibus expressit; sed specialiter Sess. 23. cap. 4. de hier. declarat: praeter caeteros Ecclesiasticos Gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem praecipue pertinere.“ Si autem Episcopi sunt successores Apostolorum, eundem etiam Apostolatus Caracterem retinent, et in auctoritatem ac omnia munia Apostolorum, — quatenus eadem regimen et administrationem Ecclesiae, verbi Dei praeconium, sacramentorum dispensationem concernunt, — successerunt. Ad hos velut Apostolorum descendentes, juxta S. Augustinum E. et D. refertur illud Psaltis: „*Pro Patribus nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.*“ — Apostolis tamen prae successoribus Episcopis id proprium erat: quod fuerint testes vitae, conversationis, doctrinae et resurrectionis Domini; personalibus praerogativis et gratiis, uti curationum, lingvarum, inspirationis ornati extiterint; atque eorum determinationes eam roboris firmitatem habeant, ut contraria definitione enervari et tolli non possint. Cau. 25. q. 1. c. 6.

Episcopi, qua successores Apostolorum, qui non ab hominibus, neque per homines, sed per Jesum Christum missi erant, missionem ad emolumentum Ecclesiae ordinatam continuant, pari potestate, quae Apostolis concessa fuit, instructi. Sed sicut Apostoli creditam sibi potestatem, exercuerunt in subordinatione ad Petrum; ita etiam Episcopi munus suum exercere debent

[1]) Dist. 68. c. 6.

in subordinatione ad Primatem Ecclesiae Romanum Pontificem. Immediate itaque a Deo accipiunt Episcopi Potestatem, quam tamen nisi interea donec in unione cum Papa perseverant, legaliter exercent intra territorium sibi assignatum, quod Dioecesis vocatur.

§. 26. De Electione Episcoporum.

Dum Dioecesi sive novitus erectae, sive per obitum, vel Promotionem ad sedem Metropolitanam, seu vero Canonicam Translationem, sua forma factam Resignationem, aut demum juridicam Depositionem sede Episcopali de jure et facto vacanti providendum erat de Supremo Pastore, Electio variis temporibus varia esse solebat. Primis Ecclesiae saeculis, vacantia ad notitiam perlata, Episcopi vicini, sine dilatione ad Ecclesiam vacantem convenerunt, exploratoque sensu Cleri et Populi electionem peragebant, et quia infestissimis illis Ecclesiae temporibus et cum sede Apostolica communicatio difficilis, sed et ad avertenda a Dominico Grege pericula de Episcopo in instanti providendum erat, Electus statim consecrabatur. Circa saeculum V. electionis forma in eo mutata est, quod eandem Clerus peregerit, Populi assensu duntaxat expetito [1]). Num electio canonica, et electus qualitatibus requisitis ornatus sit, Metropolita cum suffraganeis Episcopis examinabat. Crescente interim fidelium numero, cum enatae occasione electionis factiones, detrimenta Ecclesiae adferrent; in Ecclesia orientali jam saeculo 9° Populus ab electione excludebatur; in Ecclesia autem Latina, seculo 12. jus electionis in Capitula Cathedralium Ecclesiarum translatum, et per Decreta Pontificum, signanter Innocentii PP. III. iisdem assertum fuit. Subseque sub variis titulis per Pontifices factae Reservationes [2]), penes

---

[1]) Dist. 63. c. 6. — [2]) De Praeb. et Dignit.

multas Ecclesias mutationem in electione induxerunt. Sed et Imperantes Civiles exercebant jus nominationis Episcoporum, et cum hos qua feuda possidentes, per annulum et baculum, velut symbola potestatis Episcopalis investivissent; ex hinc illa subin formata conseqventia: ipsum ecclesiasticum etiam officium, a Civili potestate procedere. Inde autem originem duxit historice memorabilis circa medium saeculi undecimi enata quoad Investituras lis, quae primum per Concordatum 1122. inter Calixtum PP. II. et Henricum V. Imperatorem initum, superata fuit ea ratione: quod Imperator semet obligaverit, ad investituras deinceps per Sceptrum conferendas, reservato jure interveniendi Electionibus Episcoporum, electi autem regalia ab ipso recipiant. Electio Episcoporum non tantum in Germania, sed in Anglia, Gallia, Hispania, Svecia, Norvegia ad Capitula redivit, ita quidem, ut Capitulum Ecclesiae viduatae, relate ad facultatem eligendi, habuerit, ut dicitur, intentionem in jure fundatam, et contrarium asserenti onus probandi incubuerit [1]). Finaliter autem, propter crebras scissiones, enataque inde Schismata electio in Capitulis jure hoc gaudentibus aut restricta est, interveniendi vel vetandi, respectu certarum Personarum, Imperantibus Civilibus potestate reservata; aut Nominationis jus penitus in Imperatores Civiles recidit, novissimis temporibus potissimum per Concordata regulatum et stabilitum. In Imperio Austriaco per Suam Majestatem nominantur Episcopi, excepto Salisburgensi, Olomucensi, item Secoviensi, Levantensi, et ex parte Gurkensi; omnes mox post Nominationem, juramentum fidelitatis Majestati Caesareo-Regiae juxta praescriptam formam, in Ministerio Cultus deponunt; et intra trimestre beneficium Consecrationis petere obligantur. In Bavaria, Gallia, Hispania, Portugallia,

---

[1]) C. 1. de Elect.

Neapoli, Sicilia, Sardinia, pariter Imperator aut Rex nominat vel praesentat. In Belgio juxta Concordatum 1827. die 18ª Junii initum, Capitula listam Candidatorum Regi exhibent, qui Personas non gratas expungit, ita tamen, ut sufficiens pro electione praesuscipienda numerus remaneat. In Borussia vigore Bullae Circumscriptionis, quae incipit: „De salute animarum" Capitula: Coloniense, Vratislaviense, Treviranum, Paderbornense, et Monasteriense, adscitis etiam Canonicis Domicellaribus, intra trimestre a die vacantis sedis e Clero totius Monarchiae jure eligendi gaudent cum obligatione a sede Apostolica Confirmationem impetrandi. — Vormaciense et Culmense Capitula relicta in antiquo usu; Gnesnenses, et Posnanenses, perpetuo unitarum Archi-Episcopalium sedium Capitulares ad Archi-Episcopi electionem junctim procedunt. In Rhenanis superioribus Provinciis, ubi sub Metropolitano Friburgensi suffraganei sunt Rottenburgensis in Regno Vürtembergiae; Moguntinus in magno Ducatu Hassiae; Limburgensis in Principatu Nassaviensi; et Fuldensis in Principatu Hassiae Cassellano vigore Bullae „Ad Dominici Gregis custodiam" dum Episcopalis sedes vacans redditur, respectivum Capitulum, eorum qui ad munus Episcopale idonei reputantur, Catalogum concernenti Civili regimini exhibet, quod pro re nata ingratam Personam delet; tum vero ad electionem forma Canonica procedit Capitulum, et Electum pro confirmatione intra mensem sedi Apostolicae substernere obligatur.

Quantum ad Hungariam attinet; tametsi ex ipso Corpore Juris Canonici, signanter Decret. Gregor. [1]) eveniat, Capitulum Strigoniense 1205, a morte Guilielmi Archi-Episcopi Strigoniensis electionem sibi commissam habuisse; casum interim hunc, prout et alium, electionis quippe per Capitulum Agriense 1323

[1]) C. 4. de Postul. Prael.

institutae, juri nominationis Regiae nihil praejudicasse, defendit Péterfy in Collectione Conciliorum [1]); una ad jus hoc indubitatis rationum momentis evincendum, hoc in merito editam Cardinalis Pázmán dissertationem, per extensum adducendo; qui praemisso eo, quod e consvetudine vel privilegio jus Collationis etiam laicis competere possit, prout Regem Galliae de facto id juris habere Concilium Basileense recognovit; ultro progreditur, et ex legibus in corpore juris Hungarici contentis, adstruit, ad Reges Hungariae jus Collationis beneficiorum spectare, ex eo: 1° quod in prima Ecclesiarum fundatione in pactum deduxerint jus collationis. 2° Quod S. Stephanus nutu Pontificis hoc jure usus sit. 3° Quod per annos sexcentos in pacifica possessione fuerint. 4° Quod Martinus PP. in Concilio Constantiensi Privilegium hoc confirmaverit. Ideo usus in Hungaria obtinuit, ut quam primum Regia Majestas aliquem Episcopum nominat, hic ea quidem quae ordinis sunt nullo modo attingat, quae tamen ad jurisdictionem spectant omnia exequatur; nam beneficia confert, reditus percipit, habitu Episcopali utitur, ab omnibus electus Episcopus scribitur. Quaenam autem Augustissimus Imperator et Rex Franciscus Josephus quoad jus nominationis Episcoporum declaraverit, in adnexa ad calcem operis b. Resolutione videre est. Interim de electione, ejus forma, electorum et electi dotibus ibi uberius, ubi de provisionibus beneficiorum agitur.

Nota. In electionibus, praeter normam Canonicam specialia etiam statuta, quae tamen Spiritui Canonum adversa non sint, praeexistunt, et religiose observari debent. Ita juxta statuta fidelis Metropolitani Capituli Olomucensis 1827. per Imperatorem Franciscum confirmata, ab obitu

[1]) Par. 1. pag. 74.

Archi-Episcopi conformiter Canonibus, intra spatium trimestre ad electionem procedi debet. Dies electionis per Capitulum determinatur, petita a Sua Majestate Sacratissima Principalis Commissarii exmissione. Praeter Valvis Metr. Ecclesiae affixam Citationem, in conformitate Canonum absentes distinctim convocantur. Adveniente die electionis vel postulationis, Capitulum congregatur 9ª hora in Metr. Ecclesia, ubi sub Missa de Spiritu S. quam Decanus, aut alter Dignitarius celebrat, omnes Electores Canonici communicant; dein intonat Decanus „Veni S. Spiritus.“ et sub solemni pulsu campanarum itur ad Ecclesiam S. Annae. Portae clauduntur. Praeses provocat Capitularem Notarium cum tribus testibus, ad cuncta quae evenient rite praenotanda, et eos juramento obstringit. Postea affixa Valvis Canonica Citatio in praesentia unius Canonici per Notarium et testes decerpitur, ac ad Conclave fertur; Praeses autem Capitularis protestatur, quod absentia Canonicorum, qui venire poterant, et noluerunt, Electioni nocere non possit, et ii, qui excommunicati, suspensi, interdicto affecti, irregularitate, aut alio Canonico impedimento irretiti sunt, ab Electione abstineant, et si eo non obstante in electione partem caperent, votum eorum pro nullo consideretur. Dein Canonici juxta senium adjurantur, quod seposito favore et odio talem eligere velint, de quo convincuntur, illum Ecclesiae optime praefuturum; non secus jurata fide spondet quivis Canonicus, quod ad casum si eligeretur omnes probatas consvetudines fideliter servare velit. Tum per Praesidem Electores Gravitatis actus praesuscipiendi, quodve iisdem triplex suppetat eligendi modus: per Scrutinium, Compromissum, et acclamationem, admonentur. Consveta tamen forma est

Scrutinium, ad quod eliguntur 3 Scrutatores; facta eorum adjuratione 1ᵘˢ Scrutator interrogat: Placetne Reverendissimis Dominis Confratribus ut Scrutatio praesuscipiatur? Vota colliguntur ad Calicem, quae si sufficientia non sint, dicit 1ᵘˢ Scrutator: non habemus Archi-Episcopum. Vota quae quis accepit publicantur, et ad ulterius scrutinium proceditur. Si vero ad Electionem vel Postulationem requisita vota praesto sint, dicit 1ᵘˢ Scrutator: habemus Archi-Episcopum, placetne ut publicetur? Publicatio instituitur per Decanum Capituli; ad hoc, duo Capitulares accedunt Caesareum Principalem Commissarium, et ducunt illum ad Conclave, ubi illi neo-electus per Praesidem praesentatur. Postquam Caesareo-Regius Principalis Commissarius facultatem dat, per Notarium et testes publicatur Neo-electi Nomen, qui stola et pluviali indutus, pergit cum Caesareo Commissario in comitiva Capituli sub solemni pulsu campanarum, et decantat hymnum ambrosianum „Te Deum laudamus;“ Commissarius vero adhuc in Conclavi suae Majestati Sacratissimae relationem praestat. Ad impetrandam Confirmationem a Sede Apostolica, examen praescriptum per Nunciaturam sua forma instituitur. Archi-Episcopus praeterea recepta Consecratione, post sui Canonicam introductionem, qua Feudatarius, in publica apud suam Majestatem Sacratissimam Audientia, solemni ritu fidelitatis sacramentum nuncupat. Quod ipsum etiam Episcopus Vratislaviensis, qui Feudum in Ditionibus Austriacis possidet, et cujus Dioecesis semet ad Silesiam quoque Austriacam extendit, praestat.

Nota. Juris Regaliae nomine venit, singularis praerogativa, vi cujus Princeps Civilis proventus vacantis Episcopatus percipit, et per tempus va-

cantiae beneficia confert. Jus Regaliae cumprimis in Gallia antehac vigens, et per Pontificem controversum, maxime sub Ludovico XIV. gravibus dissensionibus ansam praebuit, Propositionumque Gallicanarum origo exstitit. In Hungaria, vigore sic dictae Conventionis Kolonicsianae, per suam Majestatem die 15a Junii 1703. adprobatae, puncto 6° Proventus et fructus omnes, durante Beneficii vacantis administratione collecti, aut pro hoc tempore colligendi usque ad Installationem successoris (si Beneficium ultra quadrantem anni vacare contingat) bifarie dividi disponuntur, una parte Fisco, altera Ecclesiae remanente. In Austria vigore b. Decreti 1783. et 1801. editi, intercalares Episcopatuum Proventus fundo Religionis inferuntur.

§. 27. De Qualitatibus Electi.

Praeter qualitates quas S. Paulus in epistolis ad Timotheum et Titum describit, quaeve potissimum eximiam vitae morumque probitatem concernunt, Electi specialibus praeterea dotibus per S. Canones determinatis praediti esse debent. Requiritur itaque 1° Legitimitas natalium et aetatis maturitas, 30mus nempe aetatis annus completus [1]). 2° Ut Electus sit adminus Sub-Diaconus, in S. Ordine antea, saltem sex mensium spatio constitutus, et a Confirmatione intra tres menses Consecrationem Episcopalem recipere possit [2]). 3° Instar peculiaris beneficii olim Deus pollicitus fuit Pastores ejusmodi, „qui pascant scientia et Doctrina“ [3]), item „labia sacerdotis custodient scientiam, et legem de ore ejus requiram, quia angelus Domini exercituum est“ [4]). Provide itaque per Ecclesiam constitutum, ut ad Cathedrales Ecclesias eligantur Viri scientia et Doctrina conspicui. Scientia, — ait

1) Conc. Trid. Sess. 7. c. 1. — C. 7. de Elect. — 2) C. 9. de aet. et qualit. praef. Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. — 3) Jerem. 3. — 4) Malach. 2.

Concilium Tridentinum loco citato, — ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere, ideoque antea in Universitate Studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel jure Canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.“ 4° Sicut ambitus, ita pertinax fuga muneris Episcopalis per S. Canones reprobatur; „quia si is, qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se pastorem summum minime amare, — ne item aut non purgatus adire quisquam sacra Ministeria audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie, superbe contradicat“ [1]). 5° Irregulares, velut qui officium explere nequeunt, non sunt eligibiles; similiter 5° Censura Ecclesiastica irretiti; quae licet in se crimen non sit, propter crimen tamen infligi supponitur [2]). In pluribus interim dispensatione occurri potest, prout Petrus Pázmán quod ex haereticis Parentibus natus, et in haeresi educatus fuerit, per Paulum V. 1616. die 10a Nov. ab irregularitate dispensatus, et ad Archi-Episcopatum Strigoniensem habilitatus exstitit [3]).

§. 28. De juribus et obligationibus Episcoporum.

Episcopi qui Dioecesibus praesunt, et hoc ipso etiam Archi-Episcopi velut Apostolorum successores, eminenter pertinent ad Hierarchiam Institutionis Divinae. „Omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerere debet, — ipsius fidei populus Domini commissus est, et pro eorum animabus ab ipso repetetur ratio“, ait Can. Apost. 37. et. 38. Unde S. Patres et Concilia, in specie Trid. Munus Episcopale periculosissimum, atque onus Angelicis humeris formidandum compellant. Interim Episcopi Deo et Eccle-

1) Can. 8. q. 1. c. 9. — 2) C. 7. de Cler. excomm. — 3) Epist. Pázmán a Miller editae.

siae responsabiles ad gravissimum officium suum facilius, feliciusque exequendum, juribus specialibus instructi sunt. In genere, qua Principes universorum in Dioecesi sua Clericorum, ex instituto Canonum, tum vigore etiam factae solemnis in ordinatione sponsionis, ab iis Canonicam Obedientiam et reverentiam jure exigunt; et cuncti Dioecesani, ipsi etiam Sacerdotes, sunt cum Episcopo in correlatione filiorum ad patrem. Alia autem Jura Episcoporum generaliter dividuntur in illa, quae ad totam Ecclesiam, regimenque ejus semet referunt; et ea, quae Dioecesim cujusvis Episcopi respiciunt. Posteriora haec dispescuntur a) in jura ordinis; b) legis Dioecesanae; c) Jurisdictionis; d) honoris.

Relate ad universam Ecclesiam 1° „*Episcopatus* unus est, cujus pars a singulis in solidum tenetur“, dicit S. Cyprianus, quam unitatem nunquam potuit discerpere divisio in Dioeceses. Ideo Episcopi gravi-ter incumbere debent in id, quod ad puritatem Doctrinae Catholicae, et integritatem universalis disciplinae ecclesiasticae pertinet. Hoc ex obtutu 2° *Observato* quocunque periculo, illud Capiti Ecclesiae velut Centro unitatis referunt, et in objectis fidei et morum ac disciplinae, provocati respondent. 3° *Ad Concilia* Oecumenica per Pontificem jure Divino vocantur, ibidemque suffragio Judicis gaudent. 4° *In Synodis* Generalibus, junctim cum Primate Universae Ecclesiae ea, quae ad fidem et mores pertinent, infallibiliter enunciant, per cunctos qui Catholico nomine censentur, irrefragabiliter recipienda. 5° *Condunt* praeterea ibidem leges ad disciplinam pertinentes, quas universalem vim obligandi habere, alibi expositum.

Inter jura quae *Dioecesim* concernunt, sunt: a) *jura ordinis* etiam Ministerii sacri dicta. Episcopus qui respectu Cleri et Populi sibi subordinati *Parochus Parochorum* nominatur, non tantum in Ecclesia Cathedrali, verum in tota Dioecesi jure ordinario cun-

cta, quae ad sacramentorum administrationem et Curam animarum pertinent, exeqvendi potestate gaudet. Ultra haec autem Episcopis qua Apostolorum successoribus exclusive specialis competit potestas: a) *Clericis* Sacros ordines conferendi [1]. b) Episcopos consecrandi [2]. c) Confirmationis sacramentum administrandi; nam Apostoli, qui Baptismi conferendi potestatem etiam in Diaconos transtulerunt, teste Act. Apost. c. 8. Confirmationis Sacramentum exclusive administrabant; et Conc. Trid. [3] statuit: „Si quis dixerit Sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.“ In Ecclesia quidem Graeca baptismi administrationem, mox Confirmatio excipit, quam Presbyteri conferre consveverunt; istud interim e speciali delegatione Pontificum fieri; praeter alios exponit Pallavicinius: „in Synodo inquit Florentina, (potissimum causa Graecorum celebrata) haberi, Romanos Pontifices gravibus de causis id meris sacerdotibus indulsisse, dummodo Chrisma ab Episcopis consecratum adhiberent“ [4]. Apud Latinos extraordinarie etiam minores Sacerdotes conferunt Sacramentum Confirmationis, semper tamen unice ex delegatione Pontificis, gravibus causis id suadentibus. Ita simili delegatione providentur Missionarii, ubi Episcopus non existit, Chrisma tamen ab Episcopis consecratum adhibere debent [5]; et Benedictus XIV. Principi Abbati Ordinis S. Benedicti in Monasterio Kemptensi, Ecclesiam sui Claustri consecrandi, et hac occasione Sacramentum Confirmationis administrandi facultatem tribuit. d) Episcopo competit exclusivum jus, Chrisma et S. Olea in Coena Domini conficiendi; Ecclesias, Altaria, Calices et Campanas consecrandi [6], Ecclesias pollutas reconciliandi [7], Caeme-

---

1) Conc. Trid. Sess. 23. c. 7. de Sacr. Ord. — 2) C. unic. de Sacr. Unct. — 3) Sess. 7. Can. 3. de Sacr. Conf. — 4) Hist. Conc. Trid. l. 9. c. 7. pag. 15. — 5) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 7. c. 7, 8, 9 et 10. — 6) Cau. 26. q. 6. c. 1. et Dist. 25. c. 1. §. 9. — 7) C. 9. de Cons. Eccl.

teria benedicendi, quod postremum Presbyteris delegari consvevit. e) Reges solemni ritu ungendi, et inaugurandi. f) Abbates et Abbatissas benedicendi. Haec jura autem vocantur jura *Ordinis propria, vel reservata,* aut sensu stricto, jura Pontificalia; relate ad quorum exercitium Conc. Trid. Sess. 6. c. 5. de reform. in genere decernit: „Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subjectas tantum: si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi.“

b) *Jura legis Dioecesanae.*

Olim a jurisdictione Dioecesana, non secernebatur *lex Dioecesana*, quae distinctio saeculis mediis incepit tunc dum Monasteriorum Ecclesiae a praestationibus Episcopo faciendis, eximerentur [1]). Prima legis Dioecesanae mentio occurrit: Cau. 16. q. 1. c. 34. successive civitate donata, et per Innocentium PP. IV. [2]) pro jure Episcoporum praestationes ab Ecclesiasticis exigendi, sumpta.

Ad legem itaque Dioecesanam per S. Canones refertur 1° *Procuratio Canonica,* quae est congruae accomodationis Visitatori Episcopo a Visitandis praestatio. Hujus intuitu Conc. Trid. disponit: ut in eorum optione sit qui visitantur, num malint soli consvetam pecuniam pendere, aut frugalem victum ministare; in iis vero locis seu provinciis ubi consvetudo est, ut nec victualia nec pecunia, nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur [3]). 2° Cathedraticum seu Synodaticum; est pensio annua in honorem Cathedrae Episcopalis ex Ecclesiis et beneficiis primo partim in frugibus, par-

[1]) Cau. 10. q. 3. c. 8. — [2]) C. 1. in 6. de verb. Sig. — [3]) Sess. 24. c. 3. de ref.

tim in aere, quam dein Canon ad duos solidos (apud Francos unus solidus 12 denariis aequivalebat) restrinxit [1]). 3° Quarta decimarum, legatorum, et mortuariorum [2]), haec originem habet ex antiqua ecclesiastici proventus in 4^{or} partes divisione, est autem quarta pars ex decimis annue pendi solita, tum legatorum, ad usum non determinatum Ecclesiasticis obvenientium, ac praesertim remansae ab obitu Clericorum e proventu beneficiali collectae Substantiae aliqua pars; remansa enim beneficialis Substantia olim cedebat Ecclesiae cui defunctus servivit; et ex hac quarta pars portio Canonica vel quota funeralis, dicta, pro usu Episcopi desumebatur. 4° Subsidium Charitativum, cujus praestationis intuitu c. 6. de Censibus, haec habentur: „sustinemus pro multis necessitatibus, quae aliquoties superveniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa exstiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare.“ 5° Seminaristicum seu Alumnaticum. Est jus Episcopo competens, cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero Civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat, ex fructibus integris mensae Episcopalis et Capituli, aliorumque cujuscunque nominis beneficiorum ecclesiasticorum, hospitalium, institutorum etc. ad erigendum Seminarium praestationes determinandi [3]). Interim praerecensitae praestationes, velut in Patria nostra in usu non existentes, hic unice historicae notitiae causa expositae habentur.

c) *Jura Jurisdictionis Dioecesanae.*

Jurisdictio Episcoporum esto Primati universae Ecclesiae subordinata, est tamen ordinaria, seu muneri ipsorum Episcopali adnexa, ita ut Episcopus qua centrum unitatis in sua Dioecesi spectari debeat, sit-

[1]) Cau. 10. q. 3. c. 1. — [2]) C. 16. de Off. jud. ord. et c. 4. de Praesc. — [3]) Conc. Trid. Sess. 23. c. 18. de ref.

Ordinarius possessor Jurisdictionis; ideo etiam *Ordinarius*[1]) aut *Dioecesanus*[2]) dicitur; neque eapropter ex principio conservandae unitatis, pro una Dioecesi duo Episcopi constitui, possunt[3]). Jurisdictio Episcopi extendit semet ad omnes Dioecesanos, in quantum legitime exempti non essent; est praeterea Unica eo sensu, quod quicunque intra Dioecesim sive Vicario, sive alio titulo jurisdictionem exercent, haec sit emanatio jurisdictionis Episcopalis, et hujus nomine exerceatur, neque eapropter praesertim in contentiosis a Consistorio vel Vicario ad Episcopum appellatio institui potest. Demum est per Canones limitata ita ut semper in aedificationem, non in destructionem tendat. — Jurisdictio ordinarii, seu jurisdictio Dioecesana, ratione objecti in suas Cathegorias dispescitur; quippe in jurisdictionem *legislativam*, *administrativam*, et *judiciariam*. Vigore jurisdictionis legislativae competit Episcopo 1° *Jus leges pro sua Dioecesi ferendi*, nam Episcopi positi sunt a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei; his in Persona Apostolorum Christus *Potestatem* concessit, qua et ipsi Apostoli, et eorum Successores usi sunt, legesque in bonum fidelium tulerunt. „Unumquemque enim Episcopum oportet habere suae Dioecesis potestatem, ut regat et gubernet secundum competentem singulis reverentiam“[4]). Cunctae interim Ordinationes, Encyclicae, quas Episcopus ad Clerum et Populum libere et sine interventu alicujus dimittit, sive objectum fidei et morum, sive disciplinam concernant, Ecclesiae sensui, Canonibusque conformes esse debent. Unde clarum fit, Episcopum nec quidem in Synodo Dioecesana, quoad leges disciplinares totius Ecclesiae, quales sunt: quae ad lingvam in Liturgia vigentem, Ritus Liturgicos, jejunium quadragesimale, Clericorum Caelibatum pertinent, mutationem indu-

1) C. 11. §. praeterea. de off. jud. ord. et c. 7. eod. tit. in 6° — 2) C. 14. de renunciat. — 3) C. 14. de off. jud. ord. — 4) Cau. 9. q. 3. c. 2.

cere posse; quod ipsum de Synodis uberius expenditur. *Potestatem legislativam* Episcopus exercet eminenter in Synodis Dioecesanis, latae ibidem Dispositiones, *Constitutiones Synodales,* vel *statuta Synodalia* vocantur; exercet item in Concursu cum Capitulo, quin ad Consilium sequendum sit obligatus, nisi in casibus lege expressis; tum privative et absque omni concursu; atque ita latae leges *Statutorum Dioecesanorom* nomine veniunt. Quibus utriusque Ordinis legibus, quod Diaecesani morem gerere teneantur, tam ex natura rei, quam etiam e positiva Canonum dispositione sequitur[1]). 2° *Cum Pontifex* qua Legislator peculiares locorum res, circumstantias, consvetudines, ubique perspectas habere nequeat[2]), dum Episcopus persvadetur editam in disciplinaribus Constitutionem in Dioecesi sua noxium aliquem effectum producere posse, suas in obversum rationes Romano Pontifici repraesentare tenetur[3]). 3° *Jus Synodos Dioecesanas* cogendi[4]), quam tamen Archi-Episcopus ante acceptum Roma Pallium convocare non potest. 4° Gaudet jure in particulari ecclesiastica lege ex justis, rationabilibusque causis *dispensandi,* et in his *privilegia* elargiendi; id juris respectu Dioecesis suae, et in lege particulari Episcopo qua *Legislatori* competere, nemo inficiabitur. Relate ad leges Universalis Ecclesiae, Episcopi reservationibus Pontificiis semet accommodant. In Bannis tamen jure proprio, in irregularitatibus item omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum Episcopus dispensat, ac in quibuscunque casibus occultis etiam sedi Apostolicae reservatis in foro Conscientiae absolvit[5]). Praeterea in casu sedis

1) C. 2. et 4. de ob. et Maj. c. 2. in 6. de Const. — 2) C. 1. in 6. de Const. 3) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 9. c. 8. n. 3. — 4) Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de ref. — 5) Conc. Trid. Sess. 24. c. 6. de ref.

impeditae, seu dum Pontifex adiri non potest[1]), et periculum in mora adsit, urgente item necessitate, atque ex gravi justaque causa dum consensus Pontificis praesumitur, Dispensationem etiam pro foro externo elargitur. Id modi necessitatis casus esset, si e. g. Principis alicujus Familiae gravia adjuncta exposcerent, ut ad extrema valetudinis deductum membrum Familiae Personam 2° Gradu Consangvineitatis nexam, matrimonio sibi conjungat, eo tum licite et valide conceditur per Episcopum Dispensatio; nam „propter necessitatem illicitum efficitur licitum[2]), atque tunc, ut dicitur, ex casu papali, fit episcopalis. Peremptorius tamen idgenus casus, suppletorie Pontifici sine mora substerni debet. 5° Concilium Tridentinum de *Reservationibus* loquens, subjungit: „Unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, Causas aliquas Criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare, neque dubitandum est, — *quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Dioecesi*, in aedificationem tamen non in destructionem liceat[3]). Imo contrarium asserentes anathemate percussit: „si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit“[4]). Habet proinde Episcopus jus reservandi majoris momenti causas, quem usum antiquissimis etiam Ecclesiae temporibus viguisse, ex historia notum est. Episcopis praeterea competit 6° Potestas Indulgentias elargiendi; a tempore tamen Concilii Lateranensis IV. nisi occasione consecrationis Ecclesiae alicujus Indulgentias annuas, et aliis temporibus, signanter in anniversario Consecrationis Ecclesiae 40 dierum concedere possunt[5]). Quod Jus Indulgentias 40 dierum concedendi, non

[1]) Ut noviss. 1848/9. — sensu c. 29. de sent. excomm. — [2]) C. 4. de reg. jur. — [3]) Conc. Trid. Sess. 14 c. 7. — [4]) Ibid. Can. 11. — [5]) C. 14. de Poenit.

transit ad Vicarium Capitularem[1]). Praeterea publice et in multorum conspectu crimen committentes fideles publicae poenitentiae subjiciendi disponuntur; Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum potest commutare, quando ita magis judicaverit expedire[2]).

Vigore jurisdictionis administrativae Episcopus: 1° Habet jus a secundi ordinis sacerdotibus de Statu Dioecesis, Populi Moralitate, aliisque ad curam animarum pertinentibus adjunctis *Relationes periodicas et extraordinarias exigendi*, quas quilibet ea, qua oportet sacerdotem Conscentia, et animi candore praestare obligatur; ut ita Episcopus habita omnium notitia, et indigentiis spiritualibus occurrere, sed et si mala quaepiam semet insinuant, ad eadem mox in germine suffocanda accedere possit. 2° *Visitationem Canonicam* instituendi. S. Leges Episcopis nihil urgentius commendant, quam crebram Dioecesis Visitationem, quae a Canonibus super eo latis, Canonicae Visitationis nomen sortita est. Momentum juris hujus patet jam ex facto Apostolorum, qui ipsi per Ecclesias a se fundatas visitationem instituerunt. Dixit ad Barnabam Paulus: *revertentes visitemus Fratres per universas Civitates in quibus praedicavimus Verbum Domini, quomodo se habeant*“[3]). Et Sanctissimi Episcopi uti: S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Carolus Borromaeus inter praecipuas partes muneris Episcopalis Visitationem referebant, hique prout alii etiam aetate nostra Praesules, nihil antiquius, nihilve sanctius habuerunt, et habent, quam visitare Filios per universas Civitates, et Pastores una ac Greges ovium in propriis Mappalibus lustrare. Praetermissis juris antiqui et novi copiosis Canonibus; Conc. Trid. hanc in rem decernit: „Ut Patriarchae, Primates, Metro-

[1]) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. c. 9. n. 7. — [2]) Conc. Trid. Sess. 24. c. 8. de ref. — [3]) Act. Apost. c. 15, 36,

politani, et Episcopi propriam Dioecesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant." Quo Capite etiam principalis finis Visitationum indicatur: „Visitationum autem praecipuus sit scopus sanam, orthodoxamque Doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, caetera prout locus, tempus, et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere" [1]). Concilium Tridentinum quidem hic in Specifico Visitationis objecta non recenset, sed indigitat dumtaxat, ad quae cumprimis Visitator oculos convertere debeat. Praelatus visitans inquirit de fide, vita, et moribus Populi, num quippe fideles, — inter quos etiam Magistratus publicus et honoratiores censentur, — Divina publica officia frequentent; num omnibus Catholici hominis obligationibus satisfaciant; aut Scandalum quodpiam non praebeant, etc. Num praesertim Juventus semet institutioni in Doctrina Religionis et Scholis non subducat, ad quem scopum Examen etiam publicum Visitator instituit. Praeterea de ornatu, et S. Vestibus Ecclesiae, tum de ejusdem et Beneficii Bonis ac reditibus, de ecclesiasticorum aedificiorum, Scholae item restauratione, de Coemeteriis, de piis cujuscunque cathegoriae Fundationibus num quippe hae rite administrentur, et ad scopum suum impendantur, numve participantes impositas per pios Fundatores obligationes ad amussim expleant, cognoscit. Examinat reditus Scholae et caeterorum Ecclesiae servitorum; ac fixas eorum sive e peculio Ecclesiae, sive aliunde

---

[1]) Conc Trid. Sess. 24. c. 3. de ref.

praestari solitas solutiones, dum eaedem tenues sunt, hac ocasione elevat, sed et praeferenter, in quantum opus est Beneficiatorum sorti ac convenienti subsistentiae consulere studet. Matriculas, num praescripta modalitate ducantur et securo atque sicco loco conserventur; bibliothecam, archivum, etsi quae existunt Inventaria inspicit. Demum de sanctimonia vitae Pastorum, num divinorum ordinem observent, Sacramenta prompte administrent, Vestem Clericalem ac tonsuram gestent, et muneri suo satisfaciant, indagat. In quantum semet Episcopi auctoritas hac in parte ad Regulares, eorum Ecclesias et Monasteria extendat, inferius de Regularibus dicitur, prout et caetera Episcopi quoad Religiosos jura ibidem determinantur. Capitula Cathedralium, et aliarum Majorum Ecclesiarum, illorumque personae [1]), omnes item Ecclesiae et Capellae, illarum ornatus, dos etc., hospitalia, Collegia; Confraternitates, quaecumque pia Instituta, Scholae visitationi Episcopi subjacent; non tamen ea, ut idem Concilium habet, quae sub Regum immediata protectione sunt [2]). Quamvis vero Visitatori jus super personis, rebus et locis inquirendi competat; omnes tamen Charitate paterna complectendos Concilium Tridentinum monet. Ideo Episcopus Visitans in illa dumtaxat vitia et defectus animadvertit, quae publice nota, et certa sunt, ab aliis vero dubiis perstringendis abstinet, neque arcana retegit, aut reos publice confundit. Quidquid autem ad visitationem ac morum correctionem et emendationem pertinet, horum intuitu summarie et sine strepitu forensi agere potest; jusque et potestatem habet, etiam tamquam Apostolicae sedis Delegatus, ea ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi, juxta Canonum sanctiones, quae illi ex prudentia sua pro subditorum

---

[1]) Conc. Trid. Sess. 6. c. 4. de ref. et Sess. 7. c. 7. de ref. — [2]) Sess. 22. c. 8. de ref.

emendatione, ac Dioecesis suae utilitate, necessaria videbuntur. „Nec in his executionem eorum, quae mandata, decreta et judicata fuerint, appellatio suspendat;“ ait Conc. Tridentinum [1]). Datur tamen locus appellationi cum effectu devolutivo, seu executa sententia, extra Dominium „Nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: quibus casibus sacrorum, et antiquorum Canonum statuta illibata persistant“ [2]), tuncque appellatio, re integre servata, seu cum effectu suspensivo locum habet. In reliquo Visitatio tempestive in notitiam Cleri Populique perferri consvevit, et in quantum ad constabiliendas res temporales interventu Civilis potestatis opus esset, id ipsum praevie impetratur.

3° *Cum operarii* ad Vineam Domini Sabaoth specialiter formari, et pro aliis ecclesiasticis muniis idonea Individua educari debeant; Episcopo competit jus personas in numerum Cleri cooptandi; ille enim optime notas habet Dioecesis suae indigentias, noscit proinde, quot et quibus qualitatibus instructi, recipiendi sint. Neque hac in parte secus limitatur, quam per Sanctiones Canonicas, de irregularibus latas. Concilium Tridentinum in genere decernit: „ut per Episcopum recipiantur, — qui ex legitimo matrimonio nati sunt, — et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis Ministeriis perpetuo inserviturus.“ Pauperum autem filios praecipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium praeseferant Deo et Ecclesiae inserviendi [3]).

4° *Jus inspectionis seminarii Cleri junioris;* et quidem tam e respectu materiali, quam etiam morali et educationis. Ductu hujus ut pura et Ecclesiae Spi-

[1]) Sess. 24. c. 10. de ref. — [2]) Conc. Trid. Sess. 13. c. 1. de ref. — [3]) Sess. 23. c. 18. de ref.

ritui conformis Doctrina Alumnis tradatur Episcopi intendunt; ad explorandum profectum, et stimulum docendi et discendi excitandum examinibus intersunt; tum etiam, num ex obtutu emensae provisionis institutis Seminarii satisfiat, ex improviso inspiciunt. Cum autem Dioecesis salus a Pastoribus animarum dependeat, Pastores autem e Seminario, quasi e quodam Propagatorio assumantur; huic inspectionis juri gravissima correspondet obligatio Alumnis sive in Scientia Sanctorum, aliisque litterarum studiis instituendis, sive in disciplina manuducendis idmodi Individua, — jam nunc in Austria etiam a liberrimo delectu Episcoporum pendentia, — praeficiendi, quae doctrina et gravitate morum emineant; fide sincera et non fucata animentur, atque charitate illa, quae non quaerit, quae sua sunt, ardeant. Id enim quotidiana experientia comprobatum est, a pietate et zelo eorum, qui immediate praesunt, maxima ex parte dependere seminariorum fructum, et Dioecesis felicitatem. Interim de Seminariis plura inferius.

5° *Jus conferendi Beneficia Ecclesiastica;* quia quodlibet Beneficium praesupponit officium, et Beneficium datur propter officium, cui potestas spiritualis adnexa est; hanc vero nullus in Dioecesi exercere potest, nisi facultate ab Episcopo accepta [1]). Interim originaria haec et Episcopis propria potestas in sensu Canonum exerceri praecipitur [2]), quomodo autem per jus Patronatus, ipsius Concilii Tridentini Sententia pro aequo recognitum [3]), restricta sit, inferius habetur. Caeterum dum curatum Beneficium, cujuscunque Patronatus vacans redditur, Episcopus mox Administratorem cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituit [4]). Rudibus et imperitis Parochis Administratores deputat, assignata parte

[1]) C. 4. de off. Archi-Diac. — [2]) Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. et 18. de ref. — [3]) Sess. 25. c. 9. de ref. — [4]) Sess. 24. c. 18. de ref.

fructuum; incorrigibiles autem, juxta SS. Canonum constitutiones appellatione quacunque remota, Beneficiis privandi facultatem habet [1]). Sed et Beneficia, quae a Praelatis Regularibus idoneo tempore collata non sunt, auctoritate Apostolica confert [2]). Praeterea autem prout in Domino ei visum est, et necessitas Dioecesis exposcit, Cooperatores, aliosque Subsidiarios libere disponit, ac mutat; neque in hoc Episcopali Officio curae animarum proprio jure prospiciendi, per quemquam restringi potest.

6° *Jus erigendi, uniendi, supprimendi, et dismembrandi Beneficia.* Episcopi est Ecclesiarum suae Dioecesis unio, et subjectio earumdem [3]). Haec tamen fieri tunc tantum possunt, si id evidens necessitas vel utilitas exigat [4]); item consentiente Capitulo, Patrono et Beneficiato, iis insuper qui de jure audiendi sunt, auditis [5]). *Ecclesiae, Capellae, Monasteria, Statuae,* nisi cum Episcopi indultu erigi possunt. Si vero Ecclesiae ob nimiam egestatem conservari nequeant, easdem dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce convertendi, jus habet [6]). 8° Gaudet jure *superinspectionis Scholarum suae Dioecesis.* Jus hoc promanat ex Institutione Divina; Christus enim in Coelos ascensurus obstringit Apostolos dicens: „Sicut misit me vivens Pater, ita et ego mitto vos: euntes docete omnes gentes; . . docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.“ „Apostolorum itaque Successoros Episcopi, missioni suae conformiter, jus una et obligationem habent omnem hominum Classem in aeternis veritatibus Religionis instruendi; cui juri et obligationi ut satisfaciant, non

---

[1]) Sess. 21. C. 6. de ref. — [2]) Clem. C. un. de sup. neg. Prael. — [3]) C. 8. de exc. Prael. Conc. Trid. Sess. 7. C. 5. de ref. Sess. 24. C. 13. et 15. Sess. 21. C. 4. de ref. — [4]) Honorius III. Ep. Veszprim. C. 33. de Praeb. — [5]) C. 3. de Eccl. aedif. C. 2. de reb. eccl. non alien. C. 8. et 9. de his, quae fiunt a Prael. — [6]) Conc. Trid. Sess. 21. C. 7. de ref.

potest eisdem indifferens esse, qualisnam institutio, et qualiter in Scholis proponatur. Dein cum Catholicam Religionem, e principiis ejusdem, unice missione et potestate ad id per Episcopum instructi Sacerdotes docere possint; suapte consequitur, inevitabiliter necessum fore, ut docentes Scholarum Catholicarum ab Episcopo missionem accipiant, et Episcopus directionem, aut superinspectionem Institutionis habeat [1]). Ideo Ecclesia Catholica, et hujus supremi Pastores antiquissimis et subsequis temporibus, omnem nervum ad Scholas fundandas, et aperiendas intenderunt, ut taliter per educationem ac institutionem religioso-moralem, Ecclesiae zelosos Catholicos, Societati autem politicae probos Cives formarent. Jus hoc in revelatione et historia fundatum, controvertebat nova philosophia, et praestabiliendo principium separationis Scholae a religione, item paritativas Scholas inducere volendo, in exercitio illius impedimenta ponere conabatur. — Egregie objectum hoc pertractat Cornelius Richardus Antonius Bommel Episcopus Leodicensis, in Opere ex Gallico verso: Die wahren Grundsätze des öffentlichen Elementar- und Gymnasial-Unterrichtes in seinen Beziehungen zur Religion. — In Austria Paritativae Scholae per Altissimas Ordinationes sunt sublatae; signanter ddo 6ae Maji 1853 No. $\frac{1782}{229}$ per C. R. Cult. Ministerium renovatur Intimatum 1797 vi cujus absque expresso Regiminis consensu Catholici juvenes ad Gymnasia evangelicorum et alias scholas assumi prohibentur; ea tamen ddo. 10ae Dec. 1853 No. $\frac{10517}{1429}$ per Ministerium Cultus intimata cum modificatione, ut si in loco domicilii, evangelicorum Gymnasium unice existat, neque Parentes tenuiter provisi filium ad remotius Catholicum Gymnasium causa Studiorum promovere possint, atque de institutione Religionis Catholicae et de Divinis Officiis sufficienter provisum sit;

---

[1]) Conc. Trid. Sess. 5. C. 1. de ref.

super quo omni tempore respectivi Ordinariatus declaratio expetenda disponitur; penes has cautelas, Potestas Civilis decernit, num quispiam Catholicorum, ad Gymnasium non Catholicum admittendus sit, nec ne? Demum vigore die 16ª Januarii 1854 No. $\frac{21851}{1314}$ per Ministerium Institutionis Publicae dimissae Ordinationis, integra Gymnasialis Institutio, num eadem in spiritu religioso, et christiano fiat Episcoporum superinspectioni est tradita, qui hanc sive personaliter, sive medio Commissariorum exercent. In locis autem ubi Schola element. Catholica non existit, Proles nisi cum praevio scitu Catholici Animarum Curatoris, per quem in Doctrina Religionis instruendae sunt, ad Scholam evangelicam admitti possunt, sub institutione tamen religionaria recedere debent, et in cultu divino evangelicorum Religionisque exercitiis, iisdem partem capere vetitum est. Item vigore etiam altissimae Caesareo-Regiae Resolutionis, nullus potest in inferioribus et superioribus publicis Scholis, Religionis Catholicae vel Theologiae Professorem agere, sine facultate Episcopi illius, in cujus Dioecesi Institutum existit. Imo Episcopus datam alicui facultatem revocandi jure gaudet [1]). 9º *Jus Catechismum pro Dioecesi praescribendi* [2]), qui tamen vigore Decreti Concilii Tridentini interpretum, *Catechismo Romano conformis sit.* 10º *Jus ultimas Voluntates Cleri sui probandi,* utque pia legata executioni mandentur, vigilandi [3]). „Si Commutationes ultimarum voluntatum fierent, quae non nisi ex justa et necessaria causa fieri debent, — decernit Concilium Tridentinum — Episcopi tamquam delegati Sedis Apostolicae summarie et extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate, aut suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam Commutationes praedictae executioni demandentur [4]). Quoad

[1]) Ddo. 23. Apr. 1850. — [2]) Conc. Trid. Sess. 24. C. 7. de ref. — [3]) C. 8. et 18. de Test. Conc. Trid. Sess. 22. C. 8. de ref. — [4]) Ibid. C. 6.

fundationes pro Hospitalibus idem Concilium Tridentinum duos de Canonicis adhibendos statuit [1]). De Testamentis, et manipulatione substantiae sive cum, sive absque testamento decedentium Clericorum, alibi plura. 11º *Jus peculiorum Ecclesiae, piarumque Fundationum et Institutorum Administrationi intendendi;* hocque Scopo Rationes exigendi; nisi forte secus in institutione, et ordinatione talis Ecclesiae vel fabricae expresse cautum esset [2]). Erogationes majores, et extraordinariae, e peculiis Ecclesiarum universim, citra Episcopi adprobationem et indultum fieri nequeunt. Interim, Seminariorum pro juventute ecclesiastica per quoscunque fundatorum, exactionem Rationum Sua Regia Majestas sibi soli — ut legis tenor continet — pro Apostolico Munere, et Suprema Auctoritate sua reservavit [3]). Aliae etiam Fundationes exceptis illis, ubi Fundatores id fieri diserte praecaverunt, jure supremae superinspectionis substerni disponuntur. Quoad Abalienationes Bonorum, supra in juribus Pontificiis; de piorum peculiorum Manipulatione autem in Capite de Parochis habetur. 12º *Cum Beneficiati, Beneficiorum Ecclesiasticorum,* quorum proprietas caeteroquin ad Ecclesiam pertinet, tantum usufructuarii sint, et Beneficia sine diminutione ad Successores transderivari debeant; Episcopo jus manet vigilandi, ne sive Curatae, sive simplices Praebendae Dioecesanae, per abalienationem, inonerationem, aut neglectum quempiam, detrimenta patiantur, occurrente autem quocunque idgenus casu, redintegrationem procurandi, et damna etiam sequestri impositione avertendi, jure pollet; tum praeterea passivis oneribus gravatorum ecclesiasticorum proventum sequestro afficit [4]). 13º *Jus cavendi ne moralitati et religiositati damnosi libri propagentur.* Episcopus enim est Mora-

[1]) Sess. 25. c. 8. de ref. — [2]) Sess. 22. C. 9. de ref. — [3]) 1715. art. 74. — 1729. art. 21. — [4]) Int. ddo. 23. Julii 1799. No. 16777.

litatis et Religiositatis in Dioecesi sua Custos, ad quam conservandam congrua etiam media adhibere obligatur. Si Ecclesiasticis adminiculis malo medelam adferre non valet; vix opportunius fiet, quam Civilis Potestatis eatenus auxiliatricem operam interpellare; quod omni aetate Praesules fecisse, Benedictus XIV. hunc in modum describit: „et cum actum est de publico propulsando Scandalo, quo populi mores palam inficiebantur; postquam Sancti Praesules, quantum in ipsis positum erat, hujusmodi periculis et corruptelis propulsandis adlaborarunt, non neglexerunt Saecularem Principem appellare, ejusdem Zelum ardentioribus studiis excitantes, adversus errorem, qui Dioecesim vel jam invaserat, vel prope erat, ut invaderet, seu adversus publicum Scandalum ipsa in Dioecesi invalescens [1]." 14° *Jus pro sua comoditate* sive in loco ordinariae Residentiae, sive alibi intra Dioecesis gremium, imo etiam extra propriam Dioecesim in Domo habitationis *Altare* ad celebrandum Missae Sacrificium erigendi [2]. Alia hujus Cathegoriae jura decursu operis occurrunt.

Demum tertia species jurisdictionis Episcopalis est *jurisdictio judiciaria.* Habet quippe jus causas Matrimoniales, et quidem Divortii perpetui, temporanei, de nullitate vinculi, quae stricte ad Fora ecclesiastica pertinent [3]; item impugnati Vigoris Professionis religiosae, aliasque ecclesiasticas causas in Foro primae instantiae cognoscendi, et decidendi, quae jurisdictio, *contentiosa* vocatur; quia praesuponit querelam, accusationem, et occupatur negotiis controversis; huic opponitur jurisdictio *voluntaria*, quae citra formam judiciariam, Auctoritate Episcopi exercetur; ab hac utraque ratione objecti differt jurisdictio *coercitiva;* haec abusum Officii, crimina, et defectus Clericorum

[1]) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. C. 17. N. 3. — [2]) Cap. 12. de Privil. in 6. — [3]) Conc. Trid. Sess. 24. C. 12.

plectit; Laicos item deliquentes Censuris Ecclesiasticis subjicit. Caeterum *universae Jurisdictionis Episcopalis* partes summarie recenset Cap. 16. de Off. jud. Ord. hoc modo: „In Ecclesiis suae Dioecesis habet Canonicam obedientiam, subjectionem et reverentiam, institutionem et destitutionem, correctionem et reformationem, ac censuram ecclesiasticam, jurisdictionem quoque causarum omnium ad forum ecclesiasticum de jure spectantium, poenitentias, et Sacramentorum omnium, quae ab Episcopo sunt recipienda, collationem, Synodum." Ante obtentas tamen et iis ad quos pertinet exhibitas Pontificis Bullas Electus et Confirmatus, quemcumque actum jurisdictionis exercere non audet [1]).

d) Jura Honoris.

In Hierarchia juris Divini post Primatum, eminentissima Dignitas est Episcopalis; atque Episcopatus cum Capite Ecclesiae conjunctus, supremam in Ecclesia Auctoritatem constituit. Tanta autem ob eminentem hanc dignitatem Episcopis semper veneratio tribuebatur, quod Principes Civiles vix non exclusive eorum consiliis usi, Episcopos subin praecipuis Civilibus praerogativis ornaverint, et ad supremam triplicem legislativam nempe, judiciariam, et executivam Potestatem civilem frequenter Vicario etiam jure exercendam vocaverint. Caeterum haec accidentalia erant, et mutatis temporum adjunctis, etiam mutationem subiverunt. Neque ab influxu hoc in saecularia negotia mutuata fuit veneratio, qua dignitas Episcopalis antehac quoque excolebatur, et donec Ecclesia Dei perstiterit, excoletur. Episcopi per S. Canones appellantur *Pontifices, Summi Sacerdotes, Antistites, Pastores, Primi Ordinis Sacerdotes, Praesules, Principes.* Jura honoris de praesenti iis competentia potissimum huc redeunt: Per Constitutiones odiosas, nisi in ipsis ex-

[1]) C. 1. de elect. in extrav. com. citatum per Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. c. 5. n. 6.

presse mentio Episcopi habeatur, nullum Episcopis accrescit praejudicium [1]). Qua Principes Ecclesiae intra limites Dioecesis suae, pulsu Campanarum, et solemni Cleri, populique Processione excipiuntur. Ad Ecclesiam Cathedralem accedentibus, et ab ea recedentibus, Canonici caeterique Clerici comitivam praestant; atque Canonici Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, assistere, et inservire obligantur. — Quivis Dioecesanus Sacerdos in Canone Missae eorum mentionem facit. Anniversaria Consecrationis, et obitus, die in Cathedrali Ecclesia solemne, et respective de requiem pro iis Missae Sacrificium offertur. Sicut *in confessione S. Petri*, seu in Vaticana Basilica Pontificio Altari, in quo unice Summus Pontifex Missam celebrat, nemini alteri admittitur oblatio Sacrificii; ita in Altari, in quo Episcopus offert, eadem die Clericis inferioribus integrum non est Missae Sacrificium celebrare, nisi indultus Episcopi accedat. — Qui Missae Episcopi etiam lectae interest, censetur satisfecisse obligationi audiendae Missae Parochialis. — Episcopus semper in Ecclesia non autem in Sacristia Sacra Paramenta assumit, et eidem Sacris operanti septem Candelae ad Missam et Vesperas accenduntur. — Canonici juris regula est, ne in villis, et pagis, sed solum in Urbibus Episcopalis dignitas statuatur [2]); ideo Romani Pontifices cum in aliquo Oppido Episcopum constituunt, Oppidum tale ob Episcopalem dignitatem, etiam honore Civitatis adaugent; atque inde evenit, quod complura Oppida, dum Cathedra Episcopalis in iis erigeretur, mox nomen Civitatis sortita sint. — Episcopi praeterea talari, et caputio violacei coloris, cappa majore et minore utuntur, ex Religiosis assumpti, ordinis colore retento, invicem rocheti superpelliceum induunt [3]). Pedum seu baculum

---

[1]) C. 4. de Sent. excom. in 6. — [2]) Dist. 8. c. 3. et 4. c. 1. de Privil. — [3]) Rochetum a Superpelliceo differt, quod prius angustas, posterius latas manicas habeat.

pastoralem in signum Auctoritatis, Infulam seu Mitram, in signum regalis Sacerdotii; annulum, qua symbolum spiritualis Matrimonii cum Ecclesia sua, crucem item pectoralem gestant; pontificalia Ornamenta adhibent, et specialem Cathedram in Ecclesia Cathedrali, quae faldistorium, aut etiam thronus Episcopalis appellatur, erectam habent. — Summus Pontifex Episcopum alloquitur: „*Venerabilis Frater, — Fraternitas Tua;*" per alios Illustrissimi ac Reverendissimi titulus iisdem tribui consuevit. Episcopi per Summos Terrae Principes in Consilium adhibentur, qui eosdem eminentissimis etiam civilibus Officiis admovent, et insignibus Ordinibus decorant. Aliqui insuper ex Privilegio specialibus titulis et juribus gaudent, ita: Episcopus Vesprimiensis titulo: Serenissimae Reginae Hungariae Cancellarii; Episcopus Quinque-Ecclesiensis e renovato per Benedictum XIV. privilegio, Pallio Archi-Episcopali, et Cruce utitur; Episcopus Jaurinensis habet jus nominandi Capitulo suo ingremiatum Praepositum realem de Pápótz. — Carolus Imperator et Rex instaurator Episcopatus Csanadiensis ope editi die 30. Maji 1731. Diplomatis, retento pro se et suis successoribus jure duos Canonicos nominandi, alios binos per Episcopum pro tempore existentem, nominandos decrevit. Augustissima Maria Theresia autem 1780 eidem Episcopatui Dominium Makó pro Dote addixit, et florenos bis mille e Cassa Camerali annue solvendos assignavit, id quoque disponendo, ut Episcopus occasione Visitationis Canonicae titulo itineralium sumptuum, ex eodem Camerali fundo Aureos 100 accipiat [1]). Idem Carolus III. Imperator et Rex dum Anno 1716 Capitulum Albense in Transilvania instauraret, et dotaret, reservata Praepositi et trium Canonicorum nominatione, 4ⁱ Canonici nominationem

---

[1]) Fejér Codicillus jurium ac lib. Reliq. et Eccl. Cath. pag. 421.

Episcopo indulsit, quem prout et serius per Episcopum Mártonfy duos, ac tardius adhuc alios fundatos, in simul septem Episcopus etiam de praesenti, nominandi jure gaudet. Qui idem Testamentum libere condit; et quod singulare est, Judaeis Transilvaniae Rabbinum praeficit. — Archi-Episcopus Zagrabiensis est Exc. Banalis Officii Reg. Locumtenens, nominatque Praepositum et Canonicos Collegiatae Ecclesiae Chasmensis. — Ex Episcopis Austriae: Episcopus Secoviensis, Gurkensis, Lavantensis, Labacensis, Brixensis et Tridentinus, titulum Principis gerunt. — Demum Episcopus jure Sepulturae in Cathedrali Ecclesia gaudet; in arbitrio tamen stat etiam alium Sepulturae locum sibi deligendi. Sed et in periculo vitae constituto, speciali cum Solemnitate Sacramenta eidem administrantur; dum quippe extremum diem suum adpropinquare cognoverit, absoluta peccatorum Confessione, indutus Rocheto et Stola, S. Viaticum sumit, quod illi defert sub baldachino prima Dignitas, Capitulo et toto Clero Cathedralis Ecclesiae, in habitu ecclesiastico et accensis candelis comitante. Catholicam fidem juxta praescriptam formam publice profitetur. Extremae Unctionis Sacramentum recipit; et postquam Spiritum Creatori reddidit, Canonici praesentes singuli Versiculum: A porta inferi, et cum Oratione: Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes etc. recitant; tum per familiares Episcopi, Corpus exanime aqua calida cum vino, et herbis odoriferis lavatur. Consuevit autem, nisi Episcopus contrarium disponat, Corpus aperiri, et Aromatibus condiri, quo casu intestina ejus adhuc ante Sepulturam solemnem, in Cathedrali, aut alia Ecclesia mox Sepulturae mandantur.

§. 29. De Obligationibus Episcoporum principalibus.

Episcopi principalis Obligatio est; a) *Oratio, et verbi Dei praedicatio.* Apostoli curis dividi nolebant, sed declararunt: Nos Orationi et ministerio Verbi instantes erimus [1]. Ideo plura particularia praesertim Concilia praescribunt certum tempus, quod Episcopus orationi et meditationi consecret; praecipue autem incruentum Missae Sacrificium frequentius, et cumprimis diebus Dominicis et Festis pro populo offerat, ac Divino Cultui publico intersit. b) *Munus Praedicationis*, quod tanti momenti reputarunt Apostoli, ut S. Paulus dixerit: „Non misit me Dominus baptisare, sed praedicare“ [2]. Praedicationem praeter copiosissimos Canones; Concilum Tridentinum pluribus locis inculcat, et praecipuum Munus Episcoporum esse statuit [3]. Sed et c) *Sacramentorum collatio*, et Cultus Divini celebratio ad obligationem Episcoporum pertinet. — Specialiter autem pauperum et miserabilium Personarum curam gerere [4], moestos consolari, debiles confortare, lapsos erigere, tenentur. S. Gregorius M. Marinianum Episcopum per litteras commonuit: lectionem et orationem sterilescere, nisi eleemosynis foecunditas aliqua eis accedat; alienas calamitates dolere eum debere ut suas, adeoque et levare; nisi humanitatem et viscera Misericordiae Episcopalis obtineret, vana eum deludi imagine et umbra Episcopatus [5]. Demum praetermissis aliis obligationibus, quas epistolae ad Timotheum et Titum, item Decreta Concilii Tridentini continent, ut Episcopi gravissimum Munus suum explere valeant, ad personalem residentiam obstringuntur: „Ad universae

---

[1]) Act. Apost. C. 5. — [2]) 1. Corinth. 1. v. 18. — [3]) Conc. Trid. Sess. 5. C. 2. de ref. Sess. 24. C. 4. de ref. Bened. XIV. Const. ddo. 7. Febr. 1742. inter Sel. Const. P. 1. pag. 55. — [4]) Dist. 87. C. 1. et 2. Dist. 82. C. 1. caus. 12. q. 2. C. 71. — [5]) L. 1. ep. 29.

Christianae Reipublicae Statum" ait Benedictus XIV. in Bulla de Residentia [1]), „ad Ecclesiasticarum legum custodiam, et fidelium Populorum salutem tam magni refert, singulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis Praepositos in ipsis Ecclesiis vel Dioecesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit aliud ullum reperire Ecclesiasticae Disciplinae Caput, quod aut Conciliaribus Canonibus, atque Decretis, aut Apostolicae Sedis Constitutionibus et Sanctionibus tam saepe, tamque impense inculcatum fuerit et comendatum. Concilium Tridentinum absentiae a Dioecesibus limites posuit, et quidem sub incursu peccati mortalis, et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos [2]). Interim tamen idem Concilium causas quoque expressit, ob quas absentia excusabilis, et ab imputatione libera fit. A personali quippe Residentia excusant causae per praecitatum Decretum recensitae; et quidem: a) *Christiana Charitas*, quorsum odiorum et litium compositio, ac Causae pauperum referuntur. b) *Urgens necessitas*, qualis est restauratio Valetudinis, persecutiones, capitales inimicitiae. c) *Obedientia debita*, uti est: comparitio ad Concilium. d) *Evidens Ecclesiae Utilitas*, uti: publicum Officium, legatio. Si aliqua ex his, Absentiae causa adsit, et Absentia annum non excedat, veniam Metropolita, aut in hujus defectu Senior Suffraganeus; dum vero ultra annum extenditur, Romanus Pontifex concedit; nisi causa absentiae notoria et publica, aut peremptoria foret. „Secus Absentiae Spatium, — sunt verba ejusdem Concilii — singulis annis sive continuum, sive interruptum, extra praedictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres Menses excedere, et haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat, et absque

---

[1]) Tertio nonas Septemb. 1746 edita; inter Sel. Const. P. 3. pag. 54.
[2]) Conc. Trid. Sess. 6. C. 1. de ref. et Sess. 23. C. 1. de ref.

ullo gregis detrimento, quod an ita sit, abscedentium Conscientiae relinquit." Monet tamen idem Concilium, ne in Adventu, Quadragesima, Festis Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes. et Corporis Christi ab Ecclesia Cathedrali absint, nisi Episcopalia Munia in sua Dioecesi eos alio vocent.

§. 30. De Episcopis Titularibus.

Hi sunt, qui Dioecesi de facto carent; alii autem consecrantur; alii vero pure nomen et titulum gerunt; utrique etiam *Episcopi in partibus infidelium* dicti; quorum origo inde repetitur, quod cum multae olim florentissimae Sedes Episcopales fuerint, quae nunc in potestate infidelium existunt; ad conservandam antiquae illarum dignitatis memoriam; tum ut admoveri possint Sacerdotes in Curia Romana, et extra hanc altioribus Muneribus, vel tamquam suffraganei Episcopalia expleant officia, quae Episcopus ob amplitudinem Dioecesis, aut aetatis, valetudinisque incommoda explere non potest; per Romanos Pontifices, in Austria autem erga supplicationem Dioecesanorum per Imperatorem et Regem Apostolicum, ad titulos illarum Ecclesiarum viri praeclarissimi nominantur, terminatoque sicut quoad alios Episcopos, quibus cura et regimen Dioecesis actu committitur, super vita, moribus, et aliis qualitatibus, ac meritis in Sede Apostolica examine et processu, consecrantur, simpliciter *Episcopi Consecrati* dicti. Hi quidem sunt veri Episcopi, et in Consecratione Episcopalem Characterem accipiunt; cum tamen impediantur ab aditu assignati sibi Episcopatus; jurisdictionem Episcopalem, velut territorio ad eam exercendam destituti, non habent; eapropter etiam in Bulla *Confirmationis* a personali Residentia dispensantur, nec Relationes praestare, neque limina Apostolorum visitare, obligati. Dum interim subin Episcopatum non impe-

ditum obtinent, a vinculo Episcopatus in Partibus, sua forma, quasi alio translati, absolvi consveverunt. Si *suffraganei* sunt, hoc enim nomine etiam in Canonibus compellantur; aut Vicarii Episcoporum, tunc jurisdictio eorum ultra concessionem Episcopi non se extendit. Suffraganei idmodi frequentes occurrunt in Germania, quibus Episcopi vices suas deferunt. Quodsi vero consecratus nec Suffraganeus, nec Vicarius Episcopi esset; citra facultatem Dioecesani nullam functionem Ordinis Episcopalis exercere, imo sub statutis poenis Clericos ordinare non audet [1]). Caeterum Thomassinus complura, eaque vetustissima titularium idmodi consecratorum Episcoporum adfert exempla, et ad Epiphanium provocando adstruit, Linum et Clementem Petri in Cathedra Romana successores ab hoc ita fuisse consecratos Episcopos, ut nulli Ecclesiae praeficerentur, sed Petro in regimine Ecclesiae operam praestiterint, ejusdem postmodum successores.

Ab his ut praemissum distincti sunt *Episcopi titulares,* qui Ecclesiae alicujus e Provinciis illis, quae olim ad Hungariam pertinebant, ast temporum calamitate, et bellorum vicissitudine avulsae sunt, titulum tenent, sine consecratione. Titulos hos sua Majestas Imperator et Rex Apostolicus confert; circa quorum tamen collationem repetitis vicibus in Curia Romana difficultas obmota fuit; Regiae interim collationis jus, Pázmánus, argumentis ex continuato usu, reali possessione, quae utraque in Conciliorum approbationibus, jure ac titulo fundationis, demum in pacto cum sede Apostolica fundamentum habent, potissimum desumptis, defendit [2]). Alioquin Episcopatuum horum donec Regna illa ad Hungariam realiter pertinebant, collationem, sedes Pontificia nuspiam controvertebat; jus proinde virtuale, ut illaesum maneat est

---

[1]) Conc. Trid. Sess. 14. c. 2. de ref. — [2]) Péterfy Conc. P. 1. pag. 77.

necesse. Titulares Episcopi Provinciarum avulsarum, in Hungaria eminente illo gaudebant jure, quod in Legislatione ad Tabulam Procerum Sessionem et votum habuerint. Speciali autem quapiam ecclesiastica potestate praediti non sunt, imo cum nominari soleant, nulla petita Pontificis confirmatione, sedes Pontificia eos ignorat, neque vero per Nunciaturam Viennensem nomine Episcopi decorantur. Tituli idmodi Ecclesiarum sunt: Belgradiensis et Semendriensis unitus, Tinniniensis, qui pro confirmatione proponi, et consecrari consveverunt; Tribunicensis; Vovadrensis; Pharensis; Dulmensis; Rosonensis; Pristinensis; Dulcinensis; Serbiensis; Bosonensis; Ansariensis; Bacensis; Noviensis; Drivestiensis; Cattariensis; Makariensis; Sardicensis; Scardonensis; Scopensis; Scuttariensis; Almisiensis; Corbaviensis; Corczolensis; Sibeniczensis; Stegnensis; Temnensis; Traguriensis et Vegliensis.

Nota. Praeter Episcopos Consecratos titulares, in antiquitate occurrunt etiam Chorepiscopi, hi probabili celebrium Canonistarum et historicorum sententia, erant Presbyteri Vicarii Foranei, per Episcopos ad exercendam certis ac definitis casibus jurisdictionem, constituti. — Caeterum per exceptionem contigerunt casus, quod Chorepiscopi ordinatione et charactere veri Episcopi fuerint, tales nempe, qui sub persecutionibus sede sua depulsi, aut vero ob crimen aliquod per legitimam auctoritatem a regimine Dioecesis amoti sunt. Ita Concilium Nicaenum, relate ad Episcopos Novatianos, qui in sinum Ecclesiae Catholicae revertebantur, disposuit: ut illos Episcopus loci, ad Chorepiscopi officium admittat; atque isti ex concessione Dioecesani Episcopi, Clericos etiam ordinare, caeteraque ordinis Episcopalis munia exercere poterant; cum tamen

alii Chorepiscopi, nisi minores ordines, inter quos etiam subdiaconatus referebatur, conferendi potestate gavisi sint. Subseque circa medium saeculi decimi, Chorepiscoporum officium, et nomen penitus exstinctum est. Vicarii foranei non quidem penitus exsoleverunt, rarissimi tamen sunt. Crisiensis Graeci ritus unitus Episcopus, cujus Dioecesis per Comitat. Crisiensem, et Zagrabiensem, Generalatum Varasdiensem, et Carolostadiensem, Dalmatiam, partem Carnioliae, Comit. Essekiensem, et Vojvodatum Serbicum in 20. Parochiis, cum animabus 15901 diffunditur, ob nimiam hanc extensionem, habet Essekini Vicarium Episcopalem foraneum. In Archi-Dioecesi Pragensi, cuilibet Districtui, non Vice-Archi-Diaconus, ut hic et alibi usus obtinet, sed Vicarius Foraneus praeest.

§. 31. De Coadjutoribus.

Coadjutoris nomine venit Episcopus Consecratus, qui Dioecesano Episcopo aetate, infirmitate, vel alia causa laboranti, ad vices ejus supplendas, socius assignatur. Origo Coadjutorum est antiqua; non enim justum videbatur, ut aetate, vel viribus fractus Episcopus, munere suo fungi non valens, ab officio removeatur, et ut Canon exprimit „Afflicto Afflictio addatur“, cum consensu itaque Cleri et Populi assignatus fuit Coadjutor [1]). Antiquissima, ex historia suppetunt exempla Coadjutorum. Celebri Narcisso anno 212. qui ob grande senium Ecclesiae Hierosolymitanae utiliter praeesse non poterat; Palestinae Episcopi, eodem annuente, Cleroque et Populo consentiente, adjunxerunt cum jure successionis post mortem, in Hierosolymitano Episcopatu, S. Alexan-

[1]) Cau. 7. q. 1. c. 1. 2. 3. 12.

drum in Cappadocia Episcopum, ad S. loca visitanda tunc temporis advenientem. Valerius Hipponensis Episcopus non minus adversa valetudine, quam senio confectus, accepit Coadjutorem cum jure successionis S. Augustinum; qui pariter adhuc vita comite Eraclium successorem suum designavit. „Sacrae igitur antiquitati“ loquitur Benedictus XIV. „probatae quoque noscuntur Coadjutoriae cum futura successione, quoties ea sit Praesulis conditio, ut administrationi et Gubernio Ecclesiae utiliter amplius praeesse non valeat; quoties designatus Coadjutor et meritis polleat, et rerum agendarum scientia, quoties denique in Coadjutore cooptando ne aliena jura laedantur, eorum exquiratur obtineaturque Consensus, quorum suffragiis Episcopi electio esset perficienda“ [1]). Concilium Tridentinum Coadjutorias cum futura successione, in quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis sufferendo, relate ad Cathedrales Ecclesias disponit; „quodsi quando Ecclesiae Cathedralis, aut Monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet Praelato dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a jure et decretis hujus S. Synodi in Episcopis et Praelatis requiruntur, aliae concessiones super his factae subreptitiae esse censeantur“ [2]). Hinc Coadjutor, debet qualitatibus a jure requisitis praeditus esse; tum eligitur vel nominatur per illum, ad quem secus jure communi, vel ex privilegio electio, aut nominatio Episcopi Dioecesis illius pertinet. Dein causae urgentis necessitatis, vel evidentis utilitatis, a SSmo Romano Pontifice cognoscuntur, ad cujus jura secus etiam Confirmatio spectat. Coadjutor ne duo videan-

[1]) De Synod. Dioec. l. 13. c. 10. n. 24. — [2]) Conc. Trid. Sess. 25. c. 7. de reform.

tur unius Ecclesiae sponsi, non ad nomen Ecclesiae, cujus Episcopum succolaturus est, sed ad nomen alicujus Ecclesiae in partibus infidelium consecratur, cujusve vinculo solvitur tunc, dum jure proprio administrandam Ecclesiam suscipit, in qua antehac Coadjutoris munere fungebatur. Coadjutores temporanei rariores sunt, quam perpetui, seu cum futura successione assumpti; priorum loco consecrati suffraganei Episcopi frequentius necessitati Dioecesis succurrunt.

Coadjutoris activitas metienda est ex Litteris Apostolicis, scopo item, et causa ob quam aliquis Coadjutor datus est. Ea munia, quae Episcopus ipsemet cum decore peragere potest, et vult; ad ea Coadjutor semet non ingerit; nequit tamen Episcopus functiones Episcopales praeterito Coadjutore alteri delegare, verum Coadjutor jure illa omnia exequitur, quae Episcopus exequi non valet, aut non vult. Dotatio Coadjutori e reditibus mensae Episcopalis assignatur. Coadjutor cum futura successione a morte Episcopi mox pleno jure succedit, neque casu in hoc jurisdictio Episcopalis in Capitulum devolvitur.

§. 32. Episcopi sunt Presbyteris Superiores.

Restat adhuc ut brevibus exponatur correlatio inter Episcopum qua superiorem, et Presbyterum, inferiorem seu subordinatum, intercedens. Primus erat Aërius Presbyter, aliquo tempore Arianorum Castra perfide secutus, dein vero Aërianorum sectae Pater, qui aequalitatem inter Episcopos et Presbyteros adstruxit: „unus enim est; inquiebat — ordo, et unus honor et una dignitas, imponit manus Episcopus, sed et Presbyter, lavacrum dat Episcopus, similiter et Presbyter.“ Doctrinam hanc de Episcoporum cum Presbyteris, sive quoad potestatem ordinis, sive quoad potestatem jurisdictionis omnimoda aequalitate, renovarunt: Viclefus, Calvinus et Valdenses; quorum

tamen argumenta partim e S. paginis, partim e Patribus desumpta, inspectis analogis locis, facile evanescunt. In S. paginis nomen Episcopi et Presbyteri permutatur quidem, ast id aureae simplicitati temporum, quae necessitatem non habuit omnibus terminis suos praestituendi limites, attribuendum venit. Qualem interim S. Paulus Episcopi et Presbyteri nomenclationi vim tribuerit, patet ex ejusdem ep. 1. ad Tim. c. 5, v. 19. ubi Timotheum instruens, dicit: „adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.“ Hoc loco Timotheus Episcopus, sistitur velut judex, et superior respectu Presbyteri; nomine cujus intelligit non seniorem, sed verum Presbyterum et Pastorem; cum ibidem v. 17. dicat de Presbyteris: Qui bene praesunt, qui laborant in doctrina et evangelio, eos duplici honore dignos esse. „Discipuli 72 per Christum assumpti sunt ad curandos infirmos, et pro suscipiendo evangelio corda fidelium praeparanda“ [1]. Apostolis autem, quorum successores sunt Episcopi, Christus commisit, ut praedicarent evangelium, solverent, et ligarent; Corpus Christi conficerent „hoc facite in meam commemorationem“, quam potestatem Discipuli nuspiam acceperunt, sed vocati erant, in adjutorium Apostolorum, et his subordinati fuerunt; quod ipsum communis S. Patrum consensus evincit; testimonia nonnullorum, paradigmatis instar isthic subnectuntur. Ita Clemens Romanus, qui primo saeculo floruit, ep. 1. ad Corinth. c. 40. habet: „summo sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt.“ S. Ignatius in epist. ad Smyrnenses ait: „Omnes Episcopum sequimini ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterum ut Apostolos, Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.“ Item: „Quid enim aliud est Episcopus, quam

[1]) Lucae c. 10. v. 1. et 9.

is, qui omnem principatum et potestatem ultra omnes obtinet; — — quid vero presbyterium aliud est, quam sacer coetus, Consiliarii et Assessores Episcopi; quid vero Diaconi, quam imitatores Angelicarum Virtutum" [1]). — Vix autem protulit suam de aequalitate doctrinam Aërius, teste S. Epiphanio et S. Augustino, ab universa Ecclesia ut haereticus habitus est. Ipse S. Hieronymus, ad quem perperam intellectum libenter provocant Adversarii, Episcopos anteponit Presbyteris, non saltem dum dicit: „Quid facit Episcopus, quod non facit Presbyter excepta Ordinatione?" Sed Presbyterum Nepotianum diserte monet: „Esto subjectus Pontifici tuo, et quasi animae parentem suscipe." [2]). Qui idem ad Augustinum qua Episcopum scribit: „Vale mi Amice Charissime, aetate fili, dignitate parens" [3]). Ille certe, — Hieronymus quippe, — dignitatis et potestatis praestantiam in Episcopis agnoscit, qui Episcopos vocat successores Apostolorum: „Apud nos inquit Apostolorum locum Episcopi tenent" [4]). Qui et caeteros secundi Ordinis sacerdotes loco 70 Discipulorum successisse dicit: epist. 78., ubi agens de mansione sexta Israelitarum in deserto, exponit, nomine 12 fontium intelligi, 12 Apostolos, et per 70 palmas, 70 Discipulos; „nec dubium, ait ille, quin de duodecim Apostolis sermo sit; de quorum fontibus derivatae aquae totius mundi siccitatem rigant. Juxta has aquas septuaginta creverunt palmae, quos et ipsos *secundi Ordinis sacerdotes* intelligimus praeceptores." In dialogo vero adversum Luciferianos dicit: „Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quaedam et ab omnibus detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur Schismata, quot sacerdotes." Hic S. Hieronymus integram jurisdictionis potestatem reponit in Episcopo ita, ut secus unitatem in periculum adducendam edixerit. Neque proinde

[1]) Epist. ad Trallianos c. 7. — [2]) Epist. 52. — [3]) Epist. 105. — [4]) Epist. ad Marcellam 42.

clarissimis his Hieronymi enunciationibus praejudicare possunt ea, quae ex ejusdem scriptis in corpus juris Canonici signanter Dist. 93. c. 24. et Dist. 95. c. 5. relata habentur; haec enim, et in specie citatum Canonem 24um vel inspicienti patet, graviores illas enunciationes contra Diaconos directas haberi, quos qua distributores redituum Ecclesiasticorum nonnulli Episcopi, cum postpositione Presbyterorum speciali favore prosequebantur. Diaconos itaque ambitione tumentes perstringit Hieronymus in epist. ad Evagrium Episcopum praevio Canoni inserta; prout id totus ejusdem epistolae contextus clarum facit, et e quo ipso pro superioritate Episcoporum argumentum desumi potest. Dum enim in fine dicit, quod ex Diaconis Presbyteri assumantur, non e Presbyteris Diaconi fiant; eo ipso innuit Presbyterum Diacono majorem esse. Quod motivum pro Episcoporum praestantia, Hieronymo viro acutissimi ingenii, in mentem venisse dubitari non potest. De sensu Canonis hujus ab Hieronymo desumpti, potissimum e locis Parallelis, atque depresso temporibus illis Presbyterorum situ egregie disserit, Carolus Sebastianus Berardus Comment. in Jus Ecclesiast. universum. t. 1. pag. 94. et seqq.

In reliquo Catholicae Ecclesiae Dogma est, Episcopos esse superiores Presbyteris tam potestate Ordinis, quam et jurisdictionis. Hanc veritatem contra Calvinianos et omnes sectarios definivit Concilium Tridentinum, statuendo: „Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, — — anathema sit" [1]). Ob hanc praecedentiam Episcopi jam olim *sacerdotes magni, vel primi Ordinis;* Episcopatus: *Plenitudo potestatis;* Presbyteri vero sacerdotes secundi Ordinis dicebantur. Caeterum et Episcopi et Presbyteri vocati sunt ad laborandum in verbo et doctrina, ad prae-

[1]) Sess. 23. de sacram. ord. can. 6.

dicandum evangelium, et dilatandum regnum Christi; Presbyteri tamen in subordinatione ad Episcopum, ita ut Episcopus in quo plenitudo potestatis residet, primum obtineat locum, Presbyteri autem ejus cooperatores et collaborantes sint.

CAPUT VI.

De Capitulis.

§. 33. Capitulorum Origo.

Inter scriptores historiae Ecclesiasticae et Canonistas, reperiuntur, qui originem Capitulorum ad vetustiora Ecclesiae tempora referunt, Capitulaque identificant Presbyterio, cujus consilium et sententiam Episcopus in gravioris momenti negotiis exquirebat, existimantes, Presbyterium in quavis Dioecesi distinctum a residuo Clero corpus constituisse. Id quidem innegabile est, eos Clericos, qui in maximis urbibus Cathedrali Ecclesiae inscripti et quasi incardinati erant, quive, uti Romae in ipsa urbe, ultra quam Dioecesis Romana semet vix extendit [1]), numerosi existebant, et ex causis pluribus alibi recensitis, auctoritate etiam valuerunt, in partem sollicitudinis Episcopalis vocatos fuisse; interim S. Hieronymus, nulla facta distinctione inter Clericos Cathedrae et Rurales, in genere dicit: „habemus in Ecclesia senatum nostrum coetum Presbyterorum.“ S. Cyprianus Litteras illas, quibus obtestatur, se sine consilio Cleri et consensu populi nihil agere velle, cunctis Dioecesis suae Presbyteris et Diaconis inscripsit. Alioquin autem primaevae Ecclesiae Cleri et Populi innocentia Morum, nec ad novas leges condendas, nec vero ad lites — utique paucissimas — dirimendas, necessitatem imposuit, ut Cleri Conventus, qui secus etiam annue bis periodice asservari consue-

[1]) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. C. 3. n. 2.

vit, extraordinarie cogatur. Proprie itaque omnes Dioecesani Clerici, Senatum Episcopi constituebant. Hujus sententiae est doctissimus Pontifex Benedictus XIV. qui in opere de Syn. Dioec. l. 13. c. 1. n. 5. hunc in modum loquitur: „Verum, cum postea in qualibet Dioecesi nimium auctus fuerit Sacerdotum numerus, quos proinde difficile foret Episcopo, quoties sibi opus esset, in unum convocare, atque in consilium adhibere, inde factum est, ut soli Canonici Ecclesiae Cathedralis, quos jam fere ubique recepta Crodogangi institutio, seu communis vitae ratio, arctiori vinculo, veluti membra cum Capite, Episcopo devinciebat, fuerint in ejusdem Consiliarios adsciti.“ — Sed et Institutum vitae communis Clericorum, per S. Augustinum, et Eusebium Vercellensem Episcopum ex monacho assumptum, paucos imitatores, ac scopum unice sanctioris ac perfectioris disciplinae habuit. De hoc Instituti genere Fleuri ex Ambrosio et Augustino loquitur, „Ex quo tempore pax Ecclesiae reddita est, plures S. Episcopi, veluti Eusebius Vercellensis, aliique in communione vixere cum Clero suo. Omnium eminentissimum exemplum est Augustini, qui Clerircos suos ad Statum perfectae paupertatis reduxit, sublata omni proprietate, ipsemet veluti minimus inter eos versatus“ [1]). Ab his proinde Origo Capitulorum pariter derivari nequit; et eadem ad sequiora tempora relegeri debet. — A saeculo quippe *octavo* Institutum communis vitae determinatam formam et determinatum scopum accepit per S. Crodogangum, antehac Ordinis S. Benedicti Religiosum, dein Episcopum Metensem, e Sorore Pipini filium, qui anno 760, Clericos Cathedralis Ecclesiae suae sub suo Praesidio in unum collegit, iisdem regulam e Capitulis 34 consistentem, et potissimum e Canonibus Conciliorum, — unde etiam *Canonici* dicti, — atque re-

[1]) Instit. Jur. Eccl. edit. 1. pag. 134.

gula S. Benedicti desumptam, praescripsit, communem habitationem, communem mensam, communes in choro preces, et universum diurnum ac nocturnum ordinem inducendo. In horis autem Canonicis ad primam, ante nomina Martyrum, legebatur quotidie unum Capitulum, unde *Capitulorum* nomen invaluit. Institutum Crodogangi celeriter est propagatum, et non solum apud Clerum Civitatis Cathedrae Episcopalis sub Praesidio Episcopi, verum etiam penes alias majores Ecclesias sub directione Praepositi, jam temporibus Eugenii PP. II. 825. communis vita inducta fuit [1]). Coadunatio Clericorum penes Ecclesias non Cathedrales, *Collegium* dicebatur, unde *Capitula Ecclesiae Collegiatae* et Canonici Collegiales, alia autem a Cathedrali Ecclesia, *Capitula Ecclesiae Cathedralis* et Canonici Cathedrales nomen acceperunt. Institutum hocce universaliter adoptatum, in magna existimatione habitum, per Principes, aliosque majoris dignitatis viros, ac caeteros fideles, Bonis etiam immobilibus locupletatum, in originaria sua forma et destinatione non diu perstitit; jam enim nonnulla Capitula saeculo *nono*, plura postmodum saeculo *decimo*, a communi vita recesserunt, et hoc ipso etiam *Bona Mensae Episcopalis* a *Bonis Mensae Capitularis* discriminata, ac subseque plane in portiones individuales, *Praebendas* dictas, divisa sunt; Canonicis deinceps separatas domos incolentibus, ad explendum autem chori servitium, *Vicarios* loco sui constituentibus. Determinatis taliter singulorum annuis reditibus, numerus etiam Canonicorum stabiliri debebat, ultra quem nullus recipiebatur; unde *Capitula Clausa* dicebantur, vel vero ut aliis placet, quod certis duntaxat familiis majoris nobilitatis, sive ex mente fundatorum, sive ex usu, jus exclusivum ad Praebendas habentibus, aperta fuerint, caeteris vero *Clausa*. Canonici Prae-

---

[1]) Can. 12. q. 1. c. 3.

bendas possidentes *Domini*, aut etiam ob ampliores reditus *in floribus*, vel *Canonici Ordinarii*, aut Capitulares vocabantur. Alii, qui in spem vacantiae, facta eis in choro, capitulo et aliis potestate, distributiones quotidianas in Ecclesia assignatas habuerunt, in diminutivo *Domicelli*, *Domicellares*, item *in herbis* dicebantur [1]). Demum erant *Canonici Residentes*, ad residendum penes Ecclesiam Cathedralem adstricti; et *non Residentes*, qui ex causis a residentia dispensati, aut duplici Beneficio provisi alteri Ecclesiae ministrarunt. Interim e Praesulibus quipiam, uti S. Ivo Carnotensis Episcopus, et S. Petrus Damianus, vitam communem instaurare conabantur, asseclas suos *Votis Regularibus* adstringendo; unde duplex iterum Cathegoria enata est, *Canonicorum quippe Regularium*; qui in communi viventes, vota religiosa nuncuparunt, et *Canonicorum Saecularium*, separatim, quin vota nuncupassent, aut secundum alicujus Ordinis Religiosi regulas viverent, degentium. Collegiatae Ecclesiae aliquae dicuntur *insignes*, eae nempe, quae in majoribus civitatibus existunt, et quibusdam Privilegiis ornatae habentur, aut quae numero et dignitate Commembrorum, vel admissis ad chorum Vicariis, distinguebantur. Et hae distinctiones, etiam per Canones adoptatae, in Ecclesia jam a multis saeculis usuveniunt.

§. 34. Capitula moderna, et Canonicorum qualitates.

Capituli nomine venit, collectio virorum Ecclesiasticorum, qui Ecclesiae Cathedrali aut Collegiatae adscripti, penes eandem causa officii Beneficia possident, et in casibus lege determinatis Senatum Episcopi constituunt. — Commembra Capitulorum, vocantur *Capitulares*, aut *Canonici*. Capitula dividuntur

---

[1]) C. 9. et 19. de Praeb.

in *Cathedralia* et *Collegiata*, unde *Canonici Cathedrales* aut *Collegiati* dicti; his autem utrisque praevalent *Canonici Ecclesiae Metropolitanae.* Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus inscripti Canonici, sunt vel *Actuales* et *Residentes*, qui Beneficium Canonicale cum obligatione explendi officium possident; aut *Titulares*, *Honorarii, non Residentes* quibus a participatione proventus capitularis exclusis, unice honor et honoris insignia, secus Canonicis propria, competunt. — In Imperio Austriaco penes quamvis Metropolitanam et Cathedralem Ecclesiam Capitulum, et Posonii, Tyrnaviae, Sopronii, Chasmae, item in A.Dioecesi Pragensi et Olomucensi, etiam Collegiata Capitula existunt; quae posteriora in Hungaria copiosa fuerunt, nunc autem nisi Praeposituræ, quarum titulus Capitulis est adnexus, memoriam eorum conservant. Idmodi Collegiatorum Capitulorum Praepositi erant: Praepositus S. Georgii de Viridi Campo Strig. qui est etiam penes Met. Ecc. Strigoniensem Archi-Diaconus Cathedralis, habuitque Canonicos 8; Praepositus S. Stephani Protomartyris de Castro Strig., habuit Canonicos 6; Praepositus S. Thomae Martyris de Promontorio Strig. habuit Canonicos 6. [1]). In Capitulo Jaurinensi Praepositus SS. Salvatoris de Pápócz pariter erat Collegiatus. Non secus et in Capitulo Quinqueecclesiensi Praepositus S. Joannis Bapt. de Castro Quinqueecclesiensi, fuit Praepositus Capituli Collegiati ejusdem tituli. — Sicut omnium in Dioecesi Beneficiorum ita et Canonicatus, *jure Communi* Collator est Episcopus; potest tamen alter extraordinarie, jure Praesentationis, aut Nominationis gaudere. In Monarchia Austriaca, Imperator et Rex Apostolicus Canonicos nominat, facultate ternos e recurrentibus Candidandi, Episcopis permissa. Excipiuntur casus jam supra de Episcoporum juribus honorificis attacti; item

[1]) Péterfy, Conc. P. 2. pag. 267.

Archi-Dux in Metropolitano Capitulo Viennensi 4^{or} et Cathedrali Lincensi 4^{or}; tum Universitas Vindobonensis Viennae pariter 4^{or} et Lincii duos Canonicos praesentat, ita tamen ut duo stalla per Professores minimum 14. annis publicae Institutioni insigniter operam navantes, compleantur. Familia Principum Lichtenstein aeque in Metropolitano Capitulo Viennensi Praesentationis suae 4^{or} stalla habet. Sed et Cives Neostadienses, in translato ad S. Hippolytum Capitulo duos Canonicos praesentandi jus exercent [2]). Omnes interim Nominati aut Praesentati Institutionem Canonicam, sine qua non potest obtineri Beneficium Ecclesiasticum, ab Ordinario recipere obligantur. In Germania Nominatio Canonicorum ope Concordatorum est regulata; vigore quorum Sedes Apostolica, certis mensibus enatas vacantias, confert; qui menses, *Menses Papales* dicuntur.

Ad legitime consequendum Canonicatum, *jure Communi* requiritur a) *Aetas* adminus annorum 22um [2]), b) *Ordo*, ut Nominatus minimum sit Sub-Diaconus; et si Beneficium Canonicale Officium idmodi adnexum habet, quod Sacerdotium praerequirit, eotum intra annum Presbyteratum suscipiat, est necesse [3]). „ *Quicunque autem in Cathedrali vel Collegiata, Saeculari vel Regulari Ecclesia divinis mancipatus Officiis, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit; vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat etiamsi hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum*“ [4]). c) *Scientia et experientia*; alioquin cum Canonici ad Senatum Episcopi pertineant, utraque hac qualitate pollere debent. Hinc Concilium Tridentinum disponit, ut potiores in Cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis Insignibus sint ex Magistris vel Doctoribus aut etiam Licenciatis in Theologia, vel Jure Canonico; ita ut saltem dimidia pars

[1]) Oesterreichisches Kirchenrecht, von Gustermann I. Band pag. 73. — [2]) C. Trid. Sess. 24. C. 12. de Ref. — [3]) Clem. C. 2. de aet. et qualit. praef. — [4]) C. Trid. Sess. 22. C. 4. de Ref.

his gradibus ornetur [1]. d) *Morum gravitas;* quae maxime requirit, ut nulla censura aut irregularitate irretitus; nullave infamia notatus sit. Quam in rem Concilium Tridentinum mox memorato loco disponit: „ut cum dignitates in Ecclesiis, *praesertim Cathedralibus*, ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam Disciplinam fuerint institutae, qui eas obtinerent, pietate praecellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opere et officio juvarent; merito qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint." Praeterea in Austria Altissima Ordinatio existit, desiderio etiam celebratae Strigonii et Viennae Conferentiae Episcopalis conformis, vigore cujus ad consequendum Canonicale stallum, decem annorum praestita Ecclesiastica servitia requiruntur.

§. 35. De Juribus Capitulorum.

Capitula in Hierarchia locum occupant, et nomine hoc determinatis Praerogativis ornata sunt. Praeterea juxta leges Ecclesiasticas et Civiles *Universitatem* seu *legale Corpus* juribus specialibus instructum, et juridica Collegia, ab Episcopis distincta, constituunt; in communi proinde exercent jura, iisdem qua Universitati et speciali Corpori competentia. Capitulorum itaque jura duplicem considerationem subeunt, atque ad duas distinctas Cathegorias referri possunt; alia quippe sunt jura ex *correlatione ad Dioecesim* iisdem competentia; alia vero sic dicta *Collegialia*. Respectu Regiminis Dioecesani, Capitulum gaudet juribus *Sede Episcopali plena; Sede vacante;* et *Sede impedita.*

a) *Jura Capituli Sede plena* ad sequentia redeunt.

[1]) Sess. 24. C. 12. de Ref.

Jure communi Episcopus cum capitulo unum Corpus efficit, ita quod ille Caput sit, et hi membra [1]. Capitula repraesentant Dioecesim [2]; ac Ecclesiae Senatum constituunt [3], cujus juris participes redduntur, tam penes Jurisdictionem Administrativam seu Inspectoriam, aut Voluntariam; quam et penes Jurisdictionem Contentiosam. S. Canones recensent casus plures, in quibus Capituli *consensus* requiritur ita, ut eodem neglecto, aut in defectu illius, actus firmitate juris careat, et invigorosus sit. In aliis autem Casibus tenetur Episcopus Consilium Capituli exquirere, quin tamen obligetur illud sequi. Esto quidem Dr. Adamus Josephus Onymus, Canonicus Herbipolitanus, in suo opusculo „Presbyterium ejusque partes in regimine Ecclesiae" pag. 54. et seqq. provocative etiam ad Canonistam et Professorem Taurinensem Carolum Sebastianum Berardum, omne discrimen inter Consensum et Consilium tollere, datumque Consilium respectu Episcopi vi obligandi pollere, et Capitula in omnibus etiam Consilii casibus indiscriminatim *decisivum*, non vero *consultativum* votum habere contendat; cum interim certum, evictumque sit, Episcopos respectu Dioecesis suae plenitudine potestatis praeditos, et non pure Praesides dirigentes esse; assertum praecitati Doctoris, SS. Canonibus, ac his consentaneae praxi Ecclesiae adversari, prima fronte patet. Adducta ad assertum evincendum Conc. Trid. Sess. 25. c. 6. de Ref. verba illa: „qui si aliquid (nempe Episcopi) Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant;" opinionem Doctoris Onymi haud conficiunt; nam his longe alium sensum inesse, ex eodem capite patet, ubi diserte disponitur:

[1]) C. 4. de his quae fiunt a Prael. — [2]) C. 19. de Verb. Sign. — [3]) C. Trid. Sess. 24. C. 12. de Ref.

ut Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; eisque sit praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. Imo a Concilii mente longe abfuisse, ut potestatem et auctoritatem Episcoporum restringat, Capitulisque in omnibus votum decisivum adserat, mox evincetur. Ut adeo, etsi Ecclesiae dispositio sit, ut Episcopi Consilio Capituli utantur, praecipuam tamen auctoritatem penes Episcopum esse vult ita, ut ipse audito et expenso idmodi Consilio, quod creditae sibi Ecclesiae magis expediens judicaverit, decernat. „Neque vero, — ut Benedictus XIV. loquitur — frustraneum erit reputandum Canonicorum Consilium; etsi enim Episcopus non teneatur illud sequi, Consulentium tamen rationibus instruitur, atque edocetur, ne inconsiderate et praecipitanter agat“ [1]). Caeterum, „Sicuti Cardinales, — prosequitur idem Pontifex ibidem numero 7° — quia sunt Assessores, Collaterales et Coadjutores Papae, uti eos vocat S. Bernardus lib. 4. de consid. ad Eugenium, ideo cum a Papa in Consilium adhibentur, tenentur, quid coram Deo sententiant, ingenue aperire; — — ita Cathedralium Ecclesiarum Canonici, ab Episcopo requisiti, debent mentem suam ea, qua utique decet, modestia, sed pari animi sinceritate manifestare, etiamsi de rebus consulantur, in quibus sciunt liberum esse Episcopo ab eorundem Canonicorum Consilio deviare.“ Finaliter quantum ad necessitatem exquirendi Consensus et Consilii, a locorum consvetudine multum pendere, ex ipsis Sacris Legibus, signanter C. 6. de his quae fiunt a Prael. et C. 3. de Consvet. in 6° colligitur. Numerus casuum, qui lege exprimuntur, per specialia statuta augeri potest, quae si ubi praeexistunt, utique observari debent [2]).

Itaque generatim Capituli Metropolitani vel Cathedralis *consensus* in iis dumtaxat objectis requiritur,

---

[1]) De Syn. Dioec. l. 13. C. 1. n. 6. — [2]) C. 6. de his quae fiunt a Prael.

quae jure determinata sunt; quippe: 1° Si de Bonis ad Ecclesiam et Episcopatum pertinentibus vendendis, donandis, cambiandis, pignorandis, aut inonerandis agitur [1]); „nam sine consensu Capituli irrita est Episcoporum venditio et commutatio rei Ecclesiasticae.“ Nisi factam temporalem alienationem Capitulum postmodum ratam habeat [2]). 2° In unione, divisione, suppressione Beneficiorum; et quidem Ecclesias parochiales, vel earum reditus, sine *consensu* Patroni et *Capituli* nec Monachis addicere possunt: salva constitutione Canonica, de concedenda piis locis quinquagesima portione [3]). In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis insignibus ubi frequentes, adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum *consensu Capituli*, vel aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia iis unire; vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum Patronorum consensu . . . eas ad pauciorem numerum reducere,“ decernit Conc. Trid. [4]). 3° In conferendis Ecclesiasticis Beneficiis ad Episcopi et Capituli communem Patronatum pertinentibus [5]). 4° In omnibus quae ipsum Capitulum contingere dignoscuntur, eidemque emolumentum vel praejudicium adferre pararent. Non secus et ubi de juribus et obligationibus totius Dioecesis agitur [6]). 5° „Si Episcopus inconsulto Capitulo novas Constitutiones ediderit, atque in Synodo promulgaverit, illae profecto, utpote deficientes a norma a Jure praescripta firmitate carebunt;“ dicit Benedictus XIV. de Syn. Dioec. l. 13. C. 1. n. 16. — In omnibus autem casibus, ubi Capituli Consensus requiritur, Capitulum praescripta modalitate, convocari, et

---

[1]) Ib. C. 1. 7. 8; C. 2. de Donat. Cau. 12. q. 2. C. 52. — [2]) C. 3. de his quae fiunt. — [3]) Ib. C. 8. et 9. — [4]) Sess. 24. C. 15. de Ref. — [5]) C. 6. de his quae fiunt. — [6]) Ib. C. 10. C. 33. de Praeb. in 6° C. 4. de fidejuss.

meritum atque decisum in protocollum redigi debet [1]). Praeterea necessarium est, ut vota sint respectu praesentium absolute majora [2]); dein saniora, seu solidioribus rationibus innixa [3]); in dubio tamen vota majora, saniora etiam praesumuntur. Si instrumentum conficitur, Capituli quoque subscriptio et sigillum adesse debet. Porro

E dispositione Canonum, signanter Concilii Tridentini *Consilium Capituli* exquiritur: 1° In instituendis et destituendis Dignitariis [4]). 2° Adminus duorum Capitularium, arbitrio Episcopi deligendorum, in permutatione fructuum ad Hospitalia pertinentium, in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit [5]). 3° In erigendis Seminariis Cleri Junioris [6]). 4° Promulgandis Indulgentiis et colligendis oblatis [7]). 5° In excessibus Capitularium corrigendis [8]). Unde jam vel ex his Concilii Tridentini citationibus, earumque contextu clarum est, per Synodum hanc, *Consensum* et *Consilium* rite fuisse ab invicem discriminata.— In reliquo autem Capitula in respectu Ecclesiastico, sunt Episcopis subordinata; imo Episcopus Canonicas, etiam in Capitulis exemptis visitationes praesuscipere, et abusus, aut defectus inventos, praescripta forma, auctoritate sua corrigere potest.

b) *Jura Capituli Sede vacante.*

Sedes Archi- vel Episcopalis vacat: Episcopi morte naturali interveniente; translatione, item renunciatione, depositione vel degradatione, legitime instituta et in effectum deducta; his in casibus Sedes Episcopalis *de jure et facto* vacat atque simpliciter *Sedes vacans* dicitur. Sed potest casus emergere ut Archi- vel Episcopalis Sedes, non quidem de jure vacet; legitimus tamen ejusdem Possessor, ab executione officii sui violente impediatur; tunc est *Sedens vacans de facto*,

[1]) Conc. Trid. sess. 25. C. 6. de Ref. — [2]) C. 3. et ult. de his quae fiunt. — [3]) Ib. C. 1. — [4]) C. 4. ibid. — [5]) Conc. Trid. sess. 25. C. 8. de Ref. — [6]) Sess. 23. C. 1. 8. de Ref. — [7]) Sess. 21. C. 9. de Ref. — [8]) Sess. 25. C. 6. de Ref.

aut *secundum quid vacans*, vel vulgari sermone, *Sedes impedita*. — Primis Ecclesiae Catholicae temporibus, *Sede Episcopali vacante*, curam Dioecesis gessit in regula vicinus Episcopus, *intercessor*, *interventor*, aut recepto nomine *Visitator* dictus; „qui in locum alterius Episcopi demortui, vel propter crimen a communione suspensi, aut remoti, a Metropolitano, vel Summo Pontifice mittebatur, ad obeunda in ea Dioecesi Episcopalia munera, donec alius Episcopus ordinaretur, cujus electioni intererat.“ — A Saeculo 12°, Sede vacante regimen Dioecesanum, totaque Episcopi jurisdictio, transit ad Capitulum Cathedralis Ecclesiae [1]); et viduatae Ecclesiae administrationem, Capitula Metropolitana et Cathedralia, jure quidem ordinario, seu *ex officio*, interim provisorie duntaxat suscipiunt: non enim Capitulum, sed Episcopus vocatus est ad regendam Ecclesiam Dei [2]). — Reddita itaque Archi- vel Episcopali Sede vacante, respectivum Capitulum administrationem Dioecesis in Spiritualibus *in solidum* assumit, ac *Episcopalis jurisdictionis* lege determinata jura, in quantum necessitas secum fert, et bonum Dioecesis exposcit, exercet. Potest itaque: 1° Sacerdotes examini subjicere et ad audiendas fidelium Confessiones adprobare. 2° Praesentas Patronorum acceptare, et praesentatos vel nominatos Canonice instituere; imo talibus, si necdum Ordines suscepissent, utpote *Beneficio arctatis*, etiam intra annum a die obitus dimissorias seu Litteras Reverentiales, ad suscipiendos ab alio Episcopo Ordines, concedere [3]). 3° Liberae Collationis Ordinarii prout, et communis cum Episcopo Patronatus Beneficia conferre, aut respective ad ea, idonea Individua praesentare [4]). 4° Resignationes Beneficiorum acceptare, et Cambia admittere. 5° Electionem Regularium superiorum confirmare.

[1]) C. 11. et 14. de major. et obed. C. 3. et 4. de suppl. neg. Prael. in 6°. — [2]) C. 2. ne sede vacan. — [3]) C. 1. de instit. in 6°. — [4]) C. un. §. 1. ne Sede vacan. in 6°.

6° Mandata ad Dioecesim dimittere. 7° Judiciariam potestatem, etiam coërcitivam exercere, ac juxta demeritum poenis et censuris afficere. Tum processus super fama virtutum et miraculorum Servorum Dei conficere. 8° In Fundationes et pia Instituta superinspectionem exercere, ac Rationes exigere. 9° In casibus reservatis ad absolvendum in Tribunali Poenitentiae facultatem concedere. 10° Etiam in casibus sedi Apostolicae reservatis, juxta concedi solitas Facultates dispensare. 11° Episcopis et Abbatibus in Dioecesi Pontificalia exercendi facultatem dare. 12° Beneficiorum cum jure Patronatus erectioni, consentire. 13° Dioecesim visitare. 14° Synodum Dioecesanam indicere; Synodi enim convocatio eminenter ad potestatem jurisdictionis, in qua Capitulum succedit, pertinet. 15° Clericorum ultimas voluntates adprobare, commutare, et ut executioni mandentur curare. 16° Adolescentes in numerum Cleri Junioris cooptare. 17° Urgente necessitatis casu, cambia bonorum, aut abalienationes Dioecesani Cleri, vel inferiorum Praelatorum adprobare. 18° Quod praecipuum est, *jure communi,* intra trimestre, a die vacantiae computatum, juxta praescriptum Canonum ad eligendum novum Episcopum procedere; hoc jure interim in ditionibus Austriacis, de praesenti unice Metropolitana Capitula Olomucense et Salisburgense gaudent. — Capitula Metropolitana, quae caeteris praevalere supra adtactum est, Archi-Episcopo etiam in jurisdictione Archi-Episcopali, exceptis specialibus praerogativis, exceptis item iis, quae directe Personis Archi-Episcoporum reservata sunt, uti convocatio Synodi Provincialis, succedunt [1]).

E contra non possunt 1° *Jura Ordinis Episcopalis* exercere, et *indulta Apostolica* — signanter Indulgentias, nec 40ª dierum elargiri [2]). Capitulum praete-

[1]) Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref. — [2]) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. c. 9. n. 7.

rea non succedit in jurisdictione delegata; nisi delegatio secus jure ordinario Episcopo competat, ubi passim clausula comparet, — *etiam qua sedis Apostolicae delegato.* 2° Neque durante vacantia quidpiam innovare; unde illud axioma: *sede vacante nihil est innovandum.* 3° Magis adhuc vetatur imminutio, et mutatio in detrimentum jurium Episcopalium [1]). 4° Capitulum non potest de juribus Episcopi transigere, nisi urgente necessitate [2]). 5° Nec uniones aut suppressiones firmitatem juris sine Episcopo habent [3]). 6° Relate ad ordinationes idem Concilium disponit: „Non liceat *Capitulis Ecclesiarum, sede vacante infra annum a die vacationis* ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, — — alicui qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit concedere: si secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto; et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali, praesertim in criminalibus gaudeant: in majoribus autem ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Praelati, sint ipso jure suspensi“ [4]). 7° Beneficia spectantia ad collationem Praelati, non possunt conferri per Capitulum sede vacante [5]). In Hungaria interim Administratio Bonorum Episcopalium oblato vacantiae casu praesentat, institutione ad Ordinarium pertinente.

Respectu *Administrationis temporalium,* jure Communi Capitulum habet jus et huic correlatam obligationem, Bona et aedificia ad Episcopatum pertinentia in sua integritate conservandi, reditus vel in necessitates Ecclesiae impendendi, aut futuris successoribus fideliter reservandi [6]). Alienatio unice quoad res non servando servabiles locum obtinet; quas tamen Capi-

[1]) C. 1. ne sede vac. et ibidem c. ult. — [2]) Cau. 12. q. 9. c. 41. et 42. — [3]) Conc. Trid. Sess. 24. c. 15. de Ref. — [4]) Sess. 7. c. 10. de Ref. et Sess. 23. c. 10. de Ref. — [5]) C. 2. ne sede vac. — [6]) Cau. 12. q. 2. c. 38; c. 4. de elect. in 6°; Clem. c. 7. de elect.

tulo in proprium emolumentum convertere non licet [1]). Sed nec litem super rebus et juribus Ecclesiae Capitulum sede vacante inchoare, nec continuare potest [2]), nisi summa id exigat necessitas. Interim ubi Bona et jura Possessionaria Episcoporum juri Regaliae sunt subjecta, Capitulum eminus duntaxat curam Bonorum gerit ad colligendos tamen Proventus Oeconomum in sensu Tridentini non constituit. — In Hungaria, tenore Conventionis sic dictae Kollonichianae, inter Clerum et Cameram Caesaream Regio-Aulicam initae, ac Cardinali Kollonich d[to]. 15[ae] Junii 1703. significatae, — interveniente casu mortis, immediate a duobus Capitularibus et uno officiali Cameratico in loco existente, omnia bona mobilia, et litteralia Documenta loco tuto reponenda, et antedictorum tribus sigillis obsignanda, disponuntur. Dein Inventarium conficitur, cum adnexa taxatione, seu aestimatione rerum singularum justa et aequa; proceditur ad executionem testamenti, aut in hujus defectu, divisio in tres partes instituitur; una pars cedit in emolumentum Ecclesiae, id est in usum erigendi vel augendi Clericorum Seminarii, aut Ecclesiarum meliorationem, ac Parochiarum restaurationem; secunda pars Fisco Regio, Hungariae Praesidiis et Fortalitiis vel conservandis, vel instaurandis impendenda; de tertia, pro arbitrio suo Praelatus disponere potest, sive in pia legata, sive pro cognatis. — Sed quod praesentem materiam propius adtinet, decernitur: „Ut Bonorum Ecclesiasticorum, seu ad fundationem Ecclesiasticam spectantium administratio sit penes, — juxta benignissimam mentem suae Mttis Caesareo-Regiae, anno 1675. die 29[a] Decembris explanatam, — nempe Ecclesiasticum unum, et Fiscalem alterum; illum — Capitulum, aut respective — defuncti Ordinarius, hunc Camera constituat, qui mutua potestate administrabunt omnia, et eo maxime reflectent, ne Bona

[1]) C. 40. et 42. de elect. in 6º. — [2]) C. ult. ne sede vac.

desolentur, aut eorum proventus imminuatur. — — Proventus et fructus omnes durante hac Beneficii vacantis administratione collecti, aut pro hoc tempore colligendi usque ad Installationem successoris (si Beneficium ultra quadrantem anni vacare contingat) bifarie dividantur, una parte Fisco, altera Ecclesiae remanente.“ — Quapropter Capitulum obitu Episcopi interveniente, de hoc, proximum Caesareo-Regium Financialem officialem edocet, praeterea Caesareo-Regio Consilio, aut respectivae Sectioni Districtuali refert, atque ad securisandas ac inventandas res mobiles ad proprietatem mortui Episcopi pertinentes, duos e gremio sui deputat. Si praesto est Testamentum, legalibus requisitis instructum, illud pro Altissima Inspectione per Capitulum substernitur; interim autem per Executores Testamenti, aut ad casum ab intestato decessus, constitutos Manipulantes, cum influxu exmissi Caesareo-Regii Financialis, antiquus Fundus Instructus segregatur, una cum mobilibus cubilium, — exceptis lustris, speculis, imaginibus, horologiis, — in usum successorum relinquendus. Libri, Bibliothecae Cathedralis Ecclesiae aggregantur. Residua autem quae vendenda sunt, mediante auctione publica venduntur. Tum juxta posteriores Altissimas Resolutiones, Caesareo-Regius Financialis homo, tam ea quae ad gratuitum Fundum Instructum, et Inventarium Beneficii pertinent, quam et ipsa Bona immobilia ad Beneficium spectantia, sub Administrationem Aerarialem recipit, ac quoad reluitionem articulorum ad continuandam oeconomiam necessariorum cum Executoribus tractat; aedificiorum item statum perlustrat. — *Ordines extranei*, vigore §[i] 90[i] editae die 9[a] Augusti 1854. legis in negotiis extrajudicialibus — Caesareo-Regio Ministerio externorum negotiorum; *intranei* vero *Ordines* Cancellario Ordinis sive immediate, sive via Consilii Locumtenentialis Viennensis, transponendi disponuntur. Non secus ocurrente casu obitus

Caes.-Regii intimi Consiliarii, de hoc C. R. Minister exter. Negot. et Aulae, edoceri jubetur[1]). Haec etiam quoad caeteros Praelatos, quos Conventio Kolonichiana obligat, exceptis excipiendis valent; eo relate ad utrosque addito, successionem ab intestato ad cognatos, non usque 10um gradum, sed usque 6um duntaxat per Codicis Civilis §. 751. extensam haberi. — In Austria, Episcopi libero de rebus suis causa etiam mortis disponendi jure utuntur; in quo Hungariae Episcopi restricti sunt, eorum testandi facultate per Fiscum Regium in controversiam art. 16, 1715. sumpta, ubi una disponitur: interea donec ad explanandam Conventionem Kolonichianam exmissa Commissio, sensum ejus sufficienter declaraverit; vel eidem Cardinalitiae Conventioni standum, vel pro consensu Regio, super libera disponendi facultate recurrendum venire. — Negotio hoc porro in suspenso manente; Maria Theresia Imp. et Rex, anno 1773. Episcopis aevi illius liberam testandi facultatem concessit ea sub Conditione: ut quivis Episcopus suis successoribus in Episcopatu, determinatum Fundum Instructum relinquere teneatur; quod ipsum etiam ad neo-erectos tunc Episcopatus Nominatis Episcopis, sub eadem conditione, absque pendenda taxa admissum fuit. — Caeterum de Testamentis Clericorum, alibi opportunius sermo instituitur.

c) *Jura Capituli sede vacante de facto.*

„Si Episcopus a Paganis aut Schismaticis capiatur, non Archi-Episcopus sed Capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporalibus ministrare debebit: donec illum libertati restitui, vel per sedem Apostolicam (cujus interest Ecclesiam providere necessitatibus) super hoc per ipsum Capitulum, quam cito commode poterit consulendam, aliud contigerit ordinari“*;* disponit c. 3. de sup. neg. Prael. — Capitulo proinde sede impedita cuncta ea

[1]) Gesetz über das gerichtliche Verfahren in Rechtsangelegenheiten außer Streitsachen; 9. August. 1854.

jura competunt, quae sede vacante per mortem; imo si Episcopum sede sua diutius exulare contingat, Capitulum ea omnia praesuscipit, quae sine detrimento in longius differri nequeunt; quorsum specialiter Beneficiorum collatio pertinet [1]). Interim ad casum idmodi, Capitulum ad notitiam summi Pontificis perferendum, atque factis per sedem Apostolicam relate ad administrationem ulterioribus congruis dispositionibus semet conformandum obligatur.

Dum casus evenit, quod Episcopus suspensionis, aut excommunicationis poenam incurrat, idem ab officio prosequendo eoipso abstinere debet, secus enim Irregularis reditur. Quia autem taliter e dispositione Canonum [2]), ipsius Officialis aut Vicarii Episcopalis potestas ac jurisdictio plene exspiraret; etiam in hoc casu, Capitulum Dioecesis Administrationem suscipit, eamque medio eligendi Vicarii tamdiu prosequitur, donec praestita sedi Apostolicae relatione, ab hinc dispositiones ulteriores receperit.

A praeviis duobus casibus sedis vacantis *quasi per mortem;* distinctus est, et aliam juris considerationem subit casus, *dum Episcopus sede sua violente depellitur*, ac necessitate, non vero via legali et canonica adactus, Dioecesi, aut etiam Patria extorris fit. Tunc sedes Episcopalis *vacat de facto*, *et non de jure*, atque Episcopus jure in sedem suam porro gaudens, in nexu legali cum Dioecesi manet. Si proinde Episcopus, eo temporis momento dum abduceretur, Vicarium habuit, aut vero tunc, vel expost Vicaria potestate quempiam instruxit; is munere sibi commisso Canonice fungitur. Dum vero Vicario destituebatur Episcopus, et ejus constituendi, aut constituti ad notitiam Capituli perferendi occasio praescissa esset: in casu hoc, ad avertenda a Dioecesi detrimenta, Capitulum provisorie jurisdictionem exercet, et Vicarium eligit, casumque Pontifici refert. Ubi autem

[1]) C. un. ne sede vac. in 6º. — [2]) C. 1. de Off. Vic.

Capitulum non existit, de his providet is, ad quem secus sede vacante de Administratione Dioecesana providere pertinet. — Caeterum e superabundanti attingitur, praemissum multiplicem ad regimen Dioecesanum influxum, unice ad Capitula Metropolitana et Cathedralia restrictum esse.

§. 36. De Vicario Capitulari.

Quamvis sede vacante integra jurisdictio Episcopi in Capitulum transeat; interim Metropolitanum aut Cathedrale Capitulum, jure novissimo post mortem Episcopi, aut aliter vacante sede, intra octo dies, *a habita vacantiae notitia computandos*, Vicarium constituere tenetur, per quem, jurisdictionem ad se devolutam exerceat. Concil. Tridentinum enim Sess. 24. c. 16. de Ref. decernit: „ut Capitulum, sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum vel plures fideles, ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum et proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item Officialem, seu *Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi* constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit, idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur: et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana et propinguior Episcopus in exempta Oeconomum et Vicarium idoneos possit constituere.“ — Dum contingit Ecclesiam Suffraganeam carentem Capitulo vacare eo tempore, quo etiam Metropolitana viduata est suo Pastore; eo tum Vicarii electionem non ad seniorem Suffraganeum, sed ad Metropolitanum Capitulum pertinere, decidit Sacra Congregatio Concilii die 28ª Augusti 1683. — Si ad electionem Vicarii Capi-

tulum elapso octiduo procedat, idmodi electio invigorosa est, nisi eam Metropolita, aut ad quem secus jus devolutionis spectat, ratam et gratam declaret. — Electio Vicarii Capitularis, per ipsum Capitulum ad Caesareo-Regii Ministerii Cultus et Consilii Districtualis, tum Metropolitae notitiam perfertur; ipse autem Vicarius Capitularis, eandem sedi Apostolicae refert, et necessarias Facultates sibi resolvi supplicat.

Ad Vicarium Capitularem, transfertur exercitium totius jurisdictionis Episcopalis, penes Capitulum existentis, neque Capitulo integrum est Vicarium Capitularem limitare, aut quamcumque minimam partem jurisdictionis sibi reservare; sed integram eidem Vicario Capitulari conferre tenetur[1]). Itaque Vicarius Capitularis, gaudet exclusive *Episcopali Jurisdictione Ordinaria* in tota extensione sicut inCapitulum devenit, quamve eidem Capitulum proprio arbitrio auferre non potest, sed dum gravia praesto sunt rationum momenta, ejus depositionem a *S. Congregatione super negotiis Episcoporum* petere debet. Vicarius Capitularis nequit sibi alium substituere, nisi causa infirmitatis, de consensu tamen Capituli. — Auctoritas Vicarii cessat per Canonicam novi Episcopi ad Cathedram Episcopalem introductionem. Resignante autem e causis gravibus Vicario, aut eodem per obitum curis humanis exempto; Capitulum ad novam electionem procedit etiam in casu illo, si resignans, vel mortuus Vicarius negligente Capitulo per Metropolitanum fuisset nominatus. — Vicarius et Oeconomus per Capitulum constituti, e praememorata Conc. Tridentini dispositione, futuro Episcopo sunt responsabiles. — Ad dubium illud, an in Vicarium Capitularem constitui possit Rector Ecclesiae Parochialis, actu curam animarum exercens, S. Congregatio Conc. Trid. interp. die

---

[1]) S. Congr. Conc. Trid. interp. 1ª Decem. 1736; Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 4. c. 8. n. 10.

17ª Julii 1655. respondit: Parochum non posse in Vicarium Capitularem sede vacante constitui [1]). — Romae, *Apostolica sede vacante* Cardinalis Vicarius, plenam jurisdictionem Episcopalem retinet; quod jam superius in tractatu de Romano Pontifice, Primate Ecclesiae dictum est.

§. 37. Jura Capitulorum qua Universitatis.

Capitula, ut jam supra dictum est, sunt *juridica Collegia* et Corpora Moralia, quibus, prout caeteris Universitatibus ex natura sua jura quaedam competunt; sed competunt iisdem jura etiam ex lege positiva; et quidem 1° quodvis Capitulum, Metropolitanum, Cathedrale et Collegiatum, habet autonomiam, vi cujus jure gaudet, statuta condendi, quae commembris normam in agendo praestituunt [2]). Ad vigorem interim statutorum requiritur, ut se non extendant ultra sphaeram Capitulo propriam, concernere tamen possunt jam Spiritualia, jam temporalia, aut mixta objecta. Non sint contra legem, sed praeter legem; seu ne in legem impingant, et praevaricationem legis post se trahant, aut in damnum tertii vergant; vel Bono Ecclesiae adversentnr [3]). Sint Evangelicae puritati, fraternae Charitati, et disciplinae Ecclesiasticae consentanea. Si statuta ita sint conformata, atque legibus sacris et profanis congruant, relate ad socios eadem mutua conventione ferentes vim obligativam exerunt; juxta illud Catonis in praecitato etiam Capitulo 6° de Const. assumptum: *patere legem, quam tu ipse tuleris.* Novi autem Canonici qui eadem servanda solenniter spondent, gravi hoc vinculo ad talia rite tenenda obstringuntur. Dum statutum extra Capitulum effectum quempiam externum exerit, eotum Episcopi [4]); et pro re nata Status etiam adprobatione

[1]) Zamboni tom. 6. pag. 64. — [2]) C. 6. 8. 11. de Const. — [3]) Ibid. c. 6. et 12. — [4]) C. 9. de consv.

indiget. — 2° Capitulum ad procuranda et dirigenda sua negotia temporalia, Officiales jure proprio constituit. — 3° Capitula utuntur in expeditionibus proprio sigillo, ad actus quoque fidedignitatis publicae adhiberi solito. — 4° Jure communi, possunt super Clericis in suis servitiis existentibus jurisdictionem Ecclesiasticam exercere [1]). — 5° Quodlibet Capitulum necessitate exposcente habet jus *Capitulariter* negotia sua pertractandi, seu *Sessiones* vel *Consistoria* celebrandi. Consistorii convocatio pertinet in regula ad Praepositum; eo autem infirmo vel absente, Capitulum convocandi et praesidendi jure pollet Stallo senior Canonicus. Cuncti Capitulares, qui sessionem et votum habent, ac praesentes sunt convocantur [2]); — in gravioribus negotiis, uti est electio Episcopi, aut Vicarii Capitularis, item dum in Ecclesiis Canonicorum receptio, aut Praebendarum vel Beneficiorum collatio imminet; et ob paritatem rationis in aliis etiam arduis objectis, *absentes* quoque vocari debent; *alioquin quod in eorum absentia fieri contigerit, eis instantibus irritari debebit* [3]). Non vocatus itaque potest de contemptu querulari, et unanime etiam conclusum evertere; atque hic valet illa paroemia: quod *unius contemptus plus noceat, quam omnium consensus* [4]). Ubi Capitulares consessus determinatis diebus celebrantur, ibi non requiritur specialis convocatio. Dum autem legitime facta est convocatio, decisa praesentium robur firmitatis habent, et absentium vota majoritati accrescere considerantur. Ad vigorosum decisum ferendum, numerus Capitularium lege determinatus haud est; et si penes regulariter convocatum Consistorium minoritas a majoritate semet separet, majoritas pertractationem negotii prosequitur [5]); ex adverso, dum major pars a minori se sejungit, in casu hoc,

[1]) C. 13. de foro comm. — [2]) C. 42. de elect. in 6°. — [3]) C. 33. de Praeb. et Digni. — [4]) C. 28. et 36. de elect. — [5]) C. 19. de elect.

siquidem minor pars, *legali respectu Capituli*, destitueretur, consessus dissolvitur. Negotia proponit Praeses, sed nec alter a propositionibus faciendis arcetur. Propositionem sequitur *deliberatio*, quae est negotii, subductis et ponderatis in omnem partem rationibus exacta ventillatio; eam praestans utilitatem, quod pensatis aliorum motivis sententiam mutare liceat, atque votum jam enunciatum, meliori consilio ab aliis suggesto, quisque retractare non tantum possit, sed etiam teneatur. Majoritas votorum concludit. Vota majora, vel sunt *absolute majora,* seu quae spectato totali praesentium numero, medietatem superant; vel sunt *relative majora,* dum votisantes in tres, vel quatuor opiniones divisi sunt, et relate ad caeteros una opinio numerice praevalet. — In electionibus requiritur *majoritas absoluta;* „ut is prout Canon habet — collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars Capituli consentit“ [1]). Major pars etiam sanior censetur [2]); nisi probatum sit, majoritatis opinionem Canonibus non esse conformem, et Ecclesiae damnosam fore; si major Capituli pars sit suspensa, vel interdicta; aut si consentiat in electionem personae secundum jura inhabilis et incapacis, tunc jus ad minorem partem devolvitur [3]), dicunturque *vota non numerari, sed ponderari*, et legibus difforme conclusum superior rescindit. Secus in electione non zeli ad zelum, neque meriti ad meritum, sed numeri ad numerum ratio habenda est. Si electio cum Postulatione coincidat, ut Postulatio praevaleat, Postulatus bis tanta vota numerare debet, quam Electus. Electo sufficit, si supra tertiam votorum unum adhuc obtineat [4]). Electio fit per *Inspirationem, Compromissum,* aut *Scrutinium;* de quibus electionum formis alibi opportunius. — In onerosis cujuslibet quidem sententia

[1]) C. 42. de elect. — [2]) C. 1. de his quae fiunt. a maj. parte Capit. c. 57. de elect. — [3]) C. 2. de Postul. Prael. — [4]) C. 40 de elect.

exquiritur; *quod enim omnes tangit, debet ab omnibus adprobari* [1]); minor interim pars per contradictionem semet ab onerosis subducere nequit [2]). — Pro asservandis sessionibus regulariter deservit *Cubile Capitulare* dictum; in urgentibus nihilominus, aut minoris considerationis objectis, alio etiam conveniente loco, aut finito choro, juxta receptum ubique morem in sacristia decisa feruntur, vim obligativam habentia. Super Pertractationibus et Decisis Protocollum proprium ducitur; cui in gravioribus negotiis series votorum singillative, aut si quis separatum votum daret, illud aeque infertur. — 6° In Hungaria in specie, Capitula Metropolitana, Cathedralia, imo etiam Collegiatum Posoniense, sunt a vetustissimis temporibus *Loca Credibilia,* quorum fidei Regnicolae Originalia sua, jura Possessionaria tangentia Documenta crediderunt. Antehac activitas eorum in casibus emptionum et venditionum ad Fassiones perenales excipiendas, statutiones peragendas, aliosque momentosos juridicos actus extendebatur; de praesenti vero, ad custodiam Documentorum unice restricti, in emergentibus casibus, erga requisitorium sedis judiciariae, consveta modalitate expeditionem Documentorum adornari faciunt.

§. 38. Capitulorum Obligationes.

Jam inter praerecensita jura, nonnulla occurrunt, quae simul etiam obligationem important; praeter haec tamen, speciales adhuc sunt obligationes, Capitulis incumbentes: 1° Provisi de Canonicatibus et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, tenentur a die adeptae possessionis adminus intra duos menses, non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo, Orthodoxae suae fidei publicam

[1]) C. 29. reg. jur. in 6°. — [2]) C. 4. de his quae fiunt a maj. parte Cap.

facere professionem, et in Romanae Ecclesiae obedientia, se permansuros spondere ac jurare; secus fructus non facient suos, nec illis possessio suffragatur [1]). Priusquam interim coram Deputato Episcopali et Capitulo Professio fidei Catholicae ac juramentum fidelitatis nuncupetur; de receptis statutis Capituli et adprobatis consvetudinibus observandis coram Capitulo sponsio exigitur. 2° Incumbit Capitulis solemnis Divini Officii in Ecclesia propria et choro persolutio. Horsum refertur: a) obligatio in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis, Dei nomen per se ipsos reverenter, distincte, devoteque laudandi [2]). Haec originaria, dum adhuc in communi vitam agerent, erat Capitulorum obligatio, per Decreta Pontificum, et Concilia graviter repetitim imposita. Neque vero obligationem hanc, — ut Benedictus XIV. dicit — implent Canonici dum choro praesentes assistunt, et sibi ipsis silentium imperantes, psallentibus Beneficiatis aut Mansionariis se non adjungunt; imo vero hortatur idem Pontifex, ut horas Canonicas non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima qua decet reverentia et religione canant [3]). Officium Divinum in regula persolvi debet in choro; potest tamen aliquando ex causa, veluti ob frigus, extra chorum arbitrio Episcopi recitari Divinum Officium in diebus ferialibus; in diebus vero festivis omnino recitandum est in choro. S. Rituum Congreg. 5ª Martii 1633; et S. Congregatio Episcoporum 13ª Septembris 1641. decrevit esse tolerandum, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus ferialibus Matutinum in sacristia. b) *Missae Conventualis* celebratio; haec *quotidie* cantanda adplicari debet *pro Benefactoribus in genere.* Quam obligationem per S. Canones stabilitam Benedictus XIV. in praeme-

[1]) Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref. — [2]) Ibidem. — [3]) Constit. d[to] 19[ae] Aug. 1744. „Cum semper" select. Const. P. 1. pag. 133.

morata constitutione ita claram esse statuit, ut nulla super ea oriri possit dubitatio; consvetudine licet immemoriali, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari queunte. In qua Constitutione idem Pontifex dicit: „*Aliorum exceptionem fuisse, quod Missa Conventualis non semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis aut Mansionariis, quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei — inquit ille — pariter consultum est, demandando ut ea desumatur ex massa distributionum.*" Hic itaque Pontifex innuit, Missas Conventuales quae quotidie quidem celebrari debent, etiam per Beneficiatos aut Mansionarios absolvi posse; atque huic videntur inniti multorum Episcoporum Visitationalia Decreta, tenore quorum admittitur: ut Missae Conventuales diebus feriatis per Praebendatos absolvi possint; Dominicis tamen et Festis aliisque nonnullis exceptis diebus, easdem Canonici in serie decantare teneantur. Missae Conventuali omnes Canonici semper interesse debent, nec sub ea Missam privatam celebrare audent. Cum autem juxta rubricas generales, certis diebus non una, sed binae, atque aliquando tres etiam Missae Conventuales una die celebrentur; de his idem Benedictus XIV. decernit: „Nos ita — inquit — judicamus, idque Vobis tenendum indicimus: laudandos nempe et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere adplicant; qui vero idem agunt ex vi consvetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum ut in ea consvetudine perseverent. *Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae, tertiaeque Missae Conventualis adplicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis, Ecclesiae Benefactorum in genere non obliviscantur.*" Porro ubi consvetudo viget, ut in Adventu Cano-

nici Missas *Rorate* dictas per se ipsos decantent; ex eo quod hae ad Cathegoriam Conventualium Missarum nullo modo referri possint, earundem adplicatio iisdem pariter libera manet; et sicut his, ita — excepta Missa Principali — nec Missae Conventuali secundae et tertiae interesse tenentur.

De Distributionibus.

Postquam Capitula penes Metropolitanas et Cathedrales Ecclesias passim et ubique fere inducta fuissent, non erat omnium, respectu sustentationis par eademque conditio. Dum enim alia possessionibus, praediis, et decimis dotata auctaque fuissent; aliis Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis inservientes Canonici, aut e mensa Episcopali, aut vero e congestis oblationibus fidelium, in diem alebantur [1]; earumque participes effecti sunt ii dumtaxat, qui praescriptum Officium Divinum publice in choro persolverunt. Tractu temporis, dum jam Beneficia fixos praeberent reditus, ut in choro frequentando diligentia acuatur; fructus beneficii a *quotidianis distributionibus* secernebantur, quas tollebant in choro sub Divino Officio praesentes quibus et rata absentium accrescebat. Quotidianae distributiones in frugibus, pane, vino, aliis naturalibus, aut etiam in pecunia emensae erant; quae postremae, *pecunia praesentiae*, vel etiam *quotidiana Canonicorum stipendia*; aut *manualia beneficia*, vel *minuta* vocabantur, ad distinctionem a *fructibus grossis*, aut *fructibus annuis* qui proprie reditum annuum beneficii constituunt, et ad Beneficiatos indiscriminatim pertinent. — Scopum distributionum quotidianarum celebris Carnotensium Praesul S. Ivo in ep. 219. ad Paschalem PP. describit: „Cum in pluribus, inquit, Canonicorum Carnotensium desvevisset disciplinae regularis observantia; ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas Canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Praeposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut quos panis interni dulcedo non moverat, panis corporis refectio provocaret, quamvis eorum annua praebenda ad hoc sufficiens esse deberet.“

[1]) Thomassinus vetus et nova Eccl. Disc. P. III. l. 2. c. 35. pag. 267.

— Episcopus hic praeluxisse videtur copiosis Constitutionibus hoc in objecto latis. Primus legitur Innocentius III. qui clare discriminat *communes Canonicorum proventus*, *a manualibus beneficiis*, quae posteriora nisi residentibus conferenda injungit [1]). Honorius III. magistro Eboracensi Archi-Diacono in sacra pagina cupienti studere, *quotidianas distributiones* quae, inquit, *tantum residentibus in Ecclesiis et his qui intersunt horis Canonicis exhibentur*, tribui prohibuit [2]). Postquam vero consvetudine inolevisset, quod in aliquibus Ecclesiis, Canonici in Civitate quidem, ast non in Ecclesia praesentes, distributiones quotidianas ex integro perceperint, ac si Ecclesiae continuo deservirent; Bonifacius VIII. consvetudinem idmodi improbando, statuit: *Ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis beneficiatis et clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur juxta Ecclesiae cujuslibet Ordinationem rationabilem jam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; imo ad omnium restitutionem, quae contra hujusmodi nostram constitutionem receperit, teneatur.* — *De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largien-*

[1]) C. 16. de verb. signif. — [2]) C. 22. de Praeb. et Dignit.

dis, idem decernimus observandum [1]). — Hanc a saeculis vigentem disciplinam Concilium Tridentinum non saltem confirmavit, sed etiam nova sanctione munivit, disponendo: ut in singulis Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, ubi deessent quotidianae distributiones, vel ita tenues forent, ut verisimiliter negligerentur, tertia pars fructuum et quorumcunque proventuum et obventionum, quae Capituli dignitatibus, et canonicis obtingunt, per Episcopum separetur eaque pars in quotidianas distributiones convertatur; ac *inter Dignitates obtinentes et caeteros divinis interessentes, proportionaliter juxta divisionem ab Episcopo etiam tamquam Apostolicae sedis delegato in ipsa prima fructuum deductione facienda dividatur* [2]). Ii qui personaliter competens sibi servitium — — quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo Dominium aquirant, sed fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicetur; crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum Constitutiones Episcopi procedant [3]). Tum vero ultro prosequitur: *Distributiones qui statutis horis interfuerint recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque Statutis et consvetudinibus* [4]). Super quo Capite S. Congregatio Concilii Trid. interpr. decrevit: „Non licere Capitulo aliquo praetextu distributiones quotidianas donare, relinquere, aut quavis collusione remittere alicui, qui ab Ecclesiae servitio abfuerit; nec fas sit cuipiam eas recipere, et si acceperit, suas ne faciat, sed eas restituere omnino cogatur.“ A juris rigore per praeprovocatam Bonifacii VIII. Constitutionem eximuntur: *Quos infirmitas, seu justa*

[1]) C. unica de Cler. non resid. in 6º. — [2]) Sess. 21. c. 3. de ref. — [3]) Sess. 22. c. 3. de ref. — [4]) Sess. 24. c. 12. de ref.

et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret. Dum tamen Ecclesia hacce indulgentia utitur, non assumpsit quamcunque levem aegritudinem, aut tristitiae causam, quae secus Canonicum non impedit, quin suis negotiis vacare possit; neque ex adverso illa dumtaxat intelligenda est infirmitas quae lecto affigit; sed in sensu Tridentini aegrotis illis dandae sunt distributiones, qui dum valuerunt in choro assidui erant. Quoad Coecos S. Congregatio statuit: „Coecum non teneri horis Canonicis interesse, nec in choro eam Officii partem, quam memoriter tenet recitare, et nihilominus lucrari distributiones quotidianas, perinde ac si interesset.“ — Porro justa et rationabilis corporis necessitas est illa, dum quis, non quidem exhilarandi animi causa, ast fine recuperandae valetudinis, ut quippe habilior ad explenda munia reddatur, in balneis abesse, aut auram mutare cogitur. Demum excusat, evidens Ecclesiae utilitas: ita dum Canonicus Poenitentiarius Confessiones in Ecclesia audit, interim praesens in choro censetur [1]). Canonicus cura animarum occupatus, pro tempore quo in curata Ecclesia resederit, ac ministraverit, tamquam praesens sit, ac divinis intersit, in Ecclesiis Cathedralibus ac Collegiatis habeatur, disponit Conc. Tridentinum [2]); quem etiam ex eleemosynis pro anniversariis defunctorum participare posse, statuit S. Congregatio 28ª Aprilis 1835. Idem tamen Canonicus Parochus tenetur Conventuales Missas juxta turnum celebrare; eotum vero dum obligatio haec concurrit cum alio pro fideli Populo Parochiano diebus Domini et Festis Missae Sacrificium adplicandi officio, eidem incumbit curare celebrari pro incolis Parochiae aliam Missam propriis sumptibus [3]). Canonicus Theologus qua die legere debet, si

[1]) Conc. Trid. Sess. 24. c. 8. de ref. — [2]) Sess. 22. c. 3. de ref. — [3]) S. Congreg. apud Zamboni t. 5. pag. 30.

absit a choro ejusdem diei distributiones assequitur [1]). His accensentur: Canonicus Episcopo inserviens [2]); tum si Episcopi loco Romam venit ad limina Apostolorum invisenda, vel ipsum Episcopum Romam ob eandem causam comitatur, ut Sixtus V. decrevit. Attamen hoc privilegio non gaudent Canonici qui Episcopum sequuntur Dioecesim suam perlustrantem; decidit S. Congregatio 5ª Decembris 1626. Demum tribuendae sunt distributiones illi Canonico, qui ob utilitatem sive Capituli, sive Ecclesiae chorum dimiserit, id ipsum S. Congregatione determinante, quae 1588. statuit: „Canonico deberi distributiones quotidianas pro tempore, quo vere abfuit pro negotiis Capituli.“ — Dum priore saeculo in Hungaria distributiones quotidianae reinduci tentarentur, ea difficultas obtendebatur, quod proventus Capitulares vix non omnes in frumento et vino consistant, et articuli hi primum pro usu venturi anni deserviant; nec proinde ex fructibus anni currentis, possit pro distributionibus quotidianis fundus conflari. Hic itaque distributiones quotidianae fere ex integro in desvetudinem abiverunt; nisi pro his summantur fundationes votivales et anniversariae stricte praesentiam requirentes ita, quod absentes a participatione pecuniaria penitus excludantur. — Finaliter subnectendum venit, ubi distributiones quotidianae juxta S. Legum disciplinam vigent, non emolumenti hujus ratio, ast pietatis studium pertrahere debet, ad obsequium Deo praestandum, ipsiusque laudes decantandas et misericordiam tam pro vivis, quam pro defunctis implorandam. Qui dumtaxat utilitate distributionum traheretur, Simoniae labem contraheret. „*Celebrare divinum Officium,* inquit S. Thomas [3]), *in Ecclesia, est actus spiritualis ex parte principii; competit enim alicui ex hoc quod est Clericus. Et ideo Simoniam committit, qui hujusmodi Actum vendere intendit; in qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis: si enim hujusmodi distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam comittit et ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundario, non quasi in finem, sed sicut quod est necessarium ad suam sustentationem; constat quod non vendit actum spiritualem, et ita Simoniam non comittit, nec peccat: sic enim acceptio distributionum non erit in causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinationis quare nunc vadat et non alia vice.* — *Annus carentiae* in Capitulis Hungariae, imo in tota Austria amplius non existit, sed quilibet Canonice introductus Capitularis, ad omnes Praebendae fructus citra qualemcunque diminutionem jus habet; legalibus oneribus, quemvis pari ratione ferientibus, huc non intellectis.

[1]) S. Congregatio 18ª Junii 1622. — [2]) In sensu c. 7. et 15. de Cler. non resid. — [3]) In quodlib. 8. q. 6. art. 1.

Demum cum Ecclesiae, in quibus Canonici Officium Divinum persolvere obligantur, sint *Matrices; praescriptos S. Ritus in iis exacte observari convenit:* alioquin nihil magis Ecclesiam Dei ornat, nihil potentius populum ad pietatem excitat, quam uniformis et accurata Rituum observantia; deturpat autem in Sacris functionibus confusio et discrepantia. Porro

c) Canonici tenentur, „Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire [1]); „et cum Episcopus rei divinae peragendae causa ad Ecclesiam venturus erit, debent Canonici omnes in eorum ecclesiastico et canonicali habitu, adpropinquante hora ad illum accedere; eumque Cappa indutum, — — ex cubiculo ad Ecclesiam progredientem comitari et deducere;“ praescribit Ceremoniale Episcoporum C. 15° ubi residuus quoque eum excipiendi ritus continetur.

d) *Onera et Obligationes*, Bonis dotationalibus ex di-

[1]) Conc. Trid. Sess. 24. C. 12. de Ref.

spositione piorum Fundatorum inhaerentia, aut benevole per statutum assumpta, rite et sine omni restrictione explere tenentur; sunt enim haec quasi contractus obligatorius, seu donatio conditione affecta, vel promissio obligationem inducens; et pro illis non tantum coram Deo responsabiles efficiuntur, sed ad ea explenda juridice etiam stringi possunt. Ideo Litterae Fundationales, aut Donationales, scopo intelligendae et explendae obligationis per singulos sedulo ac diligenter pervolvendae sunt. — Quodsi vicissitudine temporum objectum, cui onus inhaerebat, vel sensibiliter diminuatur, aut Capitulo fructum ferre cesset; tunc et ipsa obligatio auctoritate Superioris pariter imminuitur, aut plene pro cessante declaratur. Si tamen objecto cessanti onus Missarum annexum erat; eotum, ut Benedictus XIV. innuit, Missarum quidem onus cessabit, sed adminus in Missa, Fundatoris specialis commemoratio fieri debet [1]). — e) *Bona et jura Possessionaria*, caeteraque ad Beneficii dotationem, ac reditus pertinentia, conscientiose percolere, adhibita industria meliorare, atque in sua integritate sine onere novo ad successores transmittere obligantur. Si itaque gravi exposcente necessitate, in meliorationem, e qua amplior redundaturus est fructus, quidpiam oneris contrahendum esset, id nisi causa ad evidentiam probata, et cum consensu Ordinarii fieri potest. Cum enim dictamine C. un. tit. 12, l. 3. Decretalium, *Beneficia sine diminutione conferri debeant;* si per improvidam administrationem negligerentur, aut arbitrarie onerarentur, huic legis dispositioni non satisfieret. — f) In pauperum, orphanorum, rei Litterariae, atque totius Dioecesis emolumentum positarum piarum Fundationum administratio, curae Capitulorum concreditur, quae eo etiam ex obtutu meritoria est, quod idmodi piae Fundationes, *Montes pietatis* aut *charitatis*,

[1]) De Syn. Dioec. l. 13. c. 25.

quorum Conc. Trid. Sess. 22ª C. 8. de Ref. meminit, suppleant, et egestate pressos, ab usurariorum iniquitate praesalvent. — g) Postquam Canonicis e positiva Concilii Tridentini dispositione, officii Divini per se ipsos persolutio incumbit; sed nec alias multiplices obligationes, remoti ab Ecclesia, cui adscribuntur explere possent; iidem ad *Residentiam*, et quidem laboriosam, non desidiosam obstringuntur. Potest huc adplicari illud S. Gregorii Papae ex homilia 29ª „considerandum esse, ne ii qui plus caeteris in hoc mundo aliquid accepisse cernuntur, ab Auctore mundi gravius inde judicentur. Cum enim, inquit, augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.“ Ad altiorem proinde honoris et dignitatis gradum prae caeteris positi, àc liberalioribus temporalibus adminiculis provisi, omnes conatus eo convertendos habent, ut Dioecesi, imo Ecclesiae quo utiliores semet praestent. Interim Conc. Tridentinum mox citato loco indulsit absentiam trium mensium, salvis tamen Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Sed et hi tres menses absentiae, debent utique fundari in causa honesta; et dum Canonici extra Dioecesim abesse volunt, Episcopi licentiam esse obtinendam determinavit Congregatio Conc. Trid. Interp. [1]). Non residentes poenis, imo crescente contumacia, etiam amissione Beneficii plecti jubentur [2]). — Causae a Residentia excusantes jam supra allatae habentur; quibus accedit causa studiorum, dum quippe Canonicus, theologiae aut juri canonico in Scholis publicis operam navat [3]). Item juxta declarationem a S. Congregatione Concilii Inter. editam 17ª Dec. 1718, Canonici tam Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum, postquam 40. annorum non interrupto spatio diligenter Ecclesiae inserviverunt, exemptionem consequuntur a choro, atque ab omni absolvuntur servi-

[1]) 22ª Januar. 1628 et 4ª Maji 1723. — [2]) C. fin. de Cler. non resid. — [3]) C. 5. de Magistris.

tio deinceps Ecclesiae praestando, quin tamen amittant fructus annuos, aut quotidianas distributiones; quia exemptione hac obtenta libertatem pariter nanciscuntur a vinculo residentiae. Vocatus tamen ad Synodum *Jubilatus* Canonicus ire tenetur [1]). Quodsi Canonicus Jubilatus, negotiis duntaxat saecularibus incumberet; eotum toties cogi potest ad satisfaciendum obligationi, quoties id Divini Cultus et Chori servitium exposcit. — Demum h) inter speciales obligationes, ad statum propriae perfectionis pertinentes, refert Conc. Trid. Sess. 24. C. 12. de Ref. in fine: „ut vestitu decenti tam in Ecclesia, quam extra assidue utantur, ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant; atque ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiae Senatus dici possint."

§. 39. De Muniis singillativorum Canonicorum.

In Capitulo, singillativis Canonicis distincta assignata sunt munia; alii quippe tenent *Dignitatem*, alii *Personatum*, demum alii *Officium*. *Dignitatem* in stricto sensu juris tenet is, qui ratione Beneficii quod possidet, praeter praeeminentiam, *jurisdictionem etiam pro foro externo* habet; tales olim erant Archi-Diaconi, delegata pro foro externo jurisdictione gaudentes; et apud Canonicos regulares sunt Abbates et Praepositi. *Personatus* est honor quidam et praeeminentia sine jurisdictione; ad cathegoriam hanc spectant titulares Abbates et Praepositi. *Officium* dicitur, cui nec praeeminentia, nec jurisdictio, sed administratio aliquarum rerum ad Ecclesiam pertinentium adnexa est; uti Custos aut Thesaurarius Ecclesiae. Sensu improprio nomine Dignitatum censentur: Praepositus, Lector, Cantor et Custos, *Columnae* dictae [2]). Praepositus et Decanus Cathedralium Ecclesiarum, appellantur etiam *Dignitates Majores*; Collegiatarum Ecclesiarum simpliciter *Dignitates*. Ad hujus utriusque distinctionem Episcopus dicitur *Dignitas Principalis*. Praepositura est in Cathedralibus Ecclesiis prima post Episcopalem Dignitas; in Collegiatis aeque est relative prima Dignitas. Olim, dum Canonici juxta regulam Crodogangi in communi viverent, *Praeposito* superinspectio cum quadam jurisdictione, et administratio Bonorum competebat. Cessante subin vita communi, unica Bonorum administratio penes Praepositos remansit, tardius, propter exercitum arbitrium ab iis pariter abstracta. Juxta nunc vigentem Disciplinam *Praepositus* est in Capitulis ordine et dignitate primus; cui jus competit, imo obligatio incumbit consessus Capitulares cogendi, negotia pro deliberatione proponendi, et dirigendi; administrationi Bonorum intendendi; si quae detrimenta undecunque impenderent, talia pro virili avertendi; ab Officialibus Rationes exigendi, et observatos quoscunque defectus, aut negligentiam perstringendi. Reliqua jura et obligationes Praepositi, statuta, item consvetudo, imo ipsae Fundationales determinant. In Capitulo *Nitriensi Praepositus*, post obitum S. Beszterti, occasione erectionis Episcopatuum sub Apostolico Rege S. Stephano, Nitriensi Episcopali Cathedrae admoti, quae ex defectu dotationis reducta est, — Episcopali supparem exercuit jurisdictionem, cui — vigentibus eo tempore Ordaliis, — sicut aliis Sedibus Episcopalibus per legem Civilem judicium ferri et aquae fuit tributum. Aequali auctoritate pollebat et *Collegiati Capituli Posoniensis Praepositus*, cujus jurisdictio Episcopalis 1221. per Honorium PP. in Archi-Diaconalem mutata extitit. Amplioris per eum exercitae jurisdictionis vestigium hodiedum in eo superest, quod Posoniensis Praepositus non sit primus inter pares ut est in aliis Capitulis, sed sit caeterorum ejusdem Collegii Membrorum Praelatus, et in Districtu Archi-Diaconali Posoniensi, natus ut dicitur Archi-

1) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 3. C. 4. N. 6. — 2) Conc. Trid. Sess. 24. C. 12. de Ref.

Diaconus [1]). *Praepositus Zagrabiensis*, inde a temporibus Ferdinandi II. Imp. privilegio Pontificalium gaudet; qui Imperator et Rex, Prioratum Auranae, Castro Bela, Ordinis olim Cruciferorum Prioris Auranae proprio, uti et universis possessionibus et juribus, Praeposito Zagrabiensi collatis, — cum Praepositura in perpetuum univit. De praesenti Prioratus hujus annui reditus trifariam dividuntur; pars una cedit Praeposito Zagrabiensi, pars alia Seminario Cleri junioris, demum tertia Generali Cassae Dioecesanae addicta habetur. — Praepositum sequitur *Lector*, ad cujus officium pertinet, expeditionibus, ut e Loco Credibili debite fiant, invigilare, has legere et subscribere; caeteras etiam sive ab Ecclesiasticis, sive a Civilibus Jurisdictionibus Officiosas Litteras legere, et quod Capitulariter determinatum fuerit, rescribere. Ideo sigillum Capitulare, Locique Credibilis conservat; et *in regula* cura quoque Archivi utriusque ad Lectorem pertinet. — *Cantoris* officium est, Cultui Divino in Ecclesia convenientissime peragendo, intendere [2]); „ut chori moderatio, ait Syn. Prov. Tyrnav. — ad eos pertineat, qui Cantoralis Dignitatis munus obtinent: illorum erit itaque directioni chori, ita diligenter, ac sollicite semper intendere; ut nec circa libros, nec circa cantum nec circa alios quoscumque Chori Ministros, aliqui defectus admittantur.“ Cantor proinde in specie etiam Choralistarum Saecularium mores, vitamque observat, et excessuosos ad dimittendum proponit, in recipiendis autem novis maximas partes habet. In quorum delectu, gravitatis morum, pietatis et devotionis erga Sancta et Sacra, praecipuam rationem habendam esse, multa svadent; passim enim fastidiunt servitium suum, indifferentismum Religionarium induunt, et in vicem aedificationis tam intra, quam extra Ecclesiam offendiculum aliis praebent. Subordinati

---

1) Memoria Episcop. Nitriensis pag. 100, et subseqq. — 2) C. un. de off. Primic.; item Synod. Provinc. Tyrnav. 1638. C. 2. N. 18.

sunt ei etiam Succentor cum Praebendatis. — *Custos*; S. Canones Custodem retulerunt inter tres Ecclesiae Columnas; in his tribus Ecclesiae Columnis, consistere debet alma Mater Ecclesia; hi tres sunt, Archi-Diaconus, Archi-Presbyter, Custos [1]). Custodi incumbit Basilicae custodia, Baptisterii, Sacrarum Reliquiarum, supellectilis, universi peculii et thesauri Ecclesiae cura. Huic conformiter disponit praememorata Synodus Provincialis eod. Cap. N. 19. „Ornamentum autem totiusque cultus ac ornatus Ecclesiarum cura concernit eos, qui *Custodum*, seu Thesaurariorum dignitate fulgent.“ Non tantum vasa sacra et ornamenta; sed in regula etiam acta Capituli jura Possessionaria concernentia ad curam Custodis pertinent; nisi in aliquo Capitulo aliud teneat consvetudo, cui standum est. — In Capitulis Germaniae jam Praepositus, jam Decanus primum locum occupat, sequitur Archi-Diaconus, Scholasticus, Custos, Cantor. Apud Graecos unitos est primus Archi-Presbyter seu Praepositus Major, Archi-Diaconus seu Lector, Primicerius seu Cantor, Ecclesiarcha seu Custos, Cartophylax seu Cancellarius. — In singulis Capitulis munus Poenitentiarii et Theologi existit. Relate ad *Poenitentiarium*, Concilium Tridentinum disponit: „In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit *Poenitentiarius* aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel jure Canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, *interim praesens in choro censeatur*“ [2]). Caeterum Canonicus Poenitentiarius, cum Officii consecutione, eo ipso non consequitur etiam facultatem a Casibus Episcopo reservatis absolvendi, sed haec per expressum eidem

---

1) C. 2. de off. Cust. — 2) Sess. 24. C. 8. de Ref.

concedi debet. — Munus Canonici *Theologi*, ad Clerum Juniorem sive per se, sive per idoneum substitutum in Theologia instituendum, sensu praecitati Conc. Tridentini inductum habetur [1]; qui si per se doceat, etiam e natura rei, die Praelectionis *praesens pariter in choro censetur*. Huic correspondet apud Graecos unitos munus Canonici *Scholastici*, seu *Professoris Rituum*. Sed distincta est sphaera in Capitulis Haereditariarum Provinciarum *Canonici Scholastici*, fere ubique inter primos in Capitulo Dignitarios relati. Origo hujus referri debet ad Institutum adhuc communis vitae; Scholasticus quippe non saltem juniores Canonicos instituebat, sed et Scholae, cuilibet Cathedrali et Collegiatae Ecclesiae adnexae, curam gessit. Nunc in Austria Canonicus Scholasticus, est Superior Scholarum Inspector pro tota Dioecesi, et Districtualis Inspector Scholarum Urbis illius in qua Capitulum residet. Denominantur per Suam Majestatem erga propositionem Ordinarii; et a munere Super-Inspectoris Scholarum Personae Saeculares exclusae sunt. A super Inspectione et Inspectione Canonici Scholastici nulla Schola, nec publica nec privata, neque quaecumque educatoria Instituta etiam Sancti-Monialium eximuntur. Examina Candidatorum pro Professoribus ille dirigit, et in nominatione aut amotione Professorum maximus eidem tribuitur influxus. Tenetur autem cumprimis intendere, ut Magistri et Magistrae inculpatam, exemplaremque vitam ducant, atque institutionem Religioso-Moralem suis impendant. Sphaeram activitatis Canonici Scholastici, potissimum Altissimae Normales et Aulica Decreta determinant.

§. 40. Jura Honorifica Capitulorum, et Canonicorum.

Capitula eam sibi in saeculo etiam existimationem vindicarunt, quod potissimum benevolentia Principum in tota pene Europa eminentibus civilibus praerogativis ornata fuerint. Passim nempe in Comitiis, Conventibus, Parlamentis jure legislationis gaudebant, jusque hoc per nuncios suos exercuerunt. Praeterea Canonici virtute et scientia clariores officiis saecularibus admovebantur, eaque cum foenore utriusque Reipublicae gesserunt. Sed et, cum experientia docuerit, temporalia pretiosissima quaeque, Capitulorum fidei tutissime credi posse; inde enata sunt Loca Credibilia, et Capitulis ad momentosissimos fidedignitatis publicae actus juridicos exercendos activitas delata fuit. Haec interim velut a Concessionibus et privilegiis pendentia pro ratione temporum et Regionum variabant; et sicut favore data sunt, ita disfavore citra demeritum adimuntur, quae saepe unum impropitium momentum, infaustaque politica tempestas plene, ac totaliter delet. Jure Communi competit Capitulis Praecedentia prae aliis Corporationibus et Praelatis primum post Episcopum gradum habentibus. Singillativi Canonici Praelatos non praecedunt; possunt tamen per Sedem Apostolicam qua Judices in partibus delegari, quod secus ex Clero nisi in Dignitate constitutis conceditur [1]. Capitulum decoratur praedicato: *Venerabile Capitulum*; Canonici compellantur titulo: Reverendissimi. Super angustiore talari veste, reverenda dicta, portant coloris rubri cingulum; tibialia ejusdem coloris; et plerique etiam colari rubro utuntur. Saeculo priore, et hujus decursu benignitate Augustissimorum accesserunt Capitulis Hungariae, et aliis distinctiones in forma Ordinis, quas Actuales Canonici in coloris praescripti ligulis collo appensas gestant. Supra Rochetum habent jus deferendi Mozzetam violacei coloris; in nonnullis autem Ecclesiis ex privilegio Cappa majore, uti Colocae, Quinque Ecclesiis, Olomucii, et Pragae utuntur;

[1] Sess. 5. C. 1. de Ref.

[1] C. 11. de rescript. in 6°.

imo et jus Pontificalium habent. Ita Clemens XIII. edita 1759 sexto nonas Octobris Bulla, Csanadiensi Praeposito majori Clementi Rossi et successoribus usum Pontificalium concessit, de consensu pro tempore existentis Episcopi in tota Dioecesi, etiam praesente Sedis Apostolicae Legato vel Nuncio, cum hujus assensu exercendum; qui idem Pontifex Dignitatibus Capituli Vesprimiensis, sicut Benedictus XIV., Dignitatibus Capituli Jaurinensis, insignium Pontificalium usum admisit. Scepusiensis Capituli Praepositus pariter infulatus est; similiter et Quinque Ecclesienses Canonici in Gremio Ecclesiae suae jus Pontificalium per Clementem XIII. concessum habuerunt [1]). Regina tamen Maria Theresia 1769, die 12° Januarii hocce privilegium pro ordinario usu suspendit. Zagrabienses Canonici vero *Protonotarii Apostolici* titulo gaudent. Demum Canonici etiam privatam Missam 4^{or} candelis in ara accensis celebrant, item in Vesperis et Missa solemni duplici ductu thurificantur. Ab obitu in canonicalibus ornamentis exponuntur; et Capitulum, residuusque civitatis saecularis Clerus junior quoque officium defunctorum ritu duplici penes corpus eorum absolvit. Sepulturae jus in Cathedrali Ecclesia iisdem competit.

In Capitulis occurrunt specialia nomina ab antiquo civitate donata. *Canonici juniores* sunt postremo nominati, qui antehac festa mobilia promulgabant, et hebdomadarium impeditum supplebant, quod posterius actu praestant. *Canonicus hebdomadarius* aut *turnarius* juxta seriem officium divinum peragens. *Canonicus Episcopus*, dum Episcopus etiam Canonicalem Praebendam tenet. *Canonicus Doctor* seu gradu Doctoris ornatus. *Canonicus Monachus*, dum quis retenta Canonicali Praebenda Monachus fit. *Canonicus jubilatus*, qui expletis in Capitulo laudabiliter 40 annis a Canonica Residentia solvitur.

---

[1]) Hist. Cap. Quinq. Eccl. per Paulum Aigl Can. conscripta.

§. 41. Canonici Honorarii.

Cum in Dioecesibus plures Viri aetate et meritis conspicui reperiantur, quos ad Capitula promovendi occasio non obtingit; sed et ut praeter Capituli locum, etiam in insignioribus civitatibus ac oppidis penes curam animarum desudantes Viri Ecclesiastici distinguantur, et majori cum auctoritate muneri suo praesint; inducti sunt tituli honorarii Canonicorum, qui cum antea per Episcopos conferrentur, a fine saeculi prioris, a collatione Suae Majestatis SSmae Episcopis facultate, et quidem non tres, ast *unum proponendi*, concessa, dependent. Canonicis Honorariis, excepto Ordine Capitulari, omnes aliae decorationes, prout Canonicis Actualibus, et honoris praerogativae competunt; imo iidem etiam ad exequendos actus fidedignitatis publicae exmitti poterant. Eorum Installatio peragitur per Cantorem, ea modalitate qua aliorum Actualium Canonicorum peragi consuevit.

§. 42. De Succentore, et Praebendatis.

Dum Capitula a communi vita recessisent, crebro evenit, quod Canonici, sive per dispensationem, sive abusu, in aliis etiam Ecclesiis Ministerium S. susceperint; pro quo casu in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, statuere debebant Individuum, quod vice eorum fungeretur, unde *Vicarii Cathedralis* aut *Collegiatae Ecclesiae* nomen. Successu temporis, in Capitularibus Ecclesiis, praesertim majoribus, plures idmodi Vicarii sunt constituti, qui aliis obligationibus, aetatis item, aut infirmitatis incommodis impeditos Canonicos in persolutione Divini Officii suppleant. Vicarii hi in aliquibus Ecclesiis velut Beneficiati ejusdem Ecclesiae considerantur; uti in Metropolitana Olomucensi Ecclesia praerogativa etiam aspersionis et thurificationis ornati. Esto autem *Beneficia simplicia* possideant; quia tamen determinatae Ecclesiae Ministerio

adstricti forent, aliud incompatibile Beneficium assumere vetantur [1]). In Hungaria *Succentores et Praebendati Ecclesiarum* Metropolitanarum, Cathedralium vel Collegiatarum, iidem sunt cum nunc memoratis Vicariis. Horum officia hunc in modum recenset Episcopo-Vurumianae Visitationis Cathedralis Ecclesiae Nitriensis decretum. „Succentoris Officium est, Praebendatis et Choralistis intendere, num diligenter chorum frequentent, atque ibidem devote, ac attente psallant; absentantes semet a Choro Domino Cantori denunciabit. . . . . Curam insuper geret Antiphonalium, Gradualium, Breviariorum, caeterorumque librorum choralium, quorum accuratam habebit consignationem, penes quam, dum eum mutari contigerit, Successori in Officio eosdem resignabit, suo damno luiturus, si quid deperditum fuisse evenerit. Praebendati praeter frequentationem Chori obligati sunt feriatis diebus, Missam Conventualem, sive una, sive plures ex praescripto ritu cantandae sunt, celebrare; in Missis per Canonicos decantandis et Votivis assistere.“ In quo Decreto simul et id disponitur, ut Succentor habeat libellum, cui inserat Missas pro se et Praebendatis fundatas, aut loco aegrotantium Canonicorum, qua die et per quem absolutas; quem cum fine cujuslibet mensis Cantori pro combinatione exhibere teneatur. De caetero ut lectioni spiritualium, aliorumque utilium librorum sese impendant, S. Sermones elaborent, atque in his dicendis ad populum, Parochos civitatis subinde adjuvent, monentur. In nonnullis Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, quibus cura animarum adnexa est, Cooperatores etiam agunt hoc quoque titulo ampliora merita sibi comparantes. Ubi autem cura animarum non est connexa, Succentor, praescripto tempore particulas in Ciborio renovat; ut Sabbato Sancto ad Benedictionem fontis, aliisque festivitatibus cuncta rite praeparentur, inspicit; in coena Domini, liquores sacros antiquos curat poni ad comburendum in lampadibus ante Sanctissimum, et novos, retenta pro usu Cathedralis Ecclesiae parte, dextere et sine mora pixidibus per expressos adlatis imponit; quos erga pecuniam, aut aliud munus, sub poenis in Simoniacos latis dare vetatur; *aut vero nulli sub praetextu medicinae vel maleficii tradere praesumat, secus honore privandus.* C. 8. de Simonia.

[1]) C. 1. et 5. de Off. Vic.

CAPUT VII.

De Variis Officiis Ecclesiasticis.

§. 43. Archi-Diaconi, et Archi-Presbyteri.

E S. Canonibus et historia constat *Archi-Diaconorum* jam antiquissimis temporibus, auctoritatem, jurisdictionemque inter omnes Clericos post Episcopalem supremam fuisse. Origo hujus repetenda venit ab epocha illa temporis, dum Spiritualium Cura per Episcopos Presbyteris, quibus praeerat Archi-Presbyter, relicta, Diaconi originarie ad ministrandum mensis constituti, cuncta temporalia administrabant et dividebant, atque per id successu temporis tantum influxum obtinuerunt, ut e favoris praefidentia Presbyteros posthabere, et contemnere non erubuerint; quod ipsum ex epist. S. Hieronymi ad Evagrium scripta, quae, ut jam supra de superioritate Episcoporum prae Presbyteris, dictum est, in acrius perstringendis Diaconis versatur, luculente patet. Archi-Diaconus seu Princeps aut Primus Diaconorum, oculus etiam Episcopi per Canones dictus; in omnibus erat Vicarius Episcopi, totiusque Dioecesis cura ad eum pertinebat, ita ut etiam Archi-Presbyter eidem subordinaretur [1]). Ob correlationes has, et eximia munia quibus successu temporis gaudebant Archi-Diaconi, — esto eosdem in Dia-

[1]) C. 1. de off. Archi-Diac. et C. 1. de off. Archi-Presb.

conatu stabiliter manere, neque altiores gradus appetere oportuisset [1]), passim tamen Presbyteratus Ordinem susceperunt; finaliter autem saeculo 12° universalis mos invaluit ut Archi-Diaconi aut ex Presbyteris fierent; aut si Diaconi erant in Presbyteros ordinarentur. Interim sicut opitulantibus Episcopis Auctoritas Archi-Diaconorum justo plus crevit, ita iisdem volentibus subseque diminuta est. Temporibus Concilii Tridentini adhuc causas correctionis Clericorum, tum Matrimoniales discutiebant, quod tamen Sessione 24ª C. 20 de ref. et 25ª C. 14 de ref. sublatum habetur, eorumque Jurisdictio vix non penitus desiit. De praesenti Archi-Diaconi Personatum habent, atque omnis eorum activitas in eo consistit, quod dum per Episcopum exmittuntur juxta formam in Conc. Triden. praescriptam [2]), Visitationem in suo Archi-Diaconatu peragant, vel vero Episcopum Visitantem provocati comitantur. Neo-Nominatos Parochos, per Ordinarium canonice institutos in — et ad reale Beneficii possessorium introducunt, tum in nonnullis Dioecesibus Ecclesiarum Archi-Diaconatus sui, prout et Beneficiatorum Manipulationis Substantiae Rationes superrevident. Ecclesias, Capellas, Statuas benedicunt, si vero extra gremium Capitulorum sunt, simul etiam munere Parochiali funguntur, uti in A.-Dioecesi Agriensi, Dioecesi Szathmariensi, Cassoviensi, Neosoliensi.— *Archi-Presbyteri*, apud Graecos Protopopae, olim in functionibus Ecclesiasticis et liturgia, vices Episcopi sustinuerunt; ideo etiam *Adjutores Ministerii Episcopalis* dicebantur. Ubi de praesenti in Capitulis existunt, nulla speciali jurisdictione gaudent. Extra Capitula in Austria, quibusdam civitatum Parochis titulus Archi-Presbyterorum est affixus absque praerogativa, et Archi-Presbyteri hi, *Archi-Presbyteri nati* dicuntur. In Borussia, Ducatu Badensi, et aliis Germaniae Regnis Archi-Presbyteri obeunt munia Vice-Archi-Diaconorum.

---

[1]) Dist. 60 C. 1. et 3. — [2]) Sess. 24. C. 3. de ref.

§. 44. De Vicario Episcopali.

Vicarius Episcopi ad dictinctionem a Foraneis, et Parochiarum, aliisque Vicariis, *Generalis* dictus, est persona Ecclesiastica jurisdictionem Episcopalem auctoritate, vice, et nomine Episcopi exercens. Conc. Tridentinum nomina Vicarii et Officialis Episcopi identice summit, et Curia Romana iisdem pariter unum, eumdemque significatum tribuit, atque Officialis nomine, Vicarium etiam Generalem intelligit. In Hungaria nomini Officialis correspondet nomenclatio *Causarum Auditoris Generalis*; aut magis adhuc *Substituti Praesidis Consistorialis*, quales per nonnullos Episcopos ad contentiosam jurisdictionem exercendam praeficiuntur. Vicarius Generalis quatenus praeeminentiam et jurisdictionem habet, inter *Dignitates* refertur; jurisdictionis tamen ejus limites ponit Voluntas Episcopi, cujus vice fungitur. Non potest nisi cum expressa facultate in graviores Clericorum excessus inquirere, et eos Beneficio privare [1]); item Beneficia Episcopalis collationis conferre [2]); potest tamen nominatos aut praesentatos investire [3]); Canonicam autem Visitationem praesuscipere, aut proprio motu Synodum Dioecesanam cogere nequit; sed et ad id, ut a casibus reservatis, ab Irregularitate e casibus occultis orta, et censuris absolvere possit, indultu Episcopi indiget [4]). Non potest poenas condonare; Statuta confirmare; resignationem Beneficiorum acceptare; Dimissorias nisi Episcopo in remotis agente concedere, neque Sedi Apostolicae Oratorum citra Episcopi assensum preces substernit. Brevia tamen *Officiali* inscripta rite exequitur. Absente Episcopo in judiciis praesidet, et cum personam Episcopi sustineat, a Vicario non ad Episcopum, sed ad Metropolitam fit

---

[1]) C. 2. de Off. Vic. in 6°. — [2]) Ib. C. 3°. — [3]) C. 3 de Instit. — [4]) C. 23. de poenit. et remiss. in 6°. Conc. Trid. Sess. 24. C. 6. de refor. — [5]) C. 3. de temp. Ord. in 6°.

appellatio. Caeterum Vicarii Potestas est temporanea, usque ad revocationem, renuntiationem item; tum mortem Episcopi vel legaliter suspensam, aut cessantem hujus jurisdictionem perdurans.

§. 45. Vice-Archi-Diaconi, et eorum Officium.

Crescente fidelis populi multitudine, et hoc ipso etiam Cleri numero in Dioecesibus passim latissime diffusis aucto, utile, imo necessarium videbatur, ut iis, qui ruri per minores titulos curae animarum praeerant, e medio eorum delecti, atque experientia, aliisque qualitatibus semet prae caeteris distinguentes, vel opportunius situati, Presbyteri, tum ad Fratres suos in gravi munere Pastorali Consilio et opera adjuvandos, cum etiam recto ordini, Cleri et populi moralitati, observantiae disciplinae intendendum praeficiantur, Episcopo, velut Supremo in Dioecesi Pastori, et coram Pastore Pastorum oneri responsionis obnoxio, de compertis informationem praestituri. Qui cum olim decem Parochiis praeficerentur, per Canones *Decani* dicti sunt apud nos autem *Vice-Archi-Diaconorum* nomine veniunt. Concilium Agathense in Gallia 506 celebratum, existentiam Decanorum jam praesupponit, eosdemque cum Archi-Presbyteris identificat; nam desumpta ex eodem Concilio Dist. 50. c. 64. habetur „*ibi adesse debent Decani, id est Archi-Presbyteri Parochiarum et Presbyteri poenitentium.*“ Ubi Archi-Presbyteri a Decanis in Canonibus distinguuntur, Archi-Presbiteri intelligendi sunt, qui in Civitate Cathedrae Episcopalis, Officio fungebantur, et ruralibus potiores erant. Ob amplitudinem itaque territorii, et Cleri ac fidelium multitudinem, Dioeceses divisae sunt in *Districtus* aut Decanias, quorum sicut limites defigere, easdem utilitate exposcente extendere vel restringere, dismembrare vel unire, ita his Vice-Archi-Diaconos viros fidei integrae praeficere ad Episcopi jura pertinet; per exceptionem tamen, ex commissione Episcopi, retento sibi jure confirmandi, Vice-Archi-Diaconus nonnunquam in Conventu Ecclesiastico liberis Fratrum votis eligitur. In electione autem idmodi, nisi Episcopo aliter videatur, *activa voce* gaudent cuncti in Districtu cura animarum occupati, adeoque subsidiarii, et Regulares etiam sacerdotes; *passiva* vero, Parochi, et *stabiles* Parochiarum *Administratores;* non praesentati enim et ad nutum amovibiles, — inter quos Guardiani et Priores Conventuum, qui qua tales Parochias administrant, referuntur, — eligibiles non sunt. *Destitutio* Vice-Archi-Diaconi, quae interim e causis justis et non vulgaribus fit, unice Episcopo competit. Decani rurales seu Vice-Archi-Diaconi, nullo unquam tempore *jurisdictione externa* praediti erant, et illorum officium semper ad inspectionem tantum restringebatur. Sphaera eorum, in Decretalibus c. 4. de off. Archi-Presbyteri in hunc modum exponitur „Singulae Plebes Archi-Presbyterum (intelligitur Decanus) habeant. Propter assiduam erga Populum Dei curam, singulis plebibus Archi-Presbyteros esse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuncient.“ Jure itaque communi, Vice-Archi-Diaconi moralitati Cleri et Populi Districtus sui intendunt, ac desuper relationes Episcopo praestant; commissa sibi exequuntur; demum Visitationem peragunt, cujus acta intra 30ª dies Episcopo substernere obligantur [1]). Praeter haec omnis eorum activitas ab usu et consvetudine, e statutis et concessione Episcopi, demum relate ad nonnulla objecta ab Altissimis ordinationibus dependet. Officia juxta modernam disciplinam, fere in tota Monarchia Austriaca Vice-Archi-Diaconis, Decanis aut Vicariis communia isthuc revocantur:

[1]) Conc. Trid. Sess. 24. c. 3. de ref.

§. 46. Moderna Officia Vice-Archi-Diaconorum.

Destinatio Vice-Archi-Diaconi ea est, ut vigilet, num in Districtu sibi commisso, omnia rite, et secundum praescriptum decurrant; num defectus aut excessus, in Clero et Populo non observentur; item num impedimenta non objiciantur, prosperum curae animarum decursum sistentia. Est itaque Vice-Archi-Diaconus primus Censor morum, ad quem cura Personarum, et rerum totius Districtus pertinet; quive de Ecclesiasticis et cum his intimum nexum habentibus Scholarum objectis, Episcopo ac respectivae Scholarum Directioni refert, acceptas inviationes exequitur, aut ut eaedem effectum sortiantur, intendit. Destinationi huic conformiter, sphaera Vice-Archi-Diaconi alia est, quae *Administrativam* Jurisdictionis Episcopalis partem concernit; alia vero semet ad *Inspectionem* refert; quae utraque sequentes obligationes eidem imponit; et quidem *sphaera Administrativa:* — a) De cunctis in Districtu suo mutationibus Ordinario relationem praestat. — b) Dum quis e Parochis vel Administratoribus in infirmitatem incidit, ne in cura animarum defectus oriatur, providet. — c) Aegrotorum Sacerdotum curam gerit, eorumque saluti aeternae, et temporali procurandae intentus est. Obitum Fratris Districtualis Ordinariatui significat; Testamentum pro Adprobatione substernit, et ubi opus est, si nempe Parochus moriatur Cooperatore destitutus, Administratorem interimalem, usque subsequutum ab Episcopo responsum constituit. Praeterea quoad sepulturam necessaria disponit, ac adveniente tempore hanc ipsemet peragit, aut peragendam alteri committit. — Circa remansam substantiam, quamvis juxta provisoriam pro actibus extrajudiciariis legem [1])

[1]) Gesetz über das gerichtliche Verfahren in Rechtsangelegenheiten außer Streitsachen. 9. August. 1854.

sequestratio, obsigillatio, ac inventatio ejusdem ad Personam judicialiter deputatam pertineat; Vice-Archi-Diacono tamen curae esse debet, ne facto cujuscunque, aut prodiga dispensatione substantia diminuatur, taliterque et jus proprietatis laedatur, et saepe pientissimis Testatoris destinationibus decerpatur. Caeterum autem, tenore legis ejusdem §. 56', remansa post Curatos officiosa Documenta et libros, uti: baptisatorum, copulatorum, confirmatorum et mortuorum matricas, Ecclesiastica et Officiosa Ordinationes Caesareo-Regias et Dioecesanas continentia Protocolla, Protocollum item Rationum, Diaria, historiam Parochiae et Domus, Visitationes Canonicas, Inventaria Ecclesiae et Parochiae; Ecclesiam et Parochiam respicientia documenta; prout et conscientiam vel disciplinam concernentia privata scripta, ad proprium elenchum referenda, erga recognitionem operanti personae judiciariae extradandam, aut ipsemet recipit, aut legitima causa impeditus, Districtualem secretarium pro receptione exmittit. Quantum residuam memoratae legis hoc in objecto dispositionem attinet, haec pro directione isthic in compendio sistitur. Testamentum quippe et Codicillos, si non sint obsigillata, juxta §. 41. publicat exmissa Persona judiciaria; obsigillata vero Praesidi Judicii transponuntur, qui illa aperit, publicat adhibitis adminus duobus testibus, quorum unus potest esse idem, qui Testamentum tulit. Si Testator plures testamentarias dispositiones reliquit, omnes attacta modalitate publicantur; atque in utroque casu Protocollum actus hujus conficitur, per testes subscribendum. Deputatus proinde Judicii ex dispositione §. 40' jure pollet, de existentia Testamenti e domesticis, et aliis correlationes defuncti noscentibus, informationem capiendi, ac pro re nata armaria, semper tamen cum requisito moderamine pervestigandi; qui etiam in conformitate §. 45. et 48, ad casum, dum necessitate subversante obsigillatio rerum

praesuscipienda est, pecunias, aurum, argentum, pretiosa, obligationes et momentosa Documenta — confecto super his elencho, eoque haeredi; aut cui cura substantiae incumbit, consignato, recipit, et Judicio per quod exmissus est, ad depositum resignat. Pro adornando Inventario exmissus Commissarius, juxta §. 95, praeter necessarios ad aestimationem aestimandorum artis peritos, semper binos Testatoris domesticos, aut alios fidedignos viros, qua testes adhibere debet. Insuper haeredes, praesertim in vicinia habitantes, item Testamenti Executor, officiose vocandi sunt. Idmodi judiciaria persona, celerius quo fieri potest, Inventarium conficere, ab omnibus arbitrariis dispositionibus sub gravi onere responsionis abstinere obligatur, neque eidem integrum est, etiam pretio quidpiam pro se retinere. Vigore §. 107. ad Inventarium post obitum Beneficiatorum conficiendum, Ecclesiasticus quoque Commissarius Vice-Archi-Diaconus vocandus venit; substantia Beneficialis a propria Testatoris separatur, et quantumnam remansam substantiam ex anni mortualis proventu concernat, calculus ducitur. Praescripta per civilem legem manipulatio, etiam in substantia Cooperatorum, vel pensionatorum intra Districtum existentium Presbyterorum accommodative ad circumstantias obtinet. — Porro Vice-Archi-Diaconus — d) occasione cujuscunque in Beneficio mutationis consulta Visitatione Canonica, aliisque actis, Protocollis, et Diariis revisis universa, quae ad Ecclesiam ejusque peculium, pias Fundationes, Parochiam, Bibliothecam parochialem, et fundum instructum pertinent, sive interimali Administratori, sive successori in Beneficio penes rite confectum Inventarium resignare tenetur. Qua occasione, Debitores e Fisco, et piis Fundationibus, — in quantum hae sub Administratione Beneficiati existunt, — capitalia habentes, convocat, et cum modestia de realitate debiti, num item Capitali alicui periculum non immineat, sciscitatur, atque de compertis ordinario indilatim refert. — e) Dum Beneficiatus ad Beneficium capessendum, aut Cooperator ad Districtum venit, vel rude nefors donatus Sacerdos intra Districtum domicilium figit, apud Vice-Archi-Diaconum semet praesentare obligatur; Parochus Investituram eidem exhibet, et si Vice-Archi-Diaconus est ad Installandum commissionatus, fine hujus peragendae terminum praefigi orat; quam pro opportunitate praestituere, non secus f) inter Antecessorem et Successorem proventus Beneficialis divisionem instituere ad officium Vice-Archi-Diaconi pertinet. Quo in negotio qualiter procedendum sit, cujuslibet Dioecesis statuta disponunt. — g) Similiter occasione mutationis sive in Beneficio sive in Cooperatura factae, dum Curatus e Fundo Religionario Congruam aut Subsidium participat, super morte, abitu e Beneficio aut Cooperatura, et alterius aditu, in quietantia congruam vel subsidium e Fundo publico levantis, testimonium perhibet [1]). h) Conventus Ecclesiasticos, seu sic dictas Congregationes Districtuales, indicit, et sub praesidio suo celebrat, Protocollumque eorum, quae in Conventu intervenerunt, per Secretarium Districtualem deductum, cum concernentibus actis, Ordinario substernit. Scopum et momentum Congregationum Districtualium Josephus Wurum Episcopus Nitriensis dimissa ad Clerum die 4ª Novembris 1828. Encyclica adumbrat hunc in modum: „ut videlicet unius, ejusdemque Districtus Animarum Curatores, et S. Ministri medio horum conventuum sacerdotalem et fraternam inter se unionem conservent; deque pastorali officio, et statu Ecclesiarum suarum conferant; ad uniforme S. Ministerii exercitium semet excitent, atque abusibus et excessibus, si qui irrepsissent, seu in Populo, seu in ipsis Pastoribus, vel mutuis consiliis quoad possunt occur-

[1]) Intm. de 12ª Mart. 1799. Nro 23980.

rant, et medeantur; vel si id nequeant primi Ordinis Pastorem edoceant, ac informent, atque sic quodammodo quasi Dioecesanae Synodi vicem supplere contendant." — Conventus hi duplices sunt, *Ordinarii seu periodici* et *extraordinarii*. In Conventibus periodicis agendorum series praescripta habetur. Clerus quippe superpelliciis et stola indutus, sub solemni campanarum pulsu processionaliter procedit ad Ecclesiam, in concursu Populi Divinis vacaturus. Cum reditu mox Conventui initium datur ab invocatione S. Spiritus. — Praevie propositae e Theologia et Jure Canonico quaestiones, discutiuntur; deductiones, prout et e S. Sermonibus, a postrema Congregatione dictis, et per quemlibet praesentandis, unum fortuito delectum, Vice-Archi-Diaconus colligit. Tum intervenientes intermedio tempore Altissimae et Dioecesanae Ordinationes, eo scopo releguntur, ut si circa illas quidpiam dubii alicui occurrat, dubium idmodi per caeteros clarificari, vel vero in Protocollo dilucidatio expeti valeat. Demum Vice-Archi-Diaconus, num impedimenta quaepiam curae animarum non objiciantur; de moralitate item servorum Ecclesiae, populique fidelis statu perquirit; ad quas quaestiones, quilibet ingenue respondere, et occurrentes quoscunque casus exponere obligatur, in Protocollo genuine praenotandos. — Conventus *extraordinarii* celebrantur vel ex speciali dispositione Praelati, aut vero, dum occurente gravi aliqua difficultate, consilia in medium conferenda veniunt. Sed et *Conventum* idmodi *Ecclesiasticum* Vice-Archi-Diaconus semel per annum, et opportunissimo quo fieri potest tempore ac loco, — ad communem Cleri, non secus ac Populi aedificationem, spiritualemque utilitatem, provide inductorum S. Exercitiorum causa indicit; de quibus, ubi et qua serie peractis pariter relatio praestanda venit. i) Insuper providet, ut ordinationes Jurisdictionis sacrae et Profanae, absque omni impedimento et quo celerius per Districtum communicentur. Quo scopo, tenore Intim. de 31ª Jan. 1786. dispositum habetur, ut Episcoporum, Vicariorum, Consistoriorum ordines et Rescripta, Judices locorum, ad suas competentias sine mora promoveri facere teneantur. k) Demum sicut Bibliothecae Districtuali rite conservandae, et operibus utilibus locupletandae studere; ita etiam Protocollum et Archivum actorum Vice-Archi-Diaconalium completum, debiteque regestratum habere debet.

§. 47. Visitatio Canonica Decanalis.

Inter numerosa officia Vice- Archi-Diaconalia, maximae indaginis est, periodica Ecclesiarum et Parochiarum *Visitatio*. — Visitationis per Decanos instituti solitae Conc. Tridentinum meminit, et eandem porro asservandam disponit [1]); ideo Visitatio haec *Canonica* dici potest. Periodica Visitatio, quotannis peragitur mense Novembri; excepto anno illo, quo Episcopus ipsemet canonice visitat. Ejus asservandae terminum Vice- Archi-Diaconus tempestive praefigit, et ad notitiam etiam Populi perfert. In Austria conjunctae sunt cum hac externae quaedam solemnitates, et tam officiales publici, quam Primores Communitatum et Populus eidem interesse jubetur. In omnem casum convenientissime et congregato, ac Vice- Archi-Diaconum Superpeliceo et Stola indutum processionaliter ad Ecclesiam deducente fideli Populo fieri debet. Ubi absoluto clara voce hymno „Veni Sancte" primum proles, aut etiam Adultiores Vice-Archi-Diaconus Doctrinam Religionis examinat. Dein accingit se Visitationi Tabernaculi, et sub cantu „Sanctus" benedictionem cum Ciborio elargitur. — Num altare tabellis Canonis, tribus linteis, minimum 4 candelabris provisum? num baptisterium mundum et

---

[1]) Sess. 24. c. 3. de Ref.

clausum sit, inspicit; intrat sacristiam, vestesque sacras num eaedem in sua integritate et mundae; vasa, in specie calices num debite inaurati, missalia item et ritualia integra sint; num Tabella missarum Fundationalium ibidem publice pendeat, et preces praeparatoriae ad missam cum flexorio existant, indagat. Tum pervestigat Ecclesiae internam, et externam fabricam, et comperta indilatim praenotat. In Parochia sciscitatur de servitorum Ecclesiae, obstetricum, Populi moralitate; num praeceptorum Dei et Ecclesiae publici praevaricatores, blasphemi, potatores, aut dissentientes conjuges non existant, quaerit; ac hos posteriores conciliare contendit, ad excessuosos autem emendandos media opportuna suggerit. Num cultus publicus praescripto tempore, una cum Institutione pomeridiana rite asservetur; sacramenta prompte administrentur; Schola bis per septimanam inspiciatur, et proles ibidem catechisentur; num item in aede Parochiali nihil sit, quod offendiculo esset, omni cum circumspectione indagat. Cavebit autem ne famulo nefors suo, secum in Parochia commoranti, seu adjunctorum domesticorum occultam explorationem imprudenter committat, aut eidem narrare volenti, aures obsequentes praebeat. Porro Matricas, an hae rite et juxta praescriptas rubricas ducantur, et sicco ac securo loco conserventur; an liber Rationum, Diarium, manualium stipendiorum Protocollum praeexistat; num Protocolla debite scribantur? inspicit; an Fiscus contra-seratura provisus et integer sit; item de Capitalium securitate semet capacitet; tum residentionale et oeconomicum aedificium pervestigat, ac ad observatos nefors defectus reflectit, et eos notat. De tenutorum Parochialium integritate, numve in proventu Beneficiali Curatus falcidiam passus non sit, percontatur. — Quibus in Parochia finitis, qua Scho-

larum Districtus sui Inspector [1]) Visitationem in Schola continuat, ubi proles examini subjicit, et num institutio rite decurrat, numve huic unde unde demum impedimenta non opponantur, item circa statum aedificii, quoad subsistentiam Ludirectoris et Instructorum, accuratam competentiae praestationem, tum de eorum moralitate, diligentia, activitate, cum prolibus agendi modo sciscitatur; et si defectus corrigere, aedificii restaurationem, et competentiae accuratam praestationem suo interventu procurare potest, malis efficacem medelam continuo adferre contendat. Caeterum Vice-Archi-Diaconus, qua Districtualis Scholarum Inspector, praescriptae speciali circa Scholas et earum Visitationem normae semet eo promptius conformabit, quo magis perspectum est, Scholam, Ecclesiae intime junctam esse, atque ad florentem hujus internum et externum Statum plurimum conferre posse. Privatae Scholae, si quae in gremio Districtus existunt, etiam Visitationi Vice-Archi-Diaconali subsunt; ubi specialiter ad id reflectendum veniet, num privata idmodi schola Altiori praescripto per omnia conformata, et Docens nulli exceptioni obnoxius sit. — Praeterea Xenodochia, Capellas, Statuas, Caemeteria et horum cincturam, num quippe pecoribus non pateant, aut quaqua ratione non profanentur? inspicit.

---

1) Vid. etiam Int. de 10° Maji 1831. Nro 12811; de 16. Juli 1845. Nro 25234.

Finita omnium Ecclesiarum et Parochiarum Districtus sui Visitatione, Vice- Archi-Diaconus tabellarem relationem Ordinario praestat, juxta sequentes rubricas:

Dies peractae Visitationis.	Nomen Parochialis Ecclesiae; status ejusdem internus et externus; an reparationis indiga?	Num supellex Ecclesiae in debito ordine et munda reperta?	Num bona immobilia integra existant, et domestice colantur, vel exarendata sint?	Num Capitalia Ecclesiae cum omnibus securitatis cautelis elocata? et an Fiscus integer inventus et contra-seratura provisus sit?
Num Sanctissimum in Tabernaculo decenter conservetur?	An fons baptismalis sit clausus et mundus?	Num libri Rationum, Diaria, Protocolla Ordinationum et Matricae exacte ducantur, numve loco sicco, et securo conserventur?	Aedes et tenuta Parochiae in quo statu reperiuntur? an praejudicium aliquod illatum, et ubi quaesita medela?	Status Aedium et tenutorum Scholae quis? de Ludimagistri solertia, Instructore, Didactro

De Syndico; Aedituo; vespillone; num obstetrices peritae, et bene moratae sint?	Num caemeteria rite cincta et pecori inaccessibilia? an cruces, statuae, Capellae in bono statu? num in Xenodochio defectus quispiam non existat?	Quae sit Populi moralitas? an ignorantia in rebus Religionis non observata?

Caeterum cum relatio haec summaria sit; si sive gravior quispiam defectus corrigendus, sive aedis restauratio proponenda est, id distinctim, et circumstantialiter fieri debet. In Beneficiis ad provisionem Fundi Religionis, et Studiorum pertinentibus, aut Patrono destitutis, caeterisque ad privatos Patronos non spectantibus, occurrente restaurationis casu, Vice-Archi-Diaconus assumpto Architecto, et requisito Circulari publico Officiali, respectivas Aedes pervestigari procurat; tum sumptuum Projectum debite conficitur, currentibus pretiis Materialium accommodatur, Manualibus et Jugalibus operis, quas Parochiani gratuito praestare tenentur, exmissis. Vice-Archi-Dia-

conus illud subscribit; Circularis Officialis autem et necessitatem restaurationis recognoscit, et pretia exposita in partibus illis currentia esse testatur. Ita confectum sumptuum Projectum Ordinario fine impetrandae Resolutionis et Assignationis sumptuum necessariorum, penes specialem remonstrationem Vice-Archi-Diaconus substernit.

Officia e Sphaera Inspectionis promanantia.

Super cujuslibet Districtus sui Communitatis Religioso-morali statu, Vice-Archi-Diaconus solerter vigilat. Iuventutis religiosae educationi conscientiose intendit; num sacerdotes Districtus, non secus et servi Ecclesiae incumbentibus sibi obligationibus satisfaciant, curae sibi sumit. Defectus minores, si qui intra Districtum irrepserint, corrigit, graviores autem excessus, pro medela Praelato sine mora refert. Relate ad aberrantes Fratres corrigendos, normam evangelicam observandam habet; primum quippe: *corripit eum inter se et ipsum solum,* aberrationem autem non propalat; si Frater non emendetur, adhibito teste; tum in Conventu Ecclesiastico talem admonet; pertinaces et non resipiscentes ordinario denunciat. Enatas minores controversias amicabiliter componit; sed et ne quis Cusatorum alieno aere se ultra vires gravet, invigilat.

Praeter praescripta, sequentes adhuc periodicae relationes praestandae, et operata submittenda veniunt:

Mense Februario. Relatio de piis Fundationibus decursu elapsi trimestris in Districtu factis, et quidem juxta praescriptas rubricas in duplici exemplari substernenda; quae etiam mense Majo, Julio, et Novembri praestari debet. Relatio de absolutis per respectivos Curatos Fundi Religionis Missae Sacrificiis.

Mense Majo. Ad initium, casus conversionum et defectionum, pro semestri a 1ª Novembris usque ultimam Aprilis computato; similis autem relatio rursus *pro altero semestri* initio Novembris praestanda venit. — Extractus Matriculares pro anno priore, per Vice-Archi-Diaconum authenticati. Tabellaris de Scholis relatio.

Mense Septembri. Numerus animarum, caeteraeque notitiae pro conficiendo Dioecesano Schematismo. — Item Status Personalis Religiosorum intra ambitum Districtus existentium.

Mense Octobri. Relatio de prolibus Scholas frequentantibus et earum profectu, juxta praescriptas rubricas. Symbolae pro Missionibus: Leopoldinis; Hierosolymitanis; et Africanis.

Mense Novembri. Relationes de Mixtis Matrimoniis, juxta novissime praescriptas rubricas; et quidem quotannis de omnibus praeexistentibus mixtis Matrimoniis. — Statisticae Tabellae initio Novembris juxta rubricas deducendae, et per Vice-Archi-Diaconum authenticatae politicae Jurisdictioni resignandae. — Hoc mense Rationes Ecclesiarum excipiuntur, quas Vice-Archi-Diaconus cum convocatis, Patrono vel ejus Repraesentante, Communitatis Primoribus, et Syndico, censurat; combinationem Capitalium, num ex his aliquot errore non sit exmissum, instituit; obligatoriales inspicit; remanentiam renumerat et quorsum haec impendenda veniat, consilia init. De universis autem Supernatantiis juxta sequentes rubricas in duplici exemplari relatio praestari, et adplacidatio erogationis peti consvevit:

Nomen Ecclesiae, Capellae, Xenodochii.	Perceptio Annua, cum remanentia anni prioris.	Erogatio decursu anni	Supernatantia Cassae.	Num aliquid e remanentia in augmentum capitalium elocandum; aut quo impendendum?	Facultas et Resolutio Episcopalis.

Rationes rite censuratas, tam fusas, quam et extractuales, seu Status activos et passivos ad officium Dioecesanum transponit.

§. 48. De Praerogativis Vice-Archi-Diaconorum.

Vice-Archi-Diaconus, vi muneris sui, est inter Ecclesiasticos Districtus sui primus, qua talis honoris et praecedentiae praerogativa gaudens. In Hungaria V. A. Diaconi habent jus gestandi cingulum violaceum, et *passim* specialibus per Episcopos Facultatibus providentur; inter quas est, facultas Paramenta et utensilia ad Missae Sacrificium necessaria, ubi non intervenit Sacra Unctio; prout et Coemeteria, Cruces et Statuas, — quarum erectio praevie per Episcopum admissa est, — intra Districtum suum ritu praescripto benedicendi; item Poenitentes in casibus Episcopo reservatis absolvendi. Quae tamen a speciali Episcopi concessione pendent. — In Officiosis Correspondentiis a portorio Postae immunes sunt. Vigore Rescripti Ministerialis dto 17ae Augusti 1851. Nro $\frac{13366}{391}$ si praeter Officium suum, in aliis publicis Negotiis exmittantur, diurna 9ae Classis iisdem competunt; et in Officiosis quatvor equorum praejunctura utuntur.

Nota. In dimissa per Episcopum Josephum Vurum, Officii V. A. Diaconalis coordinativa dto 15ae Novembris 1827. Constitutione, praeferenter memoria digna est, coordinationi praemissa admonitio: „Ac primum quidem, ut subordinati V. A. Diaconis Parochi et Curati Districtuales debitum ipsis honorem, atque in rebus Officii sui obedientiam, tamquam Nostras et Archi-Diaconorum Vices gerentibus praestent, Monitionibus, ac Dispositionibus ipsorum prompte pareant, serio ac districtim praecipimus. Deinde autem, ut ipsi quoque Munere suo rite, solerter, et absque ne-

gotiorum procrastinatione fungantur, et obsecramus et monemus, atque una Paterne hortamur in Domino, ut sicut reliquis Officio praeeminent, ita et vitae, morumque honestate, ac zelo Pastorali praelucentes, cunctos ad sui imitationem pertrahant; erga omnes vera fraterna charitate et aequali affectu ferantur; non sint acceptatores Personarum, ut nonnullorum Fratrum errata severius redarguant, aut etiam deferant, aliorum vero tacendo dissimulent."

CAPUT VIII.

§. 49. De Praelatis inferioribus.

Praelatorum inferiorum, Benedictus XIV. tres classes distinguit [1]). Prima est eorum, qui praesunt personis existentibus intra septa alicujus Ecclesiae, Monasterii, seu Conventus, cum passiva exemptione a Jurisdictione Episcopi; ejusmodi sunt Superiores Regulares. Secunda classis est Praelatorum habentium jurisdictionem activam in Clerum et Populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi Dioecesim, a qua undique circumscribitur. Tertia est, qui Jurisdictionem activam habent in Clerum et Populum alicujus loci, aut plurium locorum, a cujuslibet Episcopi Dioecesi separatorum; quapropter dicuntur constituere quasi Dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae Ordinis Episcopalis sunt, omnia exercet, quae secus ad jurisdictionem Episcopalem pertinent. Hujusmodi Praelati veris adnumerantur Ordinariis, et dicuntur vere et proprie *Nullius*. Abbates Nullius Dioecesis, vigore Jurisdictionis Ordinariae, ipsimet Confessarios constituunt, et certos casus sibi reser-

[1]) De Syn. Dioec. l. 2. c. 11. n. 2. 3. 4.

vant. Praelatura autem vacante, Jurisdictio Praelati ad Collegium Abbatialis Ecclesiae, et respective ad Vicarium Capitularem, modalitate supra exposita eligendum, devolvitur. Idmodi Praelatus est in Hungaria Archi-Abbas Montis Pannoniae. In genere autem ad Cathegoriam Praelatorum inferiorum referuntur Abbates et Praepositi, prout et Generales ac Provinciales Religiosorum Ordinum; quorum jura et obligationes inferius recensentur. Abbates ex usu praecedentiam prae Praepositis habent propterea, quod Ordines Religiosi, qui per Abbates reguntur, antiquiores sint illis, quibus Praepositi praesunt. Praeter Abbates et Praepositos Ordinum Religiosorum, sunt etiam *Abbates et Praepositi Seculares* pariter Praelatis inferioribus adnumerati; horum alii sunt *reales* seu *possessionati*, alii *titulares*; alii *Collationis Regiae*, alii *Praesentationis privatorum*, qui posteriores liberalitate privatorum fundati et dotati, passim Curam Animarum adnexam habent. Abbates et Praepositi titulares, ex usu magis, quam ex instituto Canonum invaluerunt. Quoad hos singulare est, quod juxta Ceremoniale Episcoporum in Synodo Provinciali et Dioecesana, si Dignitates et Canonici capitulariter non procedant; Abbates titulares et habentes usum Mitrae, prae singillativis praecedentiam habeant [1]). In Hungaria Titularium Abbatiarum et Praepositurarum origo repetenda est potissimum ab infaustissimis per Turcas invasionibus, signanter clade ad Mohács, post quam pene semi altero Saeculo Metropolim Hungariae et maximam partem Regni in potestate sua tenuerunt, atque depopulabantur, multis centenis Christianorum millibus ad Turciam abductis, eotum copiosa Monasteria partim in rudus et desolationem versa, partim vero Bona eorum per factiosos violente occupata sunt; nonnulla etiam ex defectu Possessorum ad Regni Co-

[1]) L. 1. c. 31; n. 15.

ronam rediverunt, proventusque eorum usibus belli adplicabantur. Nec per Ferdinandum I. Imp. et Regem de universis Bonis Ecclesiasticis suis Proprietariis restituendis, 1560. editum Decretum, contra Usurpatores eam, quae intendebatur, exeruit vim. Nonnullarum Abbatiarum Bona ad dotandos Episcopatus jam antehac sunt conversa. Ita Bona ad antiquissimam, per Proto-Regem S. Stephanum dotatam, Abbatiam S. Hippolyti Mart. de Monte Zobor spectantia, Rex Mathias Corvinus Episcopo Nitriensi in meliorem Dotationem dedit, contulit ac donavit [1]. Successu temporis, Turcis ex Hungaria plene profligatis, aliquae Abbatiae ad proprietatem Ecclesiae rursus rediverunt, et aut Institutis Litterariis uti Universitati Pestiensi, Fundo Studiorum, Sublimiori Presbyterorum Instituto unitae sunt; aut Viris Ecclesiasticis conferebantur; et hae posteriores 1851. in augmentum dotationis Seminariorum Cleri junioris benigne resolutae habentur; e quibus Abbatia Kapornakiensis jam effective Seminariis fructificat; Abbatiae item Lekér, et B. M. V. de S. Dextera S. Stephani R. H. dum eas vacare contigerit, eodem b. Decreto pariter in scopum hunc convertendae memorantur. Plurimarum tamen Abbatiarum et Praepositurarum memoria dumtaxat et titulus superest. Tituli Abbatiarum et Praepositurarum per Suam Majestatem in distinctionem Viris Ecclesiasticis conferuntur; qui recepta a respectivo Dioecesano Institutione Canonica, jus Crucem pectoralem et Annulum gestandi, usumque Pontificalium consequuntur. Ratione titulorum horum ope Intimati dto 29^ae^ Januarii 1833. N^ro^ 2461. disponitur: ut Episcopi prae caeteris dignos, et in adjunctis, idmodi accessionem suadentibus constitutos pro Abbatibus vel Praepositis titularibus, proprio motu sua via Altissimo Loco proponant; Ecclesiastici

---

[1]) Memoria Episcop. Nitr. pag. 119.

autem ab instituendis scopo hoc recursibus abstineant. — Sed Praepositi Majores, aut Minores Capitulorum, qui ex antiquo et constanti usu vi adeptae suae Dignitatis Pontificalia exercent, Abbatiam vel Praeposituram titularem impetrare non tenentur. Intimatum dto 2^ae^ Aprilis 1833. N^ro^ 8860.

CAPUT IX.

De Parochis.

§. 50. Eorum Origo et Institutio.

Olim, ut jam superius adnotatum est, Paroeciae nomine veniebat Dioecesis Episcopo subjecta; nunc Paroecia, vel Parochia denotat: *certum determinatumque Ecclesia provisum tractum terrae, cujus incolae, ad Animarum Curam ex Officio exercendam, misso per Episcopum, huicque subordinato et dotato subsunt Presbytero, qui Parochus dicitur.* Parochus itaque est Sacerdos, in Communitate sibi assignata, adminiculis vitae provisus, cum subordinatione ad Episcopum, Curam Animarum vi officii stabiliter exercens [1]. Parochi, ex ipsa eorum Officii sphaera desumptis pluribus honorificis nominibus, jam olim decorabantur. *Curati* a Cura Animarum, quam fidelibus impendunt; *rectores Ecclesiarum* dicti, quod regendis Animabus praeficerentur, aut ubi in subsidium laborum Pastoralium plures Ecclesiastici adpliciti sunt, Parochis exclusive jus competit occupationes Spirituales ad scopum suum dirigendi. Tum dicitur: *Sacerdos in paroeciali Ecclesia Officio praelationis fungens* [2]; *Plebanus* a plebe, cui praeest [3]. Potissimum *Pastor Animarum; Sacerdos;* aut *Sacerdos curam paternam ha-*

---

[1]) Conc. Trid. Sess. 24. c. 13. de ref. — [2]) C. 2. de Sepult. in Clem. — [3]) C. 4. de cler. aegrot.

bens; Episcopi in labore Socius; Cooperator in Vinea Domini; Spiritualis judex et medicus. Jam vel ex his, in toto Orbe Catholico civitate donatis nominibus patet, Parochi Officium semper pro momentoso habitum fuisse; ut adeo quaestioni de Origine et Antiquitate Parochiarum et Parochorum immorari, indifferens sit; eo magis, quod opiniones circa ipsam rem non discrepent, sed nomini dumtaxat lis mota esse videatur. — Mox post effusam in Apostolos Spiritus S. Gratiam, qui primum Sermonem Petri receperunt et baptisati sunt, *erant solum in die illa Animae circiter tria Millia* [1]; crescente itaque in dies fidelium numero; cum in populosissimis etiam Civitatibus, unus dumtaxat Episcopus constitui potuerit; necessum erat fideles, qui etiam ob saevientes Persecutiones, — quas saepe Judaei, uti Iconii factum est [2], excitarunt — in populosis cumprimis Urbibus, prout Romae, omnes ad Episcopum Sacra facientem convenire non poterant, remotos item ab Episcopo, et ruri dispersos in coetus dividere, ac Presbyterorum, — de quibus S. Paulus in 1ª Epist. ad Timoth. c. 5. 17. decernit: „ut qui bene praesunt duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina" — spirituali Curae committere. Quodipsum jam Apostolos quoque fecisse, ex Act. Apost. [3] discimus. Id quidem innegabile est, coetus illos in tantum coordinatos non fuisse, ut Parochia, cui praeerat Presbyter certis ac determinatis limitibus constringeretur, prout nec Presbyteri fidelibus praepositi jurisdictio constabilita erat; Episcopi quippe immediate incumbebant Curae Animarum, et Presbyteris ea dumtaxat, quibus sive ob ampliorem extensionem Dioecesis, sive ob majorem numerum fidelium exequendis ipsimet impares erant, commiserunt. Interim praecisionem circa Parochias, Parochos, eorum Jura et Officia nunc vi-

1) Act. c. 2. 41. — 2) Act. 14. — 3) C. 14. 32.

gentem, quis quaerat in incunabulis Ecclesiae? cum plane nec temporibus Concilii Tridentini omnes Parochiales Ecclesiae certos fines, et Rectores earum determinatum proprium populum habuerint [1]. — In Ecclesia Romana, a qua caeterae formam desumpserant, mox cum exordio Saeculi 2di limites Parochiarum magis defigi coeperunt; ita legitur Evaristum Papam Ecclesiam Catholicam ab Anno 100—109. gubernantem, Romae titulos (Parochias) erexisse. Hujus Successores Ecclesiae rebus coordinandis pari vigilantia et zelo intenti, Parochiarum coordinationem speciali cura complectebantur. Baronius enim ad annum 70. §. 17° de Dionysio Papa regendae Ecclesiae anno 259° admoto loquitur: *Dionysii, inquit, opus fuit Parochias ab Decessoribus suis distinctas, limitibus certis, Presbyterisque divisas quos persecutio Valeriani turbaverat, iterum dividere, ac pro ratione distribuere, caemeteriaque singulis consignare* [2]. Interim Institutum hoc, usque tempora Constantini Magni, — qui Ecclesiae libertate externa asserta, in difusissimo Imperio Romano profusa liberalitate copiosas Aedes Dei struendas, aut templa, fana, et delubra Gentilium, pro usu Christianorum adaptanda disposuit, multos Principum et Nobilium imitatores nactus, — non magnam attentionem excitavit; ast exsurgentibus taliter praeter principalem seu Cathedralem Episcopi, aliis tam in Civitatibus et Oppidis, quam et ruri Ecclesiis, sensim nomen Parochiarum et Parochorum invalescere coepit; jam enim signantur in Concilio Carthaginensi 4to quod Anno 398, 104. Canones, in Synodo Generali Trullana receptos, edidit, plura de Parochis disponuntur, et inter caetera Presbyteri, qui *Parochias* regunt, Chrysma a propriis Episcopis tempore Paschali petere jubentur. Dist. 95. c. 4.

Juxta modernam disciplinam ad Conceptum *Parochiae* requiruntur sequentia: certum nempe deter-

1) Sess. 24. c. 13. de reform. — 2) Dist. 60. c. 1. et 3.

minatumque territorium, ad quod defigendum, limitibusque circumscribendum, Episcopum Auctoritate pollere, supra de Primatus Pontificis et Episcoporum juribus ostensum est. Limites *modalitate hac* determinati, sunt *juris publici,* quibus nulla, quamcunque longi temporis *Praescriptio* praejudicare potest [1]). Si tamen occasione controversiae de limitibus pars praetendens in legitimis juridicis probis deficiat, neque *indubitata fide constet, eos Ecclesiastica Ordinatione esse constitutos,* eotum exceptio Praescriptionis Possidenti suffragatur. Sicut autem differentiam in juribus Parochialibus non inducit tenuis vel larga Dos Beneficii, ita etiam Parochia diffusa vel constricta nullam respectu jurium mutationem facit. Ubi Dioecesis in Parochias suis limitibus distinctas necdum est distributa, Sacerdotes ibidem Curam Animarum exercentes, non Parochorum ast Missionariorum nomine veniunt. Parochiarum limites Episcopus independenter quidem defigit; interim propter officiosas Parochorum cum Civili jurisdictione correlationes, id prae oculis haberi consuevit, ut limites ecclesiastici, cum politicis limitibus congruant, atque ita cursus negotiorum simplificetur. — Aliud requisitum Parochiae est, *canonicus numerus Populi Parochiani,* qui minimum ex decem Familiis consistere debet, et Parochia pauciores decem Familiis numerans, aliis Ecclesiis uniri jubetur [2]). Successive interim numero fidelis Populi sufficienter aucto, jura veteris Parochiae reviviscunt. Porro debet adesse *Parochialis Ecclesia,* alias *Ecclesia Baptismalis* eo, quod fons baptismalis praeter Ecclesiam Episcopalem, in Ecclesia dumtaxat Parochiali asservari possit, — tum *Mater fidelium* dicta, quae quidem ita est necessaria, ut sine eadem Parochia nec erigi nec subsistere queat; dum autem desolatur, eotum in sensu Conc. Trid. [3]). Populus et respective

[1]) C. 4. de Parochiis. — [2]) Can. 10. q. 3. c. 3. — [3]) Sess. 21. c. 4. 4. de ref.

Patronus, ad novam struendam stringendus veniat; aut ad casum impotentiae Parochia Ecclesia propria destituta, alteri vicinae Parochiae unienda sit. Tum requiritur, ut tam Ecclesia, quam Beneficiatus Parochus sufficiente dote sit provisus, qui legitime praesentatus, et per Ordinarium missus, cum subordinatione ad hunc, ex Officio tamen, fidelibus spiritualia obsequia praestat, et Curam Animarum exercet. Parochus, qui ex natura rei et positiva legum dispositione Presbyter esse debet, spectato hoc Caractere, est Institutionis Divinae, et pertinet ad Hierarchiam divina Ordinatione constitutam [1]). *Parochi jurisdictio,* velut quam ex Officio exercet, est *Ordinaria,* et a delegata distincta; cum autem sit emanatio Potestatis Episcopalis, cui generaliter Cura Fidelium incumbit, eadem cum subordinatione ad Episcopum exercetur, quae tamen arbitrarie restringi, subtrahi aut confundi nequit [2]). Demum ad ideam Parochi requiritur *stabilitas* in Parochia, quod in oppositione est relate ad alios Clericos, qui pro judicio Ordinarii ex alia Statione ad aliam transponi possunt. Caeterum stabilitas haec cum *inamovibilitate* permutari non debet; nam e dispositione Canonum *stabilitas* eo sensu summitur, quod Parochus absque causa et arbitrarie amoveri non possit; in obversum enim hujus inde a principio S. Canones uniformiter semet declararunt, ne minimo quidem Clerico injuriam patienti Appellatam denegantes. Eaedem interim leges, per id absolutam inamovibilitatem Parochi non statuerunt, imo vero Ordinario jus et obligationem una imposuerunt, in certis casibus, *praescripta forma,* Parochos amovendi. Ita Conc. Trid. diserte statuit: ut eos parochos, qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerunt, coerceant Episcopi ac castigent, et si adhuc

[1]) Conc. Trid. Sess. 23. Can. 6. — [2]) Benedictus PP. XIV. de Syn. Dioec. l. 5. c. 4. n. 3.

incorrigibiles in sua nequitia perseverant, eos beneficiis, *juxta Sacrorum Canonum Constitutiones* exemptione et appellatione quacunque remota, privandi facultatem habeant [4]).

§. 51. De Qualitatibus Parochi.

Si gravitas muneris, et utilitas insignis, quae in Religionem, Ecclesiam, fidelem Populum, atque per id in Civilem Societatem e Pastorali cura Parochorum dimanat, spectetur; Officium Parochi, nisi Individuis specialibus Qualitatibus praeditis concredi posse, in aperto est. Sacri Canones proinde positive stabilierunt Proprietates et Dotes, quibus Parochos, velut Magistros et Duces fidelium ornatos esse oportet. Requiritur itaque 1mo Vocatio tam interna quam externa; quae posterior indignis modis non procuretur, et a legitimo Superiore fiat; ille enim *qui intrat per ostium*, pastor est ovium [2]). Unde Concilium Tridentinum hanc in rem decernit, eos, qui tantummodo a populo aut Seculari potestate vocati ascendunt, vel propria temeritate Ministerium sibi sumunt, non Ecclesiae Ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse [3]). — Dein Cura Animarum honoris plena est; *nemo autem sibi summit honorem nisi qui vocatur a Deo.* 2° In Seminario, velut Stadio educationis, *debita Probatio*, in moderna disciplina ita necessaria, ut in hujus defectu Praesentatio, aut Nominatio vitiosa reputari debeat [4]). 3^{io} Aetas et Ordo. Juxta quippe c. 5. de aet. qual. et ord. praef. adminus Subdiaconus et ejus aetatis sit, qui *infra breve tempus* ad Presbyteratum promoveri valeat. Caeterum novissimis temporibus hac in parte a communi jure recessum est; cum enim vigore Altissimae Resolutionis

[1]) Sess. 21. c. 6. de ref. — [2]) Joan. 10. — [3]) Sess. 23. Cap. 4. — [4]) C. 14. de aetate. qual. et ord. praef.

die 10^{a} Februarii 1853 emanatae, Ecclesiarum Patroni, in conformitate dispositionis Concilii Tridentini eos dumtaxat ad Parochialia Beneficia promovere possint, qui Synodale Examen optato cum effectu subierunt, ad istud autem non admittantur, nisi triennio in Presbyteratu ministrantes; hinc ut quis Beneficium *jure Parochiali* obtinere possit, tribus Annis in Sacerdotio constituatur est necesse. 4° Cum Ars Artium sit Regimen Animarum; Parochus eligi non potest, nisi *litterarum scientia et gravitate morum* conspicuus; *ne videlicet coecus coeco ducatum praestet et ambo in foveam cadant;* aut pravo vitae exemplo, in vicem consolationis, desolationem consciscat [1]). Haec autem ita stricte sunt requisita, ut etiam Parochiali Officio admoti, in defectu sive sufficientis scientiae, sive requisitae gravitatis morum, ad illud exercendum inhabiles reddantur, Curaeque Animarum aliter consulendum disponatur [2]). Ad explorandam scientiam, aliasque qualitates, idem Conc. examina Concursualia instituit; una disponendo: ut peracto examine renuncientur, qui idonei judicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, e quibus magis idoneus eligendus venit [3]). 5° Ne sit irregularis, aut Censuris Ecclesiasticis affectus. Demum 6° Cum Parochi fidei, piarum Fundationum, Pauperum et Ecclesiae Peculium concredatur; alieno aere gravati, interea dum satisfecerint, promoveri non possunt.

§. 52. Jura Parochorum, et eorum Sphaera.

Auctoritas Parochialis, quam Parochus in subordinatione ad Episcopum exercet, extendit se ad omnes fideles intra territorium Parochiae Domicilium

[1]) C. 7. de elect. et el. pot. c. 14. de aet. et qual. praefic. — [2]) Conc. Trid. Sess. 21. c. 6. de ref. — [3]) Sess. 24. c. 18. de ref.

habentes; juxta illam paroemiam: „Quidquid est in Parochia, etiam est de Parochia.“ Et jure quidem communi, quicunque *Animo stabiliter habitandi* alicubi Domicilium figit, ibi eoipso a primo statim momento est Parochianus. Cum tamen mentes humanae ad eludendum pronae sint; relate ad *Domiciliatos de facto,* in Matrimonialibus omnis cautela adhibenda veniet. Inter Domiciliatos pertinent etiam Milites, non tamen ii, qui ad *vagam Militiam*, sed unice qui ad *Stabilem Militiam* referuntur [1]). Gensdarmeria vigore Rescripti Min. spectat ad Militiam vagam [2]). Quamvis autem Parochus munus suum in subordinatione ad Episcopum exerceat, Episcopi velut primi Pastoris vices sustineat, atque eapropter Episcopus jurisdictionem Parochi jam ampliare, jam restringere possit; restrictionem interim hanc S. Canones moderantur; et vel maxime summum illud principium: „*Gloria Dei et Salus Animarum suprema lex est*“ limites eidem ponit. Juxta terminum vero receptum, Parochus per Episcopum mittitur ad *universalitatem causarum,* vigore cujus sequentia illi jura competunt: 1° Parochus, — excepto Sacramento Confirmationis et Ordinis, quorum Administer est Episcopus — solus et unicus gaudet jure dispensandi Sacramenta, *a quo solo eadem licite suscipiuntur;* ait Conc. Trid. Sess. 24. c. 13. de ref. Hinc illud vulgare: *Rituale est Parochi.* Imo alter nec verbum Dei praedicare, nec Missae Sacrificium celebrare sine licentia Parochi audet. Peregrini autem absque *commendatitiis litteris* Ordinarii; aut absque fide digno super suscepto Presbyteratu et a censuris ecclesiasticis immunitate, testimonio, ad Missae Sacrificium celebrandum admitti non possunt [3]). — Juri praevio, fideles Parochiae correlatam habent obligationem, Sa-

[1]) Utraque Cathegoria haec recensetur Intimato ddo 26ae Januarii 1770. — [2]) Min. Cult. ddo 31ae Jan. 1851. Nro 318. — [3]) Conc. Trid. Sess. 23. c. 4. de ref. et Sess. 24. c. 16. de ref. Dist. 71. c. 7. 8. item c. 3. de Cler. peregrinis.

cramenta a Parocho proprio suscipiendi, olim ita stricte servatam: ut Dominicis vel Festivis diebus Presbyteri — jussi fuerint — antequam Missam celebrent, plebem interrogare, si alterius paroecianus in Ecclesia sit — quem si invenerunt, statim exesse jubebant [1]); haec obligatio interim subsequis temporibus usu vel lege in nonnullis temperata est. — Quoad — quaestionatam Sacramentorum Administrationem, — in quantum ad Jus Ecclesiasticum pertinet, — sequentia notanda veniunt: a) *Baptismus.* Sacramentum Baptismi, originarie per Apostolos et eorum Successores Episcopos conferebatur; postquam interim subseque Parochiarum limites accuratius defigi, et Parochorum sphaera stabiliter determinari cepisset; jus hoc Parochis tributum est, nunc vero Baptismi solemnis collatio exclusive adhos pertinet; nam ut Romanum et alia Ritualia exprimunt: „*legitimus Baptismi Minister est Parochus.*“ Cooperatores vel alii Sacerdotes, jure delegato, et vice Parochi Baptismum conferunt. Atque ideo e dispositione Canonum, praeter Cathedralem, *unice in Parochiali Ecclesia* fons baptismalis erigi potest; et alibi, etiam in Ecclesia Monasterio adnexa erectus, auferri jubetur [2]). Praeterea autem Baptismus, extra casum necessitatis et periculi nisi in Ecclesia administratur; neque vigens in nonnullis Civitatibus, promiscue in privatis Domibus baptismum conferendi abusus, sustineri valet. Baptisatum e dispositione Conc. Trid. *ad summum unus et una* de baptismo suscipiant [3]); et cum Patrini pro baptisatis fidejussores sint, hosque dum necessitas exposcit rudimentis fidei imbuere teneantur; alieni a Sacris Catholicis, proles Catholicorum levare non possunt. Cura praeterea Parocho incumbit, ut Obstetrices, in conferendo necessitatis baptismo, rite in-

[1]) C. 2. de parochiis et alien. parochianis. — [2]) Cau. 18. q. 2. c. 7. [3]) Sess. 24. c. 2. de ref. Matr.

structae sint; saepius eapropter pertentandae. — Relate ad proles e Mixtis Connubiis genitas in conformitate Art. 26. Anni 179⁰/₁ signanter §. 15, observandum: si Pater est Catholicus, tunc utriusque sexus proles, Patris Religionem sequi obligatae; prout et dum Mater est Catholica, foemellae proles, in Ecclesia Catholica baptisari debent; quod ipsum etiam, Patre evangelico, de educandis in Religione Catholica Masculis quoque prolibus cautionem praestante, obtinet. Neque hac in parte praevaricationem tolerandam esse, intimatur Rescripto dto 28ae Sept. 1852. N° 3117/u. e. Distr. Pos. — Infra discretionis annos constitutis Judaeis, sub poena amissionis Beneficii, nisi Parens vel Tutor coram legali Jurisdictione consenserit, baptismum conferre vetitum est [1]). Si tamen momentosae subsint rationes, et proles idmodi Judaica 14um aetatis annum jam superavit, etiam invitis Parentibus, dispensatio in aetate conceditur. Pro parte infra 14um aetatis Annum constitutorum, Altissima Resolutio impetranda praecipitur. Int. dto 16ae Sept. 1791. N° 17193.

b) *Poenitentia; Eucharistia; Missae Sacrificium et hujus adplicatio.*

In Concilio Generali Lateranensi 1216. sub Innocentio III. celebrato constitutum fuit: „ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad Annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur *proprio* Sacerdoti . . suscipiens reverenter adminus *in Pascha Eucharistiae Sacramentum* . . alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat Sepultura. — Si quis autem *alieno Sacerdoti* voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare.“ Hinc patet Eucharistiae et Poenitentiae Sacramenti Parochum ita fuisse Ordi-

---

[1]) Int. ddo 17ae Sept. 1799. N° 21.793.

narium Ministrum, ut Sacramenta haec nisi facultate per eum data, alibi suscipere licitum fuerit. Interim hac in parte, prout et relate ad audiendum diebus Domini et Festis in Ecclesia propria Missae Sacrificium vigens vetus disciplina cepit mutationem subire tunc, dum Religiosi *Ecclesias publicas* struendi, S. Ordines fere indiscriminatim suscipiendi privilegium obtinuissent; et contraria universalis consuetudo legi praecitatae derogavit in tantum, quod nunc Eucharistiae ac Poenitentiae Sacramentum ab alio quoque Sacerdote suscipere licitum sit, et qui diebus Domini et Festis divinis publicis alibi interest, Praecepto audiendi Missam in Parochiali Ecclesia, satisfacere censeatur. Quamvis summe optandum foret, ut fideles et Sacramenta a proprio Parocho suscipiant, et Divinis Parochialibus semper intersint. Caeterum imposita per legem supracitatam obligatio ex parte illa porro persistit, quod quilibet fidelis circa Festum Paschae peccata sua confiteri et eucharistiam summere teneatur, *secus sancitas poenas incursurus.* Quapropter Parocho proprio jus surgit stricte vigilandi, ne fideles cujuscunque conditionis, Praeceptum hoc quaqua ratione eludant. Hinc originem ducit apud Regulares Schaedularum distributio, quibus fideles, de susceptione horum Sacramentorum semet apud Parochum proprium legitimabant, et interrogati easdem et nunc in probam exhibere obligantur. Praeterea Parochus proprius suos Parochianos etiam extra Dioecesim eundem approbantis Episcopi, in S. Tribunali licite exaudit, et valide Sacramentaliter absolvit; quia in eos habet ordinariam jurisdictionem, et cum actus audiendi Confessiones sit jurisdictionis voluntariae, potest etiam in alieno territorio in proprios subditos exerceri. — In Ecclesiis, ubi pie Peregrinantium concursus frequens est; Sacerdotes alienarum Dioecesium, praesertim Populo processionaliter comi-

tivam praebentes, Jurisdictionem pro exaudiendis in loco Poenitentibus, passim accipiunt. Porro

Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 1. de reform. caetera inter praecipit, ut omnes, quibus Animarum Cura commissa est, *Missae Sacrificium* pro ovibus sibi creditis offerant. Cui conformiter, Parochus diebus illis, quibus fideles ad audiendam *de Praecepto* Missam obstricti sunt, hanc pro iisdem offerre obligatur. Neque eos qui pinguioribus reditibus fixis provisi sunt, ad Missae Sacrificium quotidie pro Populo offerendum teneri, *sed satis esse, dum ii, qui Curam Animarum exercent, Sacrificium Missae pro populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per Annum diebus Festis de praecepto;* decrevit Benedictus XIV. Bulla „Cum semper" 19ª Aug. 1744. edita; ubi una concedit facultatem cum *egentibus Parochis* opportune dispensandi: „ut etiam diebus Festis eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, *ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus Festis infra hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint. Ubi unus dumtaxat Sacerdos* est, Domini et Festis diebus, Solemnem Missam de requiem nec praesente Corpore absolvere licet, sed eadem vel una die praeoccupari, vel differri debet. Anniversariorum prout et Missae pro Sponso et Sponsa celebratio ad Parochum pertinet, et nisi hoc consentiente per alium Sacerdotem absolvi possunt. De Missa pro Sponso et Sponsa, id notatu dignum est, quod eadem, si mulier sit vidua dici nequeat [1]. — Novissime, proposito per Antistitem Brunensem circa

[1] S. Rituum Congreg. 1761.

adplicationem Missae Festis abolitis, dubio, S. Congr. Conc. dto 25ªᵉ Sept. 1852. respondit tenore sequenti: „Relatis Sanctissimo Domino nostro per infrascriptum Secretarium S. Congregationis Concilii adjunctis precibus datis nomine Amplitudinis Tuae, Sanctissimus mandavit praesentem ad Amplitudinem Tuam scribendam esse, eum in finem, ut Eidem notificetur, non teneri Parochos ad adplicationem Missae pro populo enunciatis diebus festis, quibus permissum fuit eidem populo vacare operibus servilibus, et sublata fuit obligatio Missam audiendi, cum non comprehendatur in declarationibus factis a Summis Pontificibus Pio VI. et Pio VII. quoad festos dies ab iisdem abrogatos." — Missae Sacrificium, excepta Nativitate Domini, singulis diebus *unum* saltem celebrandum permittitur. Unus dumtaxat superest casus, — ait Benedictus XIV. [1]) — quo Sacerdoti fas est uno eodemque die geminum offerre Sacrificium, si nempe idem Parochus duarum Parochiarum curam gerat, quae adinvicem longo satis intervallo dissocientur; ex quo fiat, ut vix aut ne vix quidem utriusque Parochiae Populus in unam se conferre possit Ecclesiam ad Sacrum audiendum. In hoc rerum situ, defectu alterius Sacerdotis subversante, Parochus celebrato in una Parochia Missae Sacrificio, ne Populus alterius Parochiae die festo a Sacro audiendo exclusus sit, ad aliam Parochiam accedere et ibi Missam celebrare tenetur. — In casu hoc, vigore praeadnexarum Sedis Apostolicae Facultatum, Ordinarius binam Missae celebrationem admittit. Quodsi *improvisus, ac repentinus casus infirmitatis* Sacerdotis ad Parochialia Divina celebranda destinati eveniat, neque Ordinarius ob loci distantiam adiri, aut *alter Sacerdos qui necdum Missam celebrasset accipi potest, in hac unice suprema necessitate*, ne Populus die Domini aut Festo

[1]) De Syn. Dioec. l. 6. c. 8. n. 2.

Missa privetur, Sacerdos Missam licite iterat, casum tamen, Episcopo in instanti referre obligatur. — *Relate ad Missas fundatas* notandum; super iis tabellam conficiendam, in Sacristia loco patulo appendendam, ac impositae per pios Fundatores obligationi rite satisfaciendum, numve satisfactum sit, in annue desuper praestari consueta tabellari relatione, recognoscendum venire. In favorem autem piarum Fundationum Caesareo-Regium Ministerium Financiae, ex obtutu taxae tymbri declaravit: relate ad Fundationem Recognitionis Documenta (Stiftungs-Recognitions-Urkunden) editae de 9ª Februarii 1850. legis, non pos. 96, ast §. 4. a. 2. et pos. 101. II. adplicandam esse, atque idmodi Documenta non attenta Summa, fixo 15. Xrorum tymbro subjacere.

c) *Sacramenti Extremae Unctionis* administratio, exlusive ad jura Parochi pertinet; cujus intuitu in Catechismo Romano parte II. de Sacr. extr. Unct. §. 21. disserte statuitur: *„quod ex Sanctae Ecclesiae decreto non cuivis Sacerdoti, sed proprio dumtaxat pastori hoc Sacramentum administrare liceat.“* Imo Religiosi, qui sine facultate Parochi Sacramentum extremae Unctionis administrare praesumunt, in excommunicationem incidunt Sedi Apostolicae reservatam [1]. Caeterum periculo in mora existente, dum Parochus haberi non potest, alter Sacerdos licite administrat Sacramentum extremae Unctionis. — Cum inter effectus extremae Unctionis etiam remissio peccatorum recenseatur — *et si in peccatis fuerit remittuntur ei* — nonnulli opinantur, Sacramentum hoc ante porrectum S. Viaticum, quod majore quo fieri potest cordis puritate atque omni labe peccati remissa summendum est, administrari debere. Quaestio interim haec ad theologiam Pastoralem relegatur.

d) De *Sacramento Matrimonii* Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. Matr. disponit: „Qui aliter quam

[1]) C. 1. de privil. in Clem.

praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius *Parochi* seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.“ Itaque vigore Decreti hujus, ad valorem Matrimonii praesentia Parochi ita est necessaria, ut sine hac, aut ejus, seu Ordinarii licentia, Matrimonium prorsus nullum et invalidum sit. — Interim quae ad hierologiam et ad essentialia Matrimonii pertinent; de impedimentis Matrimonii; quid intuitu immigrantium e Provinciis Haereditariis et exterorum; quid item relate ad copulandos Milites praescriptum sit, caeteraque momentosum hocce objectum tangentia, subseque uberius exponuntur.

2° Inter Jura Parochialia refertur *solemnis et publici Cultus Divini asservatio.* Pro hoc quippe celebrando, — in regula, Ecclesiae Parochiales seu Baptismales sunt destinatae; neque in aliis Capellis, minoribus, sic dictis Filialibus Ecclesiis, licitum est solemnem Cultum Divinum asservare. In Ecclesiis autem Regularium ita debet coordinari Cultus Divinus, ut per eum Parochialia Divina non turbentur. Solemnis Divinus Cultus, — pro quo singulariter sacrati sunt Dominici Festique dies, quos abstinendo a laboribus servilibus, Fideles sanctificare obligantur, — absolvitur in conventu parochiani populi, unde *Missa Conventus* dicitur. In sensu quidem Canonum et regulariter nomine Officii Divini, *praedicatio Verbi Dei* non intelligitur; nam Capite 43. de Sent. excomm. praemisso eo, quod excommunicati et interdicti possint convocari ad Ecclesiam pro audiendo Verbo Dei; diserte dicitur: *dummodo nullum eis Divinum Officium celebretur.* Unde etiam Clericus suspensus a Divinis, non intelligitur suspensus a praedicationis Officio, et si praedicaret non incurrit irregularitatem. Aliter interim respectu fidelium se res habet; hic sub

nomine Divinorum, comprehenditur etiam auditio Verbi Dei. Nam praeceptum vetus de audienda Missa, ad Concionem quoque audiendam extensum fuisse inde patet, quod antehac in Missa post Evangelium, hujus explicatio secuta sit, adeoque annunciatio Verbi Dei, partem Missae Parochialis constituerit. — *Fides enim, sine qua impossibile est placere Deo*[1]), *est ex auditu auditus autem per verbum Christi*. Nam quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine Praedicante[2])? Ideo misit Christus Apostolos suos docere omnes Gentes[3]). Misit Discipulos suos praedicare Regnum Dei[4]). Paulus Apostolus autem urget suum Discipulum: Praedica Verbum[5]). Et jam occasione Ordinationis credita sunt Pastoribus Animarum eloquia Dei, dum dictum est: „*Sacerdotem oportet . . . praedicare.*" Conc. Trid. autem districtim praecipit: ut *Archi-Presbyteri, Plebani et quicunque Parochiales, vel alias Curam Animarum habentes Ecclesias quoquo modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, saltem Dominicis et Festis Solemnibus, Plebes sibi commissas pro sua, et eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad Salutem, annunciando eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant*" [6]). — Ipsae etiam Ordinationes Altissimae dto 12ae Febr. 1793. N° 3045.; dto 26ae Apr. 1793. N° 10151.; dto 3ae Apr. 1795. N° 6396., et recentiores aliae, Animarum Curatores, ad munus Institutionis solerter explendum excitari jubent; ex adverso autem dto 30ae Octobris. 1798, Populus ad Divina diligenter frequentanda, sacramque institutionem docili Animo excipiendam, etiam medio auctoritatis publicae

[1]) Hebraeos 11. — [2]) Roman. 10. — [3]) Joan. 20. — [4]) Luc. 10. — [5]) 2. Tim. 4. — [6]) Sess. 5. c. 2. de ref.

compellendus, disponitur. — Teneram praeterea pubem specialiter in partem institutionis vocandam committit Conc. Trid. Sess. 24. c. 4. de ref. decernendo: „*ut Episcopi saltem Dominicis, et aliis Festis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et Parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent.*" Hinc originem habet Catechisatio prolium, diebus Domini et Festis a potiori post meridiem institui solita. Cujus intuitu in Dioecesi Nitriensi, et aliis Dioecesibus coordinativa Statuta existunt. Novissime vero Anno 1854. pro Dioecesi Csanadiensi dimissa commendari merentur. — Ut autem Populus frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis et majoribus Festis accedat, eundem monendum disponit[1]). Conc. Trid.; item declarat: „*teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*" [2]). Obligatio vero haec concernit cujuscunque Conditionis et Dignitatis fideles; hanc praeterea edita 1852. Altissima Ordinatio imposuit Publicis Caesareo-Regiis Officialibus, vigore cujus diebus Dominicis et Festis, Parochialibus Divinis, et quidem loco in Ecclesia maxime patulo interesse obligantur. In Solemni Missa Conventus, seu Parochiali, collecta pro Rege assummitur; item vigore Brevis Apostolici per Clementem XIII., 5a Maji 1761. editi, in Canone Missae suae Majestatis Nomen, per quoscunque Missae Sacrificium offerentes, memorari praecipitur; nunc autem utriusque, tam quippe Imperatoris et Regis Francisci Josephi, quam et Ferdinandi mentio fit. — Quaenam vero quoad Sanctificationem dierum Domini et Festorum, et abstinentiam a quibuscunque Servilibus laboribus per Altissimas Ordinationes disposita; qualiter item a publico servili labore diebus his exer-

[1]) Conc. Trid. Sess. 22. Decreto de obs. et evit. in celebr. Missae. — [2]) Sess. 24. c. 4. de ref.

cendo, hacque ratione Catholicis turbandis, alieni a Religione Catholica prohibiti sint, alibi oportunius exponitur; — eo unico isthic attacto, quod vigore Intimati dto 14ae Martii 1848. N° 11555, provocative ad emanatum hoc in objecto Int. dto 15ae Junii 1830. N° 15311, praevaricatores Sanctificationis dierum Domini et Festorum Civili jurisdictioni deferendi disponantur; quae si ad tales coercendos adjutricem manum porrigere detrectaret, singulares casus fine medelae Caesareo-Regio Consilio referendi veniant. — Praeterea dto 2ae Febr. 1851. N° 1641; et dto 20ae Decembris 1851. N° 16716 per Caesareo-Regium Ministerium, herbae nicotianae et Chartae tymbratae venditio sex maximis Festis diebus, utpote: Nativitatis, Paschatis, Pentecosten, Theophoriae, Annunciationis et Nativitatis B. M. V. usque meridiem plene vetita est. Aliis diebus Domini et Festis, matutinis horis usque nonam, dein a duodecima usque quartam relicta ex medietate dumtaxat aperta porta; a quarta hora autem articulos hos libere vendere licet. — Judaeis labores opera manuum suarum, aut medio hominum suae Religionis perficere, et Crematum in domo quam tenent vel inhabitant diebus Domini et Festis exurere indulgetur quidem; a publica tamen emptione et venditione, item a sectione et devectione lignorum, et aliis quibusvis streperis diebus his in intravillano possessionum praesuscipiendis laboribus abstinere jubentur. Int. dto 9ae Dec. 1813. N° 30202. Caesareo-Regia Locumtenentia Bohemiae, Anno 1853. in memoriam revocavit editum 7a Septembris 1818. Aulicum Decretum, vigore cujus Judaei, a Nutricibus et servilibus Christianis adhibendis inhibentur. Parocho in specie incumbit Personam talem a servitio hoc disvadere, et si *in Cultus Divini* exercitio quaecunque sive moralia, sive physica impedimenta ponuntur, politicae Jurisdictioni pro medela deferre. — Sed nec Quae-

storibus aut Opificibus Judaeis, tyrones Christianos assummere licitum est.

3° Ad Jura Parochi pertinet, praescriptas *Benedictiones*, — exceptis iis ubi Unctio intervenit, aut per Ordinarium reservatae sunt, perficere. Horsum refertur: *Benedictio Mulieris post Nuptias et post Partum;* Benedictio item *fontis Baptismalis;* et Festo S. Marci benedictio segetum. Puerperarum *Purificationem* specialiter, in *Ecclesia Parochiali atque per proprium Parochum* esse peragendam, praeter plures particulares Synodos, S. Congr. Concilii Trid. int. decrevit. [1]) *Haec proin nec per Regulares, nec per alium Parochum non proprium, nec vero in Domo Puerperae absolvi potest;* sed ad casum infirmitatis differenda est. Aliae Benedictiones, uti Candelarum Festo Purificationis, Cinerum, Palmarum, esculentorum, etiam in Ecclesiis Regularium peraguntur. — *Caemeterii benedictio,* est inter Jura Episcopis reservata, quam tamen ex delegatione, communiter vice Archi-Diaconi vel Parochi perficiunt. *Caemeteria per Benedictionem a commercio humano eximuntur, et qua res Sacrae jurisdictioni Ecclesiae subsunt.* Quid relate ad Caemeteria, Cryptas, tempus Sepulturae ex obtutu politiali Sanitatis dispositum sit? quid item quoad sepulturam stricte inter Jura Parochi pertinentem, tum principium illud: „quibus non communicavimus vivis, non communicamus et mortuis“ observandum veniat? alibi exponitur. — In Rituali Romano, et huic conformatis Ritualibus inter benedictiones occurrit *Benedictio Domorum in Sabbato Sancto,* et alio tempore praesuscipienda. Sacram hanc functionem absolvendi, antehac pene universalis mos, inde a fine saeculi prioris vix non integre exolevit, et ubi in paucis Dioecesibus viget, *Festo Epiphaniae ac subsequis diebus peragitur.* Benedictio haec in spiritu Ecclesiae instituta, multiformem, eam-

1) 1662. die 18a Novem.

que insignem praebet utilitatem. Praeter enim obsequium spirituale; Pastori Animarum: domesticos et adjuncta domorum intimius noscendi; de educatione Sobolis, num item vitium aliquot vel immoralitas praepondium non teneat semet informandi; dissidentes conjuges ad harmoniam revocandi; turbatam domesticam pacem restituendi; se fidelibus suis gratum et amatum praestandi, demum adaeqvatum Censum seu Conscriptionem Animarum instituendi, insignem praebet campum. Illo autem Anno, dum idmodi Benedictio fit, occurente nefors in tali Domo Provisionis infirmi casu, cum ingressu sacerdotis ad Domum, Benedictio secus praescripta emanet. Spectata praeattacta multiplici utilitate, optandum esset, ut Parochi jus hoc in desvetudinem abiens, reinducant, et fideles suos spirituali idmodi obsequio consolentur. Ubi mos praevius actu viget, is nisi e causis gravibus, et cum facultate Ordinarii aboleri potest. Caeterum sacer actus hic, ea qua decet gravitate et cum modesta, selecta, ac exigua comitiva peragi debet. Maxime vero, cujuscunque interessentiae temporalisque lucri suspicio absit, et cavendum est, ne id quod spirituali solatio et Pastoralis Muneris feliciori implemento subservit, fidelibus onerosum, tituloque hoc exosum, evadat. Alioquin autem occasione Benedictionis Domorum quidpiam *exigere* vetitum est. Int. dto. 26ae Jan. 1818. N° 1393.

4° Vigentes in Ecclesia *publicas Devotiones et Processiones,* Festo Theophoriae, diebus Rogationum, item unice in Hungaria praescriptam ad crepusculum Sabbati Sancti Resurrectionis Processionem, Parochus jure proprio et exclusive peragit; ac fidelibus pro ratione adjunctorum Peregrinationem Sacram processionaliter praesuscipiendi facultatem concedit.

5° Parochus habet jus, in gravi quapiam Populi necessitate vel tribulatione, ad avertenda item Divinae iracundiae flagella, aut pro perceptis beneficiis

gratias agendas, *publicam supplicationem* indicendi et peragendi; hancque prout et alias Devotiones, Processiones, Jejunia, Indulgentias, Festa mobilia et immobilia fidelibus suis ex Ambone annunciat. Cum Cathedra in Ecclesia pro annunciando verbo Dei destinata sit; ab ea omnia profana abesse debent. A publicatione politicorum objectorum Curatus Clerus ope Ordinationis via Caesareo-Regii Locumtenentialis Consilii dto. 10ae Julii 1852 N° 1235/pr. dimissae est relevatus. Si quid autem utilitate aut necessitate exposcente in Publico-Politicis promulgandum veniat, eatenus inviationem ab Ordinariatu accipit.

6° Ut Cura pastoralis Parochi optatum ferat fructum, jus eidem surgit *Religiositati, Moralitati et Disciplinae* suorum fidelium invigilandi; hanc monendo, obsecrando, arguendo, increpando manutenere, his vero nihil opitulantibus, gravia scandala, fine ponendae medelae referre obligatur. Parochiani ad Parochum in objectis Curam Animarum concernentibus vocati comparere detrectantes, si nobiles sint respectivis Consistoriis, secus Iurisdictioni locali pro correctione denunciari jubentur. Int. dto 9ae Sept. 1829 N° 21666. Praecipue ad damnosum Concubinatum tollendum, vigore Decreti Aulici dto. 10ae Decembris 08I7 et 26ae Junii 1811, Parochus obligatur Concubinarios ad se accersitos monere, iisdem peccaminosum Statum ob oculos ponere, et monitione effectu carente, eosdem locali Superioritati deferre, quae aut Copulationem aut Separationem procurandam habet. Dum delatio caret optato successu, negotium Ordinario substernitur. [1]) Si sub iisdem tectis degentes Consanguinei vel Affines Matrimonio jungi cupiunt, et intuitu Dispensationis a petito amoveantur, debent ab invicem separari, ac a familiari suspecta conversatione arceri [2]). Prout et Politica Jurisdictio, eatenus interpellata,

---

[1]) Dec. Aul. dto 2ae Novemb. 1828. [2]) Decr. Aul. 9ae Julii 1807; et 2ae Dec. 1808.

offendiculis et immoralitati omnibus viribus occurrere tenetur. [1]) Demum Parochi in locis thaumaturgis, oppidis vel Civitatibus existentes, praecavent, ne cantilenae aut historiae vendantur, quae sive sensum religioso-moralem laedunt, sive superstitionem fovent. Idmodi cantilenas aut historias improbas, vigore Altissimarum Ordinationum sequestrant, aut ad casum renitentiae vendentium, ad has sequestrandas localis Superioritatis Auctoritatem interpellant.

7° Jure Sub-Delegationis fidelibus suis, semet eatenus insinuantibus, dum canonica motiva praeexistunt, in Quadragesimali abstinentia et jejunio in terminis et sub conditionibus per Ordinarium praescriptis Dispensationem elargitur. — Dum autem gravis adest necessitas, et rei familiari ex mora periculum impendet, die Domini et Festo, campestri labori vacandi indultum concedit, non secus et causa urgente, Peregrinantis currum per Opifices reparandum, admittit. Quid autem Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. relate ad Matrimonio praemitti solitas Promulgationes judicio Parochi relinquat, alibi opportunius exponitur.

8° Ad Parochum pertinet jus Matricas ducendi; et

9° Scholas inspiciendi. De his sequitur; et quidem:

§. 53. De Matricularibus Protocollis.

Origo librorum matricularium in Ecclesia Catholica ad antiquissima tempora 1um nempe Saeculum Aerae Christianae refertur. Nam in opere „Hierarchia Ecclesiastica“ cujus auctorem Dionysium Areopagitam 1um Atheniensium Episcopum adstruunt, disponitur: ut quivis Presbyter nomen baptisati et patrinorum praenotet. — Nomina mortuorum autem, sub speciali

---

[1]) Dec. Aul. dd° 19^{ae} Julii 1815; item 11^{ae} Julii 1825 N° 7535. Circ. ad universos Comitatus. Int. dt° 24^{ae} Junii 1823 N° 16026.

Episcoporum inspectione, Diptychis, seu tabulis aut codicibus chartaceis vel ex membrana confectis, inserebantur. Haec Sacra Diptycha Diaconus occasione Solemnis Missae, ex loco elevatiore, Ambone aut pulpito recitabat. — Praetermissis hanc in rem aliis vetustioribus Dispositionibus, Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. Matr. statuit: „Ut habeat *Parochus librum,* in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.“ Et ibidem Capite 2° nomina patrinorum baptismo assistentium, libro inserenda committit. Vigore itaque Concilii Tridentini dispositionis, Parochus libros Matriculares habere, iisdem functiones ecclesiasticas rite inserere, ac illos diligenter apud se custodire tenetur. *Institutum hocce ecclesiasticum* pro Ecclesia, pro statu publico et privatis familiis esse summe momentosum patet: quod taliter Ecclesia semper in evidenti habeat eos, qui per baptismum aqua regenerationis abluti, coetui fidelium ingremiati sunt; inde impedimenta Cognationis naturalis et spiritualis, inde gradus affinitatis eruit; inde cognoscit num omnes Sacramentorum suscipiendorum capaces, moribundorum Sacramentis provisi sint? atque ita et hac ratione populi saluti, una etiam Pastorum Animarum gravissimi Officii implemento intendit. — Civilis jurisdictio ex Matricis comparat sibi notitias super statu natorum, mortuorum et copulatorum, adeoque super incremento vel decrescentia Populationis et Conjugiorum; quas in administratione publica multiplicem utilitatem adferre in patulo est. Demum singillativae Familiae Matricis velut limpidis fontibus utuntur ad Genealogicas deductiones elucubrandas, quae in quaestionibus haereditariae Successionis, Fideicommissorum coram jure indubitatam fidem praestant; aut si Fundatio aliqua ad membra Familiae cujusdam restricta est, concernentes ad

emolumenti Fundationalis participationem jus suum inde comprobant.

Matricae, quas Parochi de tempore in tempus occurente Functione ducunt, et praesto habere debent, sunt: *Baptisatorum; copulatorum; mortuorum,* quibus accedit *Matrica Confirmatorum*, cui inseruntur nomina eorum, qui ab Episcopo Sacramentum Confirmationis suscipiunt. Matrica ut reipsa ex Matre seu fonte haustum Documentum sit; insertio juxta praescriptas rubricas et titulos, in praesentia eorum, qui in casu sunt, ad rem pertinent et indictant, omni cum exactitudine et accuratia fieri debet; neque ad Rapulare, seu Maculatorium, sed ad ipsum librum scribitur; et cum vigore legum Civilium et Dioecesanorum Statutorum, exemplar unum pro parte Archivi Dioecesani, aliud autem Jurisdictioni Civili consignandum, confici praecipiatur; plerique Parochorum ea utuntur providentia, quod eodem tempore, dum Matriculari libro peractam functionem inscribunt, etiam binis illis exemplaribus insertionem faciant; taliter et accumulationem laboris evitant, et tria exemplaria *originalia* conficiunt. Scriptura sit legibilis, sine contractionibus et rasuris, aut additamentis non convenientibus. Si error irrepens emendationem exposcat, facta leni cancellatione, positio illa infra concernentem locum novitus describatur. Parochus nisi sit gravi infirmitate impeditus, Rituali Strigoniensi idipsum praecipiente ipsemet Matricas ducere debet. Dum ita Matricae cum omnibus cautelis et praescripta forma ducuntur, ex his testimonia per Parochum extradata, Publicam Documentorum fidedignitatem, et coram jure plenam vim probandi habent. [1]) Ratione baptisatorum Parochus cavebit, ut nomina dumtaxat Sanctorum iisdem imponantur. In majoribus cumprimis Civitatibus summam adhibeat circumspe-

[1]) Provisorische Civil-Process-Ordnung. §. 114.

ctionem, ne infantes, qui ex matrimonio nati non sunt, pro legitimis inserat: sed occurrente vel minimo dubio, per copulationis, et aliud fidedignum testimonium, legitimitatem comprobari deposcat. Juxta Codicis Civilis §um 164 quoad prolem illegitimam erga Matris indictationem facta Patris libro baptisatorum insertio tunc saltem plenam vim probandi habet, si inscriptio cum consensu Patris fiat, et consensus testimonio Curati Animarum ac Patrini eo addito, quod iisdem Pater de Persona notus sit, confirmetur.

Pro Haereditariis Ditionibus Austriacis, edito die 21a Octobris 1813 et 13a Januarii 1814 Decreto praescriptum est, ut penes insertionem Matricae baptisatorum, certitudo procuretur de eo: a, quod Persona pro Matre indictata reipsa sit quaestionatae Prolis Mater; b, quod indictatum per illam nomen, sit genuinum ejusden nomen; c, quod indictatus Pater sit legitimus Conjux Matris, et quidem jam in 7o Mense; d, quod is ad casum si sex mensibus in Matrimonio non constitueretur, aut copulati non forent, se Prolis Patrem esse recognoscat; e, et nominis illius realiter sit, quod indictavit. — Primum rescit Parochus ex Obstetrice. Quoad secundum, si Puerpera ignota est, adesse debent duo fidedigni testes, qui probe norunt, indictatum nomen, esse genuinum Puerperae nomen, et hi semet in Matricula subscribunt. In defectu testium, ponitur indictatum nomen, cum additamento: *praetensive*, interea Superioritas localis de nomine investigat, et resultatum Matricae Parochus inserit. Dum Mater non est matrimonio juncta, Proles qua illegitima Matricae inscribitur. Quod si Mater Patris quoque insertionem desideret, huic satisfieri non potest, nisi ipse Pater cum duobus testibus compareat, et inscribi petat. Dum Mater se conjugatam dicit, Parochus jus habet praetendendi, ut semet Maritus sistat, et ignotus testimonium Copulationis, exhibeat; qui si ultra sex Menses copulatus est

eotum qua Pater, et Proles ut legitima inscribitur etiam pro casu illo, si maritus Uxorem infidelitatis argueret. Quod si ex Copulationis testimonio eveniat, eum plenis sex Mensibus non esse copulatum; ut Prolis qua legitima inseri valeat, debet eandem diserte pro sua recognoscere. In defectu testimonii Copulationis, duo fidedigni et noti testes recognoscere debent et nomen et copulationem cum Matre Prolis. Dum absente marito testimonium Copulationis producitur, et inde pateat, Matrimonium ante sex Menses initum esse, Proles indubitanter qua legitima inscribitur; secus si sex Menses necdum effluxissent, in rubrica Patris, datum Copulationis adnotatur, eo inserto, a declaratione Mariti pendere, num Prolem qua propriam recognoscat. Si nec Maritus, nec testimonium Copulationis praesto sit, eotum Testes fidedigni audiendi veniunt, qui si cum certitudine fateantur, quaestionatos Conjuges legitimo Matrimonio nexos fore, insertio huic conformiter instituitur; in horum autem omnium adminiculorum defectu, Parochus Matris enunciationem praenotat, fine tamen elucubrationis locali jurisdictioni negotium substernit, et resultatum subin Matricae inserit. — Vidua Mater etiam testimonium super obitu Mariti producere tenetur.

Relate ad Matricam Copulatorum notanda; dum penes dispensationem in quopiam impedimento Matrimonii, aut in Bannis copulatio instituitur; non secus si ad copulandum per alium sponsi dimissi sint, idipsum in ultima rubrica adnotandum veniet. Si Matrimonium putatitium, per Sententiam Judicis, pro nullo et ab initio invalido decerni contingat, haec circumstantia suo loco inseratur. Dum penes dimissorias per proprium Parochum expeditas, alter Parochus copulationem instituit, hanc copulans, Ecclesiae suae libro Matriculari inserere, una autem intra octo dies testimonium concernenti Parocho transponere tenetur. Cod. Civil. §. 81 et §. 82.

Quoad extraneos in gremio Parochiae Mortuos Parochus, de eorum nomine, conditione, caeterisque adjunctis debite investiget. Si extraneus totaliter derelictus et penitus ignotus jam mortuus inveniatur; eotum localis jurisdictio, Personae illius, vestium, aliorumque distinctivorum signorum accuratam descriptionem adornabit, cum omnibus ad rem facientibus circumstantiis Matricae inserendam. Dum de peregrinorum idmodi loco Originis et Domicilii constat; obitus Parocho proprio opportune significatur.

Intuitu Personarum Militarium, distinctio est eorum qui ad *Militiam Vagam* ab iis qui ad *Militiam stabilem* pertinent. Posteriores saeculari curae animarum subjecti, Matricae in serie, priores baptismo vel sepultura occurrente sub distincto titulo ad calcem Matricae inferuntur, atque de his cum fine anni genuinus extractus respectivo Superiori Castrensi transponitur. Dum in transena, aut Civili Nosocomio, Militem mori contingit, de obitu matriculare testimonium indilatim via politica ad suam competentiam promovetur.

Quoad *Invalidos Milites* disponitur, ut Curatores Animarum in casibus obitus *Instrumenta patentalia* ab initio usque ad finem ductu calami perstringant, diem obitus infra adnotent, et cum mortuali attestato, Ordinariatui substernant, Militari Praefecturae transponenda. Si Patentales jam Officialis Publicus prae manibus haberet, id quoque referendum venit. [1])

Relate ad Militares Viduas et Orphanos, quae et qui ex Aerario Publico provisionem tollunt, et de quorum in vivis existentia, statu viduali item et orphanali nullaque alia provisione *Parochus* et Domus proprietarius, in quietantia testimonium perhibent; dto. 2ae Maji 1852 N° 7871, provocative ad Rescriptum Ministerii Financiae dto. 6ae Aprilis 1852 N° 34711 Parochis injungitur: ut non tan-

[1]) Int. die 25ae Januar 1842 N° 3039.

tum obitum ex Aerario participantis Militaris Personae, sed et copulationem ejusmodi viduae et Orphani, Politicae Jurisdictioni indilatim significent; per hanc Militari Jurisdictioni referendam. — Similiter de obitu pensionatorum Servitorum Montanisticorum, viduarum item ad vota alia transitu [1]) non secus de Individuorum stipendio Fundationis Szécsényiano-Kolonicsianae provisorum mortis casu, indilatim relatio praestanda disponitur. [2]) Tum:

Vigore Altissimae Ordinationis dto 25ae Junii 1793 et dto 27ae Februarii 1816 N° 5710 Parochi distinctas Matriculas super Mixtis Matrimoniis et ex his progenitis prolibus habere jubentur; quo sic proles idmodi sub evidentia semper tenere earumque Catholicae educationi facilius intendere possint. Porro: In Hungaria apud Catholicos, lingua latina, quae decursu plurium saeculorum ad Matricas ducendas adhibebatur, ab anno 1849 iterum reinducta habetur. Israëlitae Matricas rite ducere et non lingua hebraea ast Germanica easdem scribere obligantur.[3])

Cum libri Matriculares ad Ecclesiam pertineant; insuper autem, tenore Intimati dto 7ae Novembris 1831 N° 28988 ex incidenti eo, quod occasione grassantis Cholerae in Filialibus, absque facta Parocho respectivo insinuatione, demortui tumulo illati fuissent, ad omnem perplexitatem evitandam Ordinariatus provocarentur: ut circa *rectificandos* libros Matriculares Mortuorum, penes cunctos regimini suo subjectos Animarum Curatores opportuna disponant; — taliterque *rectificatio Matricarum* exclusive ad Ordinariatus pertinere dignoscatur; — defectu essentiali subversante, dum quis ex Matrica exmissus est, rectificatio praemissa praevia investigatione, auditisque audiendis, per specialiter deputatum Assessorem Consistorialem, aut V. A. Diaconum, instituitur.

[1]) Int. die 3ae Januarii 1837 N° 830. [2]) Intim. dto 21ae Octob. 1834 N° 29,584. [3]) Art. 29. 1840.

Matricis arbitraria Nobilitatis insertio, Cognominum, etiam si per accentus adjectionem vel exmissionem, mutatio, pro praeterito quoque districtim vetatur. [1]) *Extractus Matriculares*, e duplicatis Dioecesanae et Politicae Jurisdictioni praestari dispositis exemplaribus, expediri prohibentur; et unice per Parochum concernentem expeditum Matriculare testimonium, vim legalem habet. — Matriculare testimonium in regula scribitur in charta signata xrorum 15; excipiuntur Matriculares extractus nominatim, vigore Caesareo-Regii Locumtenentialis dto 3ae Aprilis 1851 N° 5114/6 Rescripti, pro Bavaris; item aliis extraneis via diplomatica respectivarum legationum petiti, qui, prout et pro parte pauperum, in charta non signata scribi admittuntur. Matricularia testimonia ex Officio expediri debent, quae Jurisdictio Publica deposcit, item pro Individuis ad Militiam statutis, pariter in charta ordinaria; in quibus tamen absque tymbro expeditis, causa et scopus quo expediuntur ante subscriptionem nominis et adpressionem sigilli parochialis, rite exponi debent. In dandis pro parte privatorum, praecipue e Matricula baptisatorum testimoniis, omnis cautela adhibenda, neque eadem indiscriminatim et sine necessitate expedienda sunt. Taxa titulo expeditionis in Hungaria universaliter praescripta non est, verum juxta Statuta cujuslibet Dioecesis vix tamen infra 1 fl. M. C. desumitur, et legalem Parochi accidentiam constituit.

Matricae loco sicco et ab incendio securo, ac sub sera conservari debent, neque easdem Parochus manibus alterius concredere, eo minus extra Aedes Parochiae dare audet [2]). Dum occasione Statutionis Militaris fit usus Matricae baptisatorum, talem Parochus in scopum hunc aut ipsemet excutit, aut Cooperatori et

[1]) Int. dto 13ae Decem. 1814 Nro 31794; et dto 9ae Maji 1815 Nro 13362.
[2]) Int. dto 13ae Febr. 1778.

non alteri excutiendam tradit. Demum num Matriculares libri diligenter et ad praescriptum ducantur, ac rite conserventur, superinspicere ad Ordinarios pertinet, qui partim immediate, partim mediate, medio quippe V. A. Diaconorum superinspiciunt; V. A. Diaconi autem de Matricis, qualiter duci et conservari solitis periodicam relationem praestant. Hi praeterea confectas cum initio Mensis Novembris Statisticas Tabellas; similiter et duplicata Matricarum pro Dioecesana Jurisdictione cum libro Matricae quotannis praescripto, et supra inter relationes V. A. Diaconorum indicato tempore, conferunt, recipiunt, atque suis Locis tempestive resignant.

§. 54. Inspectio Scholarum elementarium.

Ecclesia Catholica suae pretiosae soboli *Scholae* inde a primordiis tenerrimam curam et sollicitudinem impendit; semper enim considerabat Scholam tamquam educatorium christianae familiae. Hinc jam ab antiquissimis temporibus obtinuit, ut non tantum penes Cathedrales Ecclesias et Claustra Regularium, sed etiam penes singulam Parochiam Schola praesto fuerit, in qua juventus institutioni religioso-morali subjecta, in iis quoque quae ad vitam practicam pertinebant, instruebatur. Imo Parochis juxta c. 3. de vita et honest. ceu obligatio imposita fuit, vel per se, vel per alium Clericum necessariam institutionem impertiendi; unde Scholae Parochiales originem ducunt. Scholarum idmodi Parochialium, Trivialium vel Vernacularum, aut elementarium nomine insignitarum immediata Inspectio ad Parochum pertinet. Parochus quippe vi sui Officii, respectu Scholae est Religionis Professor, Paradigma morum et Scholae Director. Qua Doctrinae Religionis Professori incumbit obligatio, minimum binis per Septimanam vicibus Catecheticam institutionem impendendi, non in nuda et

arida verborum recitatione, sed practica captuique accomoda explanatione consistentem. Ad quod munus conscientiose explendum semet semper debite praeparabit, germen illud pium, examen novellum, in amore et patientia circa se collecturus, ac ad recipiendum prono cordi eorum in sancta et sacra fidem vivam instillaturus. Praeterea curabit, ut Scholaris pubes in corpore Missae Sacrificio devote intersit, et capaces ad initium et finem Cursus Scholastici, tum in Natalitiis, Paschate ac Pentecosten Sacramenta suscipiant. Optandum ut hac in parte quoque ipse Ludimagister praeluceat exemplo; alioquin Confessionem et Communionem Paschalem negligens, ab Officio amovendus decernitur [1]). Cavebit autem Parochus ne libris non catholicis utantur, et si tales apud aliquos observaret, eosdem cum rite conformatis, praescriptis catholicis libellis permutet. — Noverit item, quod Scholas elementares, et etiam Dominicales frequentare obligati, in distractione saltus partem capere, et Diversoria adire vetentur. Immediato ad Scholas elementares Ecclesiae Catholicae influxui favet et hunc salutaribus Dispositionibus prompte promovet Civile Regimen, idipsum Conferentia collectorum Episcoporum grato animi sensu profitente [2]). — In Hungaria ubique in locis illis, ubi Parochus fundatus est, Schola introducenda ordinatur [3]). Imo in Filialibus quoque, dum 50 proles institutionis capaces sunt, aut etiam pauciori numero, praeexistente tamen pro Magistro sufficiente Dote, Scholae vernaculae aperiendae jubentur [4]). Praeterea disponitur: ut immediatam Inspectionem localem Scholarum elementarium Parochus loci exerceat; *siquidem Directio Scholarum eidem non solum competat, sed et incumbat;* Dioecesanis vero integrum sit, scholarum Curam ha-

---

[1]) Int. ddo 11ae Nov. 1791 No 20816. — [2]) Aktenstücke die Bischöfliche Versammlung betreffend. pag. 22. — [3]) Int. ddo 27ae Nov. 1795. No 24567. — [4]) Intim. ddo 23ae Junii 1802. No 13493.

bere [1]). — Ideo Parochus qua Director omnimode curandum habet, ut integra scholaris Institutio et Educatio spiritui Catholicae Religionis apprime congruat; neque institutis Ecclesiae aut Civitatis quidpiam adversum doceatur. — Tenore autem regulativi scholarum elementarium, via Consilii Locumtenentialis Intimati dto 16ae Julii 1845. Nº 15214. editi, et nunc quoque vigorem habentis, ad Parochum qua Directorem spectat, cunctis, quae Institutionem, rectum Ordinem, et Scholae efflorescentiam concernunt, intendere. Ad quem scopum, in Concionibus publicis, aliisque opportunis occasionibus, ob oculos sistant Parochi suis fidelibus, strictam in timore Domini et Disciplina proles suas educandi obligationem, Institutione Scholastica praecipue adjuvari; iisque juxta regulativi hujus §. 76um ad Proles utriusque sexus a 6to ad summum 7º aetatis Anno usque 12um ad Scholas elementares mittendas obligationem incumbere; secus pro casu negligentiae vel renitentiae familiae caput esse responsabile, illudque pecuniariae mulctae obnoxiari. — Parochus omnimode cavebit, ne Proles Catholicae Scholas Evangelicorum frequentent; alioquin enim vigore Rescripti C. R. Ministerii Cultus et Institutionis dto 6ae Maji 1853. Nº $\frac{1782}{229}$ dimissi, provocative ad eatenus editas Normales Ordinationes, Catholici juvenes absque expresso Regiminis consensu ad Gymnasia Evangelicorum assumi prohibentur. Tum in locis illis, ubi et Catholica et Evangelica Schola elementaris existit, Catholicas proles ad Scholas Evangelicas recipere non licet; ubi autem nisi Evangelica Schola reperitur, hanc dumtaxat cum praevio scitu Parochi, proles Catholicae adire possint; quibus per Parochum in Doctrina Religionis instruendis, nec in institutione religionaria, neque in Religionis exercitiis, aut Cultu Divino evangelicorum, partem capere

[1]) Int. Dº 17ae Martii 1802. Nº 5050; Int. Dº 26ae Martii 1817. Nº 8614.

licet. Sed et Judaici Docentes ab impendenda in linguis vel elementaribus objectis Catholicis prolibus institutione arceantur [1]). Causa autem Prolibus Judaicis propria Schola destitutis consulendum, C. R. Cultus et Institutionis Ministerium dto 21a Jan. 1854. ordinavit ut Scholam Catholicam adeant; et unice per exceptionem iisdem admittitur Scholam Evangelicam frequentare, in casu illo, si frequentatio Scholae Catholicae per localia adjuncta ita ardua esset, quod eadem absque notabili detrimento urgeri non possit. Ultro ad Parochum pariter pertinet intendere, ut privati Praefecti in Domibus Magnatum et Nobilium, Alumnos suos in Doctrina Religionis debite instituant, ac praescriptis Religionis exercitiis vacent. Iuvenum Catholicorum institutionem, Praefectis non Catholicis concredere integrum non est. — Porro ubicunque fieri potest, in Scholis elementaribus pueri a puellis distinctim instituendi praecipiuntur. Dum numerus Prolium Scholarium centum superat, penes ordinarium Docentem unus; si usque ducentos ascendat, duo Instructores assumendi veniunt. In conformitate Cap. 8. §. 72. et 73. Scholarum elementarium erectio, restauratio, necessaria interna adjustatio et instructio, tum Docentium provisio, generaliter ad respectivarum Communitatum onus pertinet; nisi nefors Patroni, Benefactores aut privati Fundatores Communitatibus benevole auxiliatricem porrigant manum. — Sed et antehac jam dispositum fuit: ut Filialistae propria Schola destituti, ad dotandum Professorem Scholae Matris, concurrant. — Ligna focalia pro Magistro et Schola partim Dominium partim Communitas, si sylvis provisa sit, assignet; et Communitas ligna secari, ac ad Scholam devehi curet. Dotatio Docentis, partim in naturalibus, partim in fundis immobilibus, per Communitatem, — intellecta eorsum messe, falcatura

[1]) Rescr. Minist. ddº 21ae Oct. 1853. Nº $\frac{10262}{101}$.

et vectura, — excolendis, partim vero in parato aere consistat, et plus minus 120 fl. M. Conv. adaequet [1]). — Pascuum in specie, vigore art. 6. §. 3. 183²/₆ a media Sessione Colonicali cempetit, nisi actu majori pascuo provisi forent. — Ubi titulo ammissorum ab Evangelicis proventuum Ludirectores quotam bonificationalem e Fundo Religionis vel Studiorum accipiunt, Quietantiam, in charta tymbrata exarandam Parochus, de eo, quod decursu temporis pro quo bonificatio levatur, Ludirectoris munere functi sint, et actu fungantur, subscriptione sua et sigillo Parochiali roborat. — Si in Scholis elementaribus Didactrum penditur, Parochus qua Director, reflexionem vere pauperum habeat, utve hi praescriptis etiam libris Scholasticis gratuito provideantur modum quaerat.

Eodem regulativo, nullus pro Ludimagistro aut Instructore adplicandus decernitur, nisi de absoluto biennalis Praeparandiae Cursus examine testimonium accipiat, et ad munus Docentis idoneus declaretur. Instructor aetatis annum vigesimnm superans, qui in hac qualitate minimum anno uno servitia praestitit et coram scholarum Inspectione novo semet examini subjicit, pro Docente inferioris elementaris scholae eligi potest. Iisdem qualitatibus instructi debent esse et privati Docentes, quibus Scholam absque Altiori Indultu aperire, et Institutionem impendere vetitum est. — Norma electionis Ludirectorum praecitato regulativo praestabilita, vigore C. R. Ministerii Cultus et Institutionis Rescripti, dto 12ae Martii 1851. N° $\frac{1724}{20}$ porro confirmata habetur, eo disposito: ut dum stationem Ludimagistri vacare contigerit, hanc erga insinuationem Directoris Parochi, Inspector V. A. Diaconus supplente provideat, mox superiori scholarum Directioni, — nunc vero C. R. Consilii respectivae sectioni, — insinuet, pro Concursu terminum praefigat,

[1]) Intim. dd 27ae Novembris 1795. N° 24567.

atque ad electionem concurrens Patronus vel Protector, Parochus qua scholae Director et Communitas e recurrentibus et probam sustinentibus tres proponunt, Districtualis V. A. Diaconus autem comite opinione, universos recursus et acta, pro ulteriori pertractatione et nominatione C. R. Consilii Sectioni substernit. Nominatus hac modalitate Ludimagister, mox initio auspicati muneris sui, juxta Synodi Provincialis 1611. celebratae et Rituali etiam Strigoniensi ad calcem insertae [1]) publice, in confluxu Populi, Professionem fidei Catholicae elicere obligatur; in sensu quoque Conc. Trid. Sess. 5. c. 1. de ref. per Ordinarium confirmandus.

Director Scholae Parochus, cointelligenter cum V. A. Diacono tempus pro examine bis per Annum servando praefigit, et Magistratuales, Honoratiores, Officiales Dominales, Primores Communitatis invitat. Scholastica Testimonia, in charta non tymbrata expedienda, subscribit; ac audito Judice, sub urgentibus campestribus laboribus pro feriis tempus determinat. Praeterea implemento Officii, moralitati, procedurae Docentis cum Prolibus invigilat. Ludirectorem et Instructores exerrantes mansuete monet, a comessationibus et compotationibus instituendis revocat, ac negligentes aut excessuosos Scholarum Inspectori defert. Si Ludimagister vel Instructores, aut alter in negotio Scholarum proponendum quid habeat, eatenus semet ad Parochum primo convertere debent; qui preces vel querelas pro munere suo audit, et aut ipse medelam adfert, aut Districtuali Scholarum Inspectioni proponit. Demum ut Schola debite conservetur, externae et internae reparationes suo tempore praesuscipiantur, curae sibi sumit, et ad casum renitentiae Communitatis, Magistratus Publici operam interpellat. Ex adverso autem, immunditiem, veluti valetudini etiam prolium noxiam;

[1]) Cap. 3. n. 13, apud Péterfy P. 2. pag. 213.

aut in conservanda Scholari Aede negligentiam non patitur.

Caeterum ne juventus 12um aetatis Annum et Scholam trivialem egressa, eorum quae didicit paulo post obliviscatur; introductae sunt sic dictae *Repetitiones*, aut *Dominicales* Scholae, quas — exceptis Festis Majoribus, — aliis Domini et Festis diebus, juvenes Scholarum elementarium cursum jam egressi, adire tenentur. Hujus quoque Scholae Inspectio ad Parochum pertinet, et Ludirector pro fatigiis jus habet a Communitate distinctam remunerationem praetendendi. Tirones Opificum, praestituto tempore examini subjiciuntur, et super qualiter absoluto in charta non tymbrata Scholare testimonium a Parocho accipiunt, citra hujus exhibitionem, in numerum sodalium haud cooptandi. Universi autem ad Scholam Dominicalem adeundam obligati, si in frequentando negligentes comperiantur, ad diligentiam, poenis pecuniariis cogi possunt.

Novissimis temporibus scopo impedimenta in docendo tollendi, respectum Ludimagistris conciliandum et sorti eorum ex obtutu materiali consulendum plurima acta sunt, ac inter caetera, ut Officium Notarii ab Officio Ludimagistri separetur, neve servitia Campanatoris iisdem imponantur, per Regimen Civile dispositum. Interim cum tenui secus Ludimagistrorum provisioni, per hanc separationem, in plerisque locis, — ubi quippe Notariatui et Campanatoris servitiis emolumenta adnexa deprehenduntur — notabilis strages immineret; interea separatio in modernis adjunctis effectum plenum vix sortietur. Id tamen utilis et honorifici habent Ludimagistri, quod solerter exactis in munere suo Annis triginta, sint pensionis capaces. Pro Viduabus et Orphanis eorum privata pensionalia instituta paulo praeteritis temporibus Neosolii, Scepusii ex Oblatis Benefactorum et annuis per ipsos Ludimagistros pendi solitis exiguis quotis

erigi quidem ceperunt, sed necdum ex incunabulis emerserant. Utinam ubique inducantur et potentius succolentur.

§. 55. Jura Temporalia Parochorum.

a) *Administratio Peculii Ecclesiae.*

Duplicis ordinis sunt bona temporalia, quorum Administratio ad Parochum pertinet; *Ecclesiae* quippe, et *Beneficii*, cujus usus fructus Parocho titulo Officii competit.

Quantum Ecclesiam attinet; cum hujus Peculium, principaliter ad perstringendas publici Cultus Divini necessitates destinatum sit; Parochum, qui Ecclesiae praeest, et ad quem Cultus Divini directio et cura pertinet, administratio proprietatis Ecclesiae, sive mobilium sive immobilium, jure utroque, Sacro quippe et Profano, concernit. Respectu immobilium jure Civili disponitur, ut Fundi Ecclesiarum et Parochiarum, quocunque sub praetextu, citra facultatem Ordinarii, non commassentur vel non alienentur; et adempti vel diminuti in integrum restituantur [1]. *In regula* autem quaecunque Tenuta Ecclesiarum, in praesentia V. A. Diaconi et Patroni aut ejus repraesentantis, mediante auctione publica, exarendanda praecipiuntur [2]. Exceptio est, si Tenuta idmodi, erga stabilem Canonem, titulo melioris subsistentiae, quin emolumentum hoc ad Congruam imputetur, per Parochum ab immemoriali usuarentur. Episcopus vi juris Superinspectionis, Contractus Arendales ratihabet ac confirmat; et ad elocationes pecuniarias faciendas facultatem tribuit. Capitalia itaque semper cum scitu Ordinarii, ac unice Possessoribus sufficiente immobili fundo proprio provisis ad fructificandum elo-

[1]) Intim. D° 29^{ae} Oct. 1816. N° 31034. — [2]) Intim. D° 21^{ae} Maji 1799. N° 11646.

cari debent; ipsi autem Administratores, a sibi elocandis sive Ecclesiae, sive piarum Fundationum Capitalibus, inhibentur. Dum elocationis casus occurrit, Obligatio scribitur in charta signata, quae juxta legis tymbri tabellam II^am^ Summae elocatae conformata sit. Tum si in securitatem Capitalis specialis hypotheca inscribitur, et Obligatio libro Funduali infertur, vigore Cod. Civilis §. 994. possunt titulo annui census nisi 5. pro Cento stipulari. Civili autem Processuali Ordine provisorie edito, praescribitur: ut Obligatoriales litterae plenam vim probandi habeant illas *debere* per Debitorem *aut propria manu scribi et subscribi, aut per Debitorem et duos testes propria manu subscribi* [1]). Testes interim hi penes subscriptionem Documentum extradantis *debent esse praesentes,* aut per extradantem *de eo certi redditi,* quod is quaestionatum Documentum propria manu subscripserit; secus testes idmodi, et qui eos ad subscribendum induxit, poenae subjiciuntur [2]). Contextum tamen Documenti testibus notum reddere necessum non est, nisi in casu illo, si Extradans scriptum ipsemet legere non sciret. Pro parte eorum, qui scribendi ignari sunt, Documenta Notarii Publici expediunt [3]). Ex hac legis Dispositione patet, quali in exarandis Obligatorialibus Litteris, ut eaedem vim probandi habeant, opus sit cautela. Finaliter Obligatio rite concepta funduali et intabulationum libro inserenda venit; expensas universas Debitore ferre obligato [4]). Relate ad exarendationes, ejusdem Codicis §. 1104. habetur: Dum in Arendam assumpta res, ob extraordinarios eventus, uti ignem, bellum, luem, magnam exundationem, fulminis incussionem, aut totaliter male succedentem procreationem, inusuabilis et infructuosa evasit; eotum Arendalis Census non solvi-

---

[1]) §. 119. pag. 47. — [2]) §. 121 — [3]) §. 114. — [4]) Int. D^0^ 5^ae^ Decembris 1797. N^0^ 24790.

tur. Si Arendator tantum in parte damnificetur, tunc proportionata pars Canonis Arendalis relaxanda disponitur [1]). Dum Arendator indeterminate omnia pericula in suum damnum et onus assumpsit; per id intelligitur, incendium, exundatio et fulminis incussio. Obligat autem se mediante Contractu, ad quaecunque extraordinaria infortunia ferenda; tunc integram stipulatam Arendam excontentare tenetur [2]). — Ex his clarum est, citatas leges illis regulis juris: „*Contractus contrahentibus legem ponit; et: Sicut se quis obligat, ita judicium recipiat*“; plene conformatas esse. Porro interusuria, canon arendalis, aliaeque praestationes, rite incassandae et morosis Debitoribus, sub onere responsionis et refusionis edicenda praecipiuntur [3]). *Imo restantes annuae Praetensiones, Census, Proventus vel Servitutes praetendi neglectae, per Praescriptionem cessant post tres annos* [4]). Ideo vigore legis hujus, interusuriales, aut qualescunque restantiae nec tolerari possunt; sed pactis bonis non succedentibus, Auctore Judice revindicari debent, quia secus neglecta praetensio post triennium extinguitur et cessat.

Peculii Ecclesiae et piarum Fundationum utriusque tam Ecclesiasticae quam saecularis Cathegoriae, — ut jam supra de juribus Episcoporum dictum est — Superinspectio Ordinariatui competit; citra cujus indultum, nec praeexistentia Capitalia diminuere, nec Ecclesiam onere quopiam, etiam per Patronum, gravare; nec erogationes e fisci remanentia praeter currentes, et alias ultra flnos 10 facere, licitum est [5]). Sacri Canones autem districtim et sub poenis gravissimis prohibent bona Ecclesiae et pias Fundationes usurpare. „Si quem Clericorum vel laicorum — ait Conc. Trid. Sess. 22. c. 11. de ref. — quacunque is dignitate praefulgeat, in tantum malorum omnium ra-

---

[1]) §. 1105. — [2]) §. 1106. — [3]) Int. D^0^ 16^ae^ Aug. 1796. N^0^ 12769; D^0^ 20^ae^ Sept. 1796. N^0^ 20338; D^0^ 26^ae^ April. 1797. N^0^ 8667. — [4]) Bürgerliches Gesetzbuch §. 1480. — [5]) Intim. D^0^ 14^ae^ Febr. 1832 N^0^ 3379.

dix Cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiae, Beneficii, Montium Pietatis, — jurisdictiones, bona, census, — — quascunque obventiones — — usurpare praesumpserit — anathemati subjaceat. Quodsi ejusdem Ecclesiae Patronus fuerit, etiam jure patronatus, ultra praedictas poenas, eo ipso privatus existat." Idipsum quoque c. 16. de Foro competenti decernitur. — Quamvis vero Patroni Ecclesiarum in onus Ecclesiae quidpiam assignare nequeant; cum interim ad eorum obligationem pertineat, *in defectu sufficientis Dotis,* internae et externae Conservationis Ecclesiae sumptus ferre, S. Supellectilem, caeteraque ad Cultum Divinum spectantia suppeditare; ratio aequitatis exposcit, ut dum de ampliore, flnos 50 superante, e remanentia fisci erogatione agitur, Parochus eatenus etiam Patrono competenter insinuationem facere non negligat.

Peculii Ecclesiae Administratio fit, penes contraseraturam; ad quem scopum, Syndicus aut Curator vel Inspector cum influxu Patroni et Primoribus Parochianis auditis eligitur. Cista Ecclesiae, pro pecuniis, litteris Obligatorialibus, Contractibus, aliisque Ecclesiam, Parochiam et Fundationes concernentibus Documentis conservandis deserviens, ab incendio et furtis securo loco ponenda, duplici clavi et distinctis seris instructa esse debet; clavim unam Parochus, aliam Syndicus conservat. Syndicus emolumenta Ecclesiae in Conscientia procurare, et Administratori peculii, sive in Contractibus ineundis, sive in interusuriis incassandis, sive demum in necessariis rebus procurandis, opera sua adesse tenetur. Onus ducendarum Rationum illi incumbit, qui Peculium Ecclesiae immediate manipulat; hinc ubi in Civitatibus Syndico fisci administratio credita habetur; is Diario perceptiones universas rite inserere et Rationes ducere obligatur; nullas autem erogationes citra Assignationem Parochi alteram clavim habentis facere

audet. Censurae Rationum, praeter V. A. Diaconum, Patronus, aut ejus repraesentans, — et vigore Intimati dto 14^{ae} Martii 1848. N° 9703, — Primores Communitatis interveniunt, ac Rationes et eorum status activos et passivos, qua testes subscribunt. Status activi et passivi respectivae sectioni Excelsi Consilii C. R. via Dioecesana quotannis exhibentur. Rationes vero documentatas, in plerisque Dioecesibus V. A. Diaconus recipit et Ordinariatui substernit, medio Archi-Diaconorum superrevidendas. Vigore editarum dto 2^{ae} Augusti 1850. Patentalium, pos. 75. sub 6, et 83, documenta ad Rationes pertinentia et manipulationem concernentia, a tymbro sunt immunia; dum tamen in Processu producuntur, singula phylera subjacet tymbro xrorum 15. — Si titulo supplementi Dotis Ecclesiae quidpiam e fundo Publico resolutum habetur; supplementum tale, erga Quietantiam in charta signata juxta Tabellam II. levandum venit.

De caetero sicut nimius, domum laicam magis, quam Dei basilicam indicans luxus, ita immundities et neglectus Ecclesiae per S. Canones improbatur. Diversa Scrinia, in Ecclesia conservari prohibentur et praecipitur, ut *Oratoria, vasa, corporalia et vestimenta, munda et nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quae dedecerent etiam in profanis* [1]). Ecclesiae, Capellae, Statuae Sacrae, quae egregia antenatorum pietas, velut totidem suae erga Divinum Numen subjectionis, monumenta erexit, sunt quasi haereditas sacra in successores transderivata; ideo etiam ex gratitudine rite et decore conservari debent. Certe ubi Ecclesia, Capella, vel Statuae desolatae reperiuntur, eaedem passim animi indifferentis, et depravati religiosi sensus testes esse consueverunt.

---

[1]) C. 2. de Cust. Euch. Chrism.

b) *Administratio Proventus Beneficii.*

Doctrina in genere de origine Beneficiorum ecclesiasticorum, eorum item indole et usu, aliorsum pertinente; hic unice ea, quae ad Beneficii et sic dictae Congruae Parochialis notitiam conferunt, ac jura Administrationis concernunt, exponentur. — E supra allata Parochiae definitione patet, ad ideam illius pertinere, ut congrua Dote provisa sit; seu juxta positivas Canonicas Sanctiones Parochiae debet adnexum esse *Beneficium Ecclesiasticum* deserviens pro provisione Parochi, ad cujus fructuum usum Parochus pleno gaudet jure. — Cum congrua Dos, *congrua Portio* Parocho competat; inde proventus hi, simpliciter *Congrua* dicuntur. Cujus nomine veniunt fixi et certi reditus, supputatis iisdem inhaerentibus Oneribus, Parochis propter Officium, annue assignati [1]). — Beneficia Parochialia, e munificentia Patronorum, privatorum Benefactorum, et Populi fidelis consurgentia, non omnia ita sunt dotata, ut supputatis in sensu Concilii Tridentini oneribus, convenientem Animarum Curatori provisionem praestent; ideo defigi debebat *minimum*, seu certa et determinata quota, quae si e Beneficii fructu et proventu annuo conflari non possit, per aliunde tribuendum supplementum, ad defixam summam elevetur. In defigenda quantitate Congruae, generalis regula praestitui nequit; siquidem plurimum dependeat a temporum et locorum adjunctis. Prioribus seculis valor pecuniae longe aliam proportionem subivit, cui pretia Articulorum ad vitam sustentandam necessariorum accomodata erant. Si proinde Congrua in parato aere unice percipitur, Regionum et temporum, atque valoris pecuniae et pretiorum ratio habenda est. Ubi in terris dotatio praeexistit, cum haec pro varietate soli fertilis aut sterilis, fructum majorem vel minorem, in aliquibus autem locis, si expensae Cul-

[1]) Conc. Trid. Sess. 7. c. 7. de ref. et Sess. 24. c. 13. de ref.

tivationis, — quorsum etiam familiae copiosae intertentio pertinet, — calculentur, prorsus nullum reddat; ista in considerationem summi debent. His obtutibus accomodatam fuisse ejectationem Congruae Parochialis in Hungaria, Conscriptiones et Acta testantur. Sub Leopoldo I° Imp. et Rege Congruae Parochorum *minimum* in flnis 200 defixum erat; illis temporibus provisio certe convenientissima. Sub Augusta Maria Theresia, nova Proventus Parochialis Regulatio praesuscepta, et Congrua 1758° in flnis 300 determinata fuit. Subseque aucto numero impopulationis, et adjunctis mutatis, decreta fuit ope b. Resolutionis dto 3^{ae} Octobris 1777. N° 5098. ad R. Locumtenentiale Consilium dimissae, Parochiarum multiplicatio et nova Congruarum adjustatio. „Cum ad veram — inquit praecitata b. Resolutio — religionem, salutemque Animarum plurimum conferre videatur si Parochiae multiplicatae, et *Parochi convenienter dotati fuerint,* — — decretum est, ut opus hoc Conscriptionis Parochiarum, juxta adnexa puncta, et si quae adhuc Consilium Lttle Regium addenda censeret, susciperetur.“ Cujus in sequelam, prout subseque sub Augusto Josepho II. Imp. et Rege, Parochiarum quidem numerus auctus, sed Congrua Parochorum porro in flnis 300; Capellanorum Localium in flnis 200; et Cooperatorum in flnis 150 interimaliter, donec quippe numerus Religiosorum, qui Pensione e Fundo Religionis providebantur, decreverit, defixa fuit [1]). Dein Anno 1791. die 16^{a} Augusti N° 14540. emanavit nova Ordinatio, tenore cujus Congrua Parochorum in Civitatibus 1^{ae} Classis in flnis 600; Civitatibus 2^{ae} Classis flnis 450; in Pagis in flnis 300 defigebatur; Proventu unius Sessionis Colonicalis, si illam Parochiani excolant, in flnis 50; si solus Parochus in flnis 25 conscribi disposito. — In infe-

[1]) Intim. D° 30^{ae} Martii et 26^{ae} Aprilis 1785.

riori Austria 1783, 263 novae Parochiae et Capellaniae Locales erectae, et Parochi juxta Classes a flnis 600—490; Capellani Locales a flnis 350—300; Cooperatores a flnis 250—150, e Fundo Religionis Provinciae illius dotatae fuerunt [1]). — Caeterum Congrua Parochorum a longo tempore in flnis 300 M. C. pro Hungaria defixa, Augustissimo Imp. et Regi Hungariae Francisco I. tam tenuis visa fuit, ut erga Projectum Regnicolaris Deputationis, mediante b. Resolutione sub 4ª Aprilis 1802. N° 3600, eam in vicis ad flnos 400, in Oppidis ad flnos 600; in Civitatibus ad flnos 800 elevari voluerit. Nova itaque hoc Anno quippe 1802. per totum Regnum Normalis Conscriptio Beneficiorum Parochialium instituta, ast Fundi Religionis tenui statu elevationem Congruae non admittente, eadem ultro quoque in flnis 300 M. C. constabilita fuit. Ob adjuncta temporum et correlationes pecuniarias, Congruales et subsidionales quotae ad dotationem Animarum Curatorum pertinentes, tam videlicet Parochorum, quam et Cooperatorum, primum 1836° a 1ª Novembris e Fundo Religionis in pleno valore Monetae Conventionalis (portionibus tamen equilibus huc non referibilibus) pendendae disponebantur [2]). Demum dto 21ae Aprilis 1852° ea emanavit Suae Majestatis Ssmae b. Resolutio: quod Competentia lecticalis, quae per fideles in pecunia reluitur; prout et stola, a 1ª Julii 1852ⁱ, modalitate in normali 1802ⁱ Conscriptione contenta, in moneta Conventionali praestanda sit. Si tractu temporis, sive per onera quaepiam etiam Contributionis, sive alio casu, Congrua infra flnos 300 M. C. imminueretur; pro ejus redintegratione recursum super quaestionata decedentia testimonio fidedigno munitum, aut novam bonorum et redituum liquidationem Beneficiatus exhibere potest [1]). Competit praeterea Parocho gratuita conveniens habitatio cum Fundo intravillano; et vigore Art. 6. §. 3. 1832/6 *minimum* a proportione unius Sessionis urbarialis pascuum. Ubi Parochus unice in aere parato dotatus est, in Austria, potest desiderare sex jugera terrarum; in Bohemia et Moravia infra decem Metretas.

---

[1]) Oesterreich. Kirchenrecht. Gustermann t. I. pag. 309. — [2]) Intim. D° 8ae Novem. 1836. N° 33138.

Objecta ad Beneficium Parochiale pertinentia, e quibus Congrua eruitur, sunt: fundi immobiles; praestationes in Naturalibus, quarum praecipua et antiquissima erat Decima; census a Capitalibus; tum competentia stolaris et oblationes. — Beneficiatus Parochus fundorum immobilium optimum quo fieri potest usum capiendi jus habet; tenetur tamen rationabiliter et juxta praxim bonorum ac providorum Oeconomorum eosdem usuare; et cum fundi idmodi penes Beneficium perpetuo maneant, ac Successoribus quoque fructificare debeant; Parochus vigore etiam juramenti Investituralis, item sensu c. 2. de Donation. ab omni specie abalienationis, quorsum *deterioratio* quoque pertinet, sub onere refusionis abstinendum habebit [2]). Jure pleni usus fructus, integrum est Beneficiato, terras aut propriis viribus cultivare, vel eas pro longiori tempore in Arendam homini provido et probo locare; cujus Contractus vigor in Successorem Parochum in regula non extenditur [3]). Si tamen ex Arendatione amplior utilitas in Beneficiatum redundet, et e causis gravibus per Ordinarium pro sex Annis adprobetur; intra effluxum Annorum Contractualium morte vel mutatione Beneficiati interveniente; Successor Conditionibus Contractus temporanei, stare tenetur [4]).

Alter ramus proventus Parochialis est Sedecima; ejus in integra Monarchia reluitione decreta, ad hu-

---

[1]) Caes.-R. Minist. Financ. ddo. 25ae Oct. 1851 Nr. $\frac{28334}{2439}$ — [2]) C. 5. 6. 9. 12. de reb. eccl. alien. vel non. — [3]) Conc. Trid. Sess. 25. C. 11. de ref. — [4]) C. 7. de reb. eccl. alien.

jus effectum per b. Patentales dto. 16ae Januarii 1854. §. 19. necessaria disposita habentur.

Praestationes lecticales in Naturalibus vel sunt relutae, vel actu in natura dependuntur. Relutae per respectivos in Moneta Conventionali solvendae veniunt; quoad eas vero, quae in Natura dantur, prout et alias pecuniarias obventiones, census item a Capitalibus, id unice observandum venit, ut eaedem rite incassentur, secus periculo praescriptionis et amissionis exponendae. Bürgerliches Gesetzbuch §. 1480.

§. 56. Jura Stolae et Oblationes.

Primis Ecclesiae Christianae temporibus, universi redditus ecclesiastici, quorum maximam partem pia fidelium oblata effecerunt, in quatuor portiones dividebantur; harum una Episcopo, altera Clericis, tertia Ecclesiis, quarta peregrinis et pauperibus cedebat. Dum itaque e fonte hoc communi, Parochorum indigentiis, pro temporum illorum ratione prospectum fuisset; illi quascunque functiones ecclesiasticas absque omni remuneratione speciali peragebant, et jura stolae, qualia de praesenti vigent, prorsus ignota erant; imo pro functionibus ecclesiasticis quidpiam *exigere*, Simoniacum reputabatur [1]. Caeterum non improbabantur per id largitiones fidelium, ex incidenti eo, dum opera spirituali Parochorum uterentur, in bonum sive Ecclesiae, sive Parochi factae; sed id tantum, ne eaedem exigantur, constituendum videbatur: „Si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, — disponitur cau. 13. qu. 2. c. 12. — siquidem Parentes ipsius, proximi vel haeredes pro luminiaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus; peti vero aliquid aut exigi omnino prohibemus.“ Et Rituale Romanum Pauli V. postquam omnes

[1] C. 8 et 9. de Simonia.

exactiones in Administratione Sacramentorum damnasset, subjungit: „si quid vero nomine eleemosynae, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento a fidelibus sponte offeratur, id licite pro consuetudine locorum Minister recipere poterit.“ Interim tractu temporis tepescente fidelium zelo atque charitate refrigescente, cum fundus provisionis Parochorum magna in parte deficeret, imo in locis aliquibus penitus cessaret, ea suapte enasci debuit necessitas, ut cum aliud commodius medium Parochos providendi praesto non fuerit, non quidem pro Administrato Sacramento, aut alia functione spirituali, sed pure pro fatigio, et qua necessarium subsistentiae medium, — secundum S. Paulum: „*dignus est Operarius mercede sua, — quis militat Stipendiis suis?*“ — Spontaneae oblationes, in necessarias praestationes commutarentur, et jura stolae ubivis fere locorum introducerentur. In his imperiosis adjunctis tamen in Hungaria nunquam recessum fuit ab illa intentione, quod siquidem praevigens hanc in rem usus, spiritui Ecclesiae aliquatenus contrarius sit, obventiones stolares tollantur, et provisioni Parochorum alia modalitate succurratur. Ita praecitata b. Resolutione dto. 3ae Octob. 1777. Consilio Lttli. Regio commissum fuit: „Ut cum concursu Camerae Hungarico-Aulicae in deliberationem assumeret, et sensa sua manifestaret, qua ratione in universis cameralibus et vacantium episcopatuum bonis, *stolam ordinariam baptismi, introductionis, copulationis et sepulturae,* in quantum fieri potuerit, abrogandam, atque Parochis alia ratione subveniendum censeret.“ Ad hoc dein emanavit b. Rescriptum dto. 5ae Martii 1779, vigore cujus disponebatur, ut praememorati Parochi, „nullam a Contribuentibus stolam desummant, verum baptismum, copulationem, introductionem et sepulturam, iisdem contribuentibus gratis administrare teneantur.“ — Successive et id tentatum fuit, ut spiritui Ecclesiae adversum hoc

praestationis genus, in fixum quodpiam aequivalens convertatur, hocque scopo, Contractus ubique ineantur, id interim paucis locis successit, et nec hic in effectum deduci poterat. Patet tamen ex his quantopere Suprema Potestas hanc odiosam Parochialis Proventus speciem, in aliam commutare, taliterque remotissimam etiam a Ministris Religionis Avaritiae suspicionem amovere omni tempore adnisa sit. In reliquo interea, donec feliciore epocha illucescente, de Parochorum provisione aliter prospectum fuerit, Stolaris praestatio sat notabilem partem Congruae constituens, ad jura eorum refertur, in eadem tamen exigenda omne moderamen adhibendum, neque a pauperibus, quos Curator Animarum succolandos habet, in illa, qua a ditioribus mensura desummenda, sed potius iis condonanda est. In Gallicia, ex dispositione Gubernii, in novis Parochiis, praestatio stolaris annue flnos 50 MC. importans, ad supplementum Congruae non imputatur. In desumenda Stola omnis ingrata lucri cupiditas a Clero quam longissime absit [1]), ideo praescriptam in Dioecesi Stolam exigendi normam non excedat, neque Parochus titulo liberae stolae plus quam duplum exigere audeat. — Generaliter autem pro Administratione Sacramentorum, quidpiam exigere, vetatur; ob restantias vero stolares, aut ob praevie non solutam stolam, sepulturae dilatione, aut plane denegatione, quidpiam extorquere velle, sicut dedecorosum, ita poenale est. Cum tamen parte ex una, Parochis de conveniente sustentatione prospici debeat; parte vero ex alia, nemo ignoret incassationem proventus Cathegoriae hujus populo ingratam, et S. Canonibus adversam esse: — videtur quippe, quasi Parochi ex mortuorum corporibus sua lucra quaererent, per idque officio Parochiali manifesta diffidentiae detrimenta consciscant; — certe omnibus viribus

[1]) Intim. ddo. 22ae Novemb. 1803. Nr. 25267.

eo connitendum foret, ut secus etiam accidentalis hic redituum fons cesset, aliter compensandus.

Offertoria, seu oblationes inde a temporibus Apostolorum originem summunt; praeter enim illas largas Oblationes, ad Domum Episcopi per fideles defferri solitas, erat etiam aliud genus oblationum, quae nempe ad Altare, quasi aliqua deposita pietatis fiebant in pane, vino, oleo, incenso, spicis et uvis, e quibus a Sacerdote benedictis, pro conficienda et distribuenda Eucharistia, ac Missae Sacrificio, Cultuque Divino peragendo pars vini et panis sequestrabatur, residuum autem in usum Sacerdotis reservabatur. Ab his distincta erat in aliquibus locis oblatio melis et lactis, neo-baptisatis Catechumenis tributa. Successu temporis, Offertoria haec in pecunia fiebant, actuque fiunt, et nisi expressa offerentium intentio aut consuetudo aliud disponat, jure Communi sive in Ecclesia, sive in alio sacro intra fines Parochiae sito loco fiant, Parochus fundatam intentionem habet ad omnes oblationes [1]). Offertoria statis temporibus, Festis quippe majoribus et in Patrocinio Ecclesiae, alicubi etiam Dominicis Novilunii fieri consueverunt. Ubi usus, per Canonicam Visitationem stabilitus invaluit, ut ex iis Servi Ecclesiae certam partem tollant; haec eisdem tribui debet. Cum Offertoria pure a liberalitate Parochianorum pendeant, et titulo melioris subsistentiae dentur; nunc praeterea ab aliquot lustris vix non in desuetudinem abierint, aut admodum tenuia sint; ad Congruam, quae e dispositione Canonum certa et fixa esse debet, calculari nequeunt.

Oblationibus accensentur etiam piae Fundationes pro Missae Sacrificiis factae, et hae, e principiis et spiritu Ecclesiae, nisi *sub titulo eleemosynae* acceptari indulgentur. Fundationes hujus Cathegoriae,

[1]) Can. 10. q. 1. Can. 15. — Cap. 9. de his quae fiant a Praelatis.

quas pietas fidelium, — praeter spiritualem salutis aeternae scopum, — semper in subsidium melioris subsistentiae Cleri ponit, potissimum illa expressa clausula ac conditione affectae sunt: ne ullo unquam tempore ad Congruam imputentur. Praeterea non infrequenter evenit, quod fundationalia idmodi Capitalia, — cumprimis ubi celebratio Missae Sacrificiorum diebus est alligata, Parocho aegre decumbenti non fructificent; cum aeger Parochus Missarum obligationi medio alterius Sacerdotis satisfacere, atque taliter fundationale Stipendium supplenti erogare debeat. E quibus rationum momentis patet eleemosynam idmodi ad Congruam tuto calculari non posse. — Qualiter Capitalia fundationalia administrari debeant, superius de administratione peculii Ecclesiae expositum est; hic unice attingitur, quod super factis novis fundationibus, juxta praescriptas rubricas in duplici exemplari Ordinariatui relatio praestanda, et hujusmodi perpetuae Fundationis adprobatio semper petenda veniat. — Quietantiae super perceptis Missarum stipendiis, et recognitio de expleta Missas legendi obligatione a taxa tymbri immunis declaratur [1]). Similiter vigore editae C. R. Financiarum Ministerii Ordinationis, titulo Stipendii Missarum pro defuncto absolvendarum oblatio pecuniaria, inter expensas sepulturae ecclesiasticae calculanda disponitur: et eapropter quietantia super percepto extradata, a taxa tymbri immunis decernitur [2]).

§. 57. Obligationes Parochorum.

Tametsi praerecensita jura Parochorum *potissimum* Obligationes in se includant, et ut dicitur non permissiva sed obligativa sint; praeter illa tamen specialibus Officiis adstringuntur, quae nomen Obligationum Parochialium sortita, Parochis propria sunt. 1° E dispositione Conc. Trid. „provisi de Beneficiis quibuscunque Curam Animarum habentibus, tenentur a die adeptae possessionis *adminus* intra duos Menses — — Orthodoxae suae fidei *publicam* facere professionem, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondere ac jurare; — — *alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur*" [1]). In obsequium proinde legis, gravi Sanctione munitae, Parochus Canonica Institutione, seu ut dicitur Investitura obtenta, semet in et ad reale possesorium Beneficii praescripta forma introduci procuret, et praeimpositae Obligationi, adminus intra bimestre inomisse satisfaciat; atque vigore Bullae Pii V. dto. 18ae Martii 1576 „De conferendis" intra duos Menses semet Populo Parochiali praesentari curare teneatur. Idem Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 1. de ref. caeteras quoque Parochorum Obligationes in compendio sistit, disponendo: „*Cum praecepto Divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum Cura commissa est, Oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt; Sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant.*" Unde jam sequentes particulares Obligationes deducuntur; tenetur quippe 2° *Oves suas agnoscere.* Cognitio Ovium ad utiliter gerendam Curam Animarum magnum influxum habet. Ideo oportet Parochum inter suos fideles libenter versari; cuilibet fa-

[1]) Pos. 48. sub. 0. et 117. Sub. p. textu Germ. — [2]) Ddo. 23ae Maji 1853.

[1]) Sess. 24. C. 12. de ref.

cilem accessum ad se praebere, neminem aspernari, non durum et impatientem, ast dilectione plenum semet exhibere. 3° Praeter Oblationem Missae Sacrificii, verbi Divini praedicationem et Sacramentorum administrationem, — quae jam superius exposita sunt — tenetur: *bonorum omnium operum exemplo pascere.* Quamvis lati *de vita et honestate Clericorum* S. Canones, — quorum meritum sub titulo proprio recensetur, — cunctos in sortem Domini vocatos concernant; iidem tamen ad Rectores Animarum praecipue referuntur. Cum enim instituere, adhortari, arguere ad hos pertineat; ipsi primum in omnibus bonorum operum exemplum semet praebere, et forma gregis ex animo fieri debent. „Qua etiam libertate, — ait idem Conc. Sess. 14. in Proëm. — laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quae corripiunt?“ Modestia adsit in omnibus, tonsura patens, conveniens clericalis habitus, fuga vitiorum, mores compositi ornent Parochum, eique venerationem procurent. Juxta monitum Apostoli: „nemini ullam dantes offensam, ut non vituperetur Ministerium nostrum.“ 4° Inter praeclara Christianae erga proximum charitatis opera merito adnumerantur Instituta pauperum, Nosocomia, Xenodochia, quibus vere egeni, neque vitam labore manuum sustentare valentes, foventur; quae Ecclesia semper speciali attentione prosequebatur. De Sancto Basilio refert S. Gregorius Nazianzenus: „quod amplissimis aedibus extructis, atque annuis proventibus constitutis, quos a divitibus et copiosis hominibus prudenti oratione ad largitatem impulsis collegerat, aegrotos omnes in unum coegerit, pauperum Gymnasia haec appellans.“ Idem praestitit S. Chrysostomus, et plurimi alii etiam Gradus minoris viri Ecclesiastici. Parochus itaque tenetur *Pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerere.* Obligatio haec cum Officio Parochi summopere est connexa; non sufficit

enim charitatem erga proximum verbis praedicare, sed eadem operibus vivificari debet. Nullus certe consilio et ope Parochi magis indiget, quam derelictus Orphanus, et pauper, qui *res sacra* communiter dicitur. Ideo Parochus, praeexistens nefors Xenodochium, Nosocomium, Orphanotrophium et Institutum pauperum specialiter fovere; ac ubi praesertim Institutum Pauperum non existit, — Intentionibus etiam Civilis Regiminis conformiter — curae sibi sumere obligatur, ut illud e piorum Benefactorum oblatis consurgat; taliterque, saepe etiam eleemosyna indignorum vagae mendicationi limes ponatur. — Quietantiae, super percepta minori eleemosyna, aut Symbola, legis tymbri pos. 48 sub l. a taxa tymbri immunes declarantur. Ubi autem de receptione ad Instituta benefica pro pauperibus deservientia agitur; item in Judiciariis, pro casibus singularibus, testimonium paupertatis; scopo testimonii semper exposito, in charta non tymbrata extradat. Per Pauperes autem vigore Patentalium dto. 12ae Septembris 1850 editarum §. 1° intelliguntur, qui e realitatibus, censu Capitalium, vel Servitio aut labore manuum ampliorem reditum non habent, quam in communitate illa, diurna merces efficiat. Testimonio idmodi, nominis subscriptione roborato, etiam Sigillum Parochiale, adprimendum disponitur. 5° „Admonet S. Synodus Trid. quoscunque ecclesiastica beneficia saecularia, seu regularia obtinentes, ut *hospitalitatis officium*, a Sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere adsuescant“ [1]) S. Chrysostomus autem Sacerdotes ad hospitalitatem exercendam hortatur, eo addito, quod Deus non secundum statum eorum quos hospitio excipiunt, sed secundum voluntatem, liberalitatem et bonitatem quam testati sunt, eisdem mercedem retribu-

[1]) Sess. 25. C. 8. de ref.

turus sit [1]). Neque Parochus ad hospitalitatem, erga peregrinos et pauperes misericordiam excitare potest, si ipse nefors ex tenacitate et avaritia in Clericis summopere damnata, ostia Domus suae petentibus se praecludat. 6° Inter principales Parochi Obligationes refertur *Oratio*. Si in genere Clerici ad Orationem obstringuntur, magis incumbit obligatio haec Parocho, non tantum ut fideli Populo bono praeluceat exemplo, sed et ut pro salute ejusdem, coelesti item terrestrique Benedictione preces ad Deum fundat, et ad suos labores et conatus felici effectu coronandos, auxilium divinum imploret. Specialiter autem Ecclesia, — praeter alios in Sacris Ordinibus constitutos Clericos, — eos quibus Animarum Cura commissa est, ad *horas Canonicas* devote persolvendas obligat; ut ita etiam in Oratione inveniant contra mundi illecebras praesidium, semetque adversus difficultates quibus obsiti sunt in stadio, quod decurrunt, confirment. Qui vero obligationem hanc copiosis Decretis Conciliorum impositam intermittit „beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii et temporis, suos non facit, sed eos, tamquam injuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare tenetur" [2]). Caeterum in sacratis his Ecclesiae precibus, praeter alios spirituales fructus obedientiae quoque meritum subest; quae cum prae ipsis Victimis et Sacrificiis major sit, dubium non est medio illius, in devote orantes peculiares etiam Gratias Dei dimanare. Ex adverso autem tot legum Canonicorum, Breviarii recitationem inculcantium neglectus, gravi animadversione dignus est. — Obligationis hujus gravia momenta uberius sistuntur in speciali Dissertatione, jussu Primatis et Archi-Episcopi Strigoniensis Alexandri Rudnay edita, et per singulas Regni Parochias distributa. — 7° Ut Parochus gravi suae Vocationi debite respondere possit; *in litterarum studiis semet perficere, ac in scientia continuo pogredi obligatur*. Curator Animarum est specialiter ad docendum vocatus. Illi publice, privatim; integram Communitatem et singulares Personas instituendi, — et cum saepe in integra Communitate ille unicus litteratus existat, — in occurentibus non raro intricatis casibus consilium dandi, obligatio incumbit. Non sufficit proinde in Seminario velut stadio educationis, jacta esse aliqua Theologiae et Juris Canonici semina; sed haec, ut ad maturitatem veniant, continua lectione nutrienda et foecundanda sunt. In sui interim perfectione is Ordo servetur, ut ea caeteris praeferantur, quae stricte Curam Animarum tangunt, quorsum etiam sedula lectio SS. Patrum pertinet. Disciplina juris ecclesiastici, — ob magnam utilitatem *Theologia practica* aut *Theologia rectrix* dicta, — sine cujus cognitione Parochus in Officio suo coecutit, specialiter percolenda est. „Nulli Sacerdotum — jubet can. 4. Dist. 38. — liceat Canones ignorare." Item ibidem c. 1. „Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. — — Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sacras et Canones." — Penes haec tamen nec alia sunt penitus negligenda, cumprimis quae ad recentiorem litteraturam referuntur. Ad hunc autem scopum, nihil tam salutare est, quam erectio Bibliothecarum Districtualium; facilius enim unitis, quam separatis viribus quidpiam fieri potest; et hac ratione ex annuis proportionatis oblatis, quotannis nova et nova penus libraria procurari valeret. 8° Parochus obligatur ad *Personalem Residentiam*; seu, in Parochia sua in interruptim praesens esse, et cum munere Parochiali junctam Curam Animarum, personaliter exercere debet. Isthoc in natura rei fundatum postulatum Ecclesiae, est ita antiquum, prout ipsum Parochiarum institutum „Benefi-

[1]) Dist. 42. C. 9. — [2]) C. 1. et 2. de Fruct. Benef. restit. in 7°.

cium enim datur propter Officium;" neque ullus censetur ideo dotasse Parochiam, ut aliquis otiose proventu perfruatur. Et Christus Dominus, ideam veri Pastoris adumbrando, ait: Pastoris vocem Oves audiunt; vocat eas nominatim, educit eas, et vadit ante eas, oves eum sequuntur. Quod utique nisi praesens facere potest [1]). Unde Conc. Trid. praec. Sess. 23. c. 1. de ref. declarat: quod *praecepto Divino* mandatum sit omnibus, quibus Animarum Cura commissa est, ut in munia Pastoralia incumbant, quae implere non possunt, qui gregi suo non assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Peccantes vero ammissioni fructuum, et aliis poenis subjicit. — Ipsum interim Oecumenicum Concilium Tridentinum l. c. moderatur obligationem Residentiae personalis, et causa occurrente, absentiam admittit; dicit quippe: *„qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum Sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt."* Dubiis autem hac in parte quoad tempus emergentibus et S. Congr. Conc. Trid. interpr. propositis, eadem 7ª Octobris 1604 respondit: Parochum, non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo, non posse per hebdomadam abesse [2]). Unde Canonistae statuunt, quod absentia ad sex dies semet extendere possit, dummodo intermedio tempore dies Domini vel Festus non occurrat. In Dioecesi Nitriensi, vigore Statuti, Parochus pro triduo abiturus, idipsum Districtuali V. A. Diacono insinuat, pro absentia ultra triduum durante, indultu Ordinarii semet providere tenetur. Porro e dispositione Conc. Trid. l. c. Parochus nisi causa per Ordinarium cognita et probata, constituto prius cum debita mercedis assignatione Vicario, ab ipso Ordinario adprobando, abesse potest. Licentia vero in scriptis et gratis concedenda est, quae tamen ultra duos Menses, nisi ex gravi cau-

[1]) Joan. 10. — [2]) Collect. Zamboni.

sa, non extendatur. — Obligatio Residentiae tam stricta est, quod ab ea Parochus *nec tempore pestis*, vita in periculo existente, absolvatur. Si perniciosum est Proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus [1])? — S. Congr. Conc. Trid. eatenus interrogata: censuit Parochos tempore pestis teneri in Ecclesia Parochiali residere, illosque cogi debere ad praescriptum c. 1. Sess. 23. de ref. et Parochiae incolis peste laborantibus Sacramenta baptismi et Poenitentiae per se, vel alios idoneos omnino ministrare [2]). Quam in rem disserens Benedictus XIV. egregie, ut consuevit, adnotat: residentiam saeviente peste formalem esse debere; cum secus inutilis foret, si materialiter tantum residerent." Itaque quoties Divino Consilio, et hominum peccatis sic exposcentibus Civitas vel Gens aliqua — porro prosequitur — pestis infortunio afflictata fuisse legitur, ejusdem quoque Dei providentia factum novimus, ut identidem celebre fieret Sacrorum Pastorum regimen, Episcopis, aliisque Animarum Rectoribus ejusmodi virium accessione roboratis, ut Apostolicum Ministerium, vel dum maxime grassabatur pestis, cumulate implevisse dignoscantur, tum populos exemplo, et praedicatione ad poenitentiam adhortantes, tum pauperes effusa liberalitate sublevantes, Ecclesiae vero Sacramenta suis ipsi manibus administrantes pestilenti morbo infectis, parvipenso, quod maximum suberat, propriae vitae discrimine" [3]). Interim idem Pontifex cum S. Augustino E. et D. eum fugae casum approbat, *cum periculum proprium solius Pastoris est;* uti cum Pastor ipse ad necem quaeritur, *non autem cum periculum commune est Pastoris et Ovium.* — Neque intemperiem ac insalubritatem aëris excusare a Residentia memorata S. Congregatio definivit; una vero indulsit, si

[1]) Can. 7. q. 1. Can. 47. — [2]) Zamboni t. 5. pag. 2. — [3]) De Syn. Dioec. l. 13. C. 19. N. 3.

graves inimicitiae adsint, sine culpa Beneficiati ortae, ut Episcopus ad duos Menses veniam absentiae, constituto Vicario idoneo, e reditibus Beneficii providendo, concedat, et pro dictis inimicitiis sedandis se interponat. — Si inimicitiae non possint componi omnino provideat vel mediante resignatione, vel aliis modis a jure permissis, ut Orator personaliter resideat, ad formam Concilii. dto. 26ae Apr. 1653.

Caeterum Residentia, — ut supra dictum, — non sit materialis, sed formalis, non otiosa sed laboriosa. Residentia, quam Divina et Ecclesiae praecepta tam stricte ab Animarum Curatoribus exigunt, non potest intelligi residentia pure corporalis, muta et iners; verum debet esse animata, vigilans activa et ad omnia attenta. Parochi est, fidelem Populum Sacramentorum administratione, verbo vitae et sanis consiliis ac adhortationibus nutrire et defendere; eos, qui a via Salutis declinarunt, ad rectum tramitem revocare, fulcire debiles et tepidos animare; haec autem nisi per residentiam laboriosam obtineri possunt. Dein cum e dispositione Canonum penes collationem Beneficiorum, personales qualitates spectari, et ex dignioribus, dignissimus eligi debeat; Parochus Munus suum ipsemet perficere tenetur, neque illud sine causa alteri committere potest. Regula illa Juris: *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum* — ibi dumtaxat locum habet, ubi personales dotes non considerantur [1]; aut si regulae per speciales leges non derogetur; jam autem leges disponunt; *ut qui paroecialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deserviat* [2]. Et S. Congregatio Conc. censuit cogendos esse Curatos ad subeunda per se ipsos, et non per substitutos ea munia, ad quae tenentur; tolerandos autem, ut per substitutos suppleant, in illis tantum casibus expressis per Canones et Decreta

[1]) C. 43. de Off. et potest. judic. del. — [2]) C. 30. de praeb. et dignit.

Concilii, quibus permissum est eis, ut per vicarios Coadjutores possint Officio suo fungi [1]); ne tamen populosa Parochia existente, Parochus sub onere deficiat, aut Cura Animarum detrimenta patiatur, decrevit Conc. Trid. Sess. 21. c. 4. ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Sacramentis ministrandis et Cultui Divino peragendo, Episcopi cogant Rectores, — vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta ministranda et Cultum Divinum celebrandum. — Relate ad numerum populi generalis quidem regula praescripta non est; passim tamen millenarius assummitur, qui etiam occasione regulationis Parochiarum in Monarchia Austriaca pro cinosura assumptus fuit. Romae edicto publico die 21a Martii 1749 hanc in rem ordinatum est: ut Parochi, in quorum Parochiis Animae eorumdem Curae commissae millenarium numerum excedunt, teneantur Sacerdotem *in sui adjutorium* deputare. Interim et tunc, Parochus, cui Cura fidelium ex Officio incumbit, intendere debet, ut per subsidiariam aliorum operam gregis sibi commissi Saluti quam optime consulatur. 9° *Parochus influxu in populum gaudens*, bonoque ejusdem sincere intentus, obligatur erga Superioritatem, leges item et institutiones publicas fiduciam excitare, atque quoad in se situm est ad promptum obsequium Altioribus Dispositionibus praestandum, paterne et prudenter commonefacere. Demum 10° *Bibliothecam Archivum*, in Armariis sumptu Ecclesiae procuratis, et sera praeclusis, rite conservare, librum Memorabilium scribere, periodicas item relationes, superius de Officiis V.-A.-Diaconorum recensitas, suo tempore et accurate praestare tenetur.

[1]) Ddo. 30. Julii 1591.

§. 58. Jura Honoris.

Supra recensita jura et obligationes sat superque ostendunt, munus Parochi sicut perarduum, ita jam in se ipso honoris plenum esse; ideo illud Ecclesia, non secus ac Status Publicus, velut summe meritorium, in singularibus etiam Individuis praemio distinguere consuevit. Quae spectata *distinctione, fiducia et favore*, jura Parochis propria sunt, horsum reducuntur. Parochus quivis habet *Sigillum Officii Parochialis*, quo in expeditionibus publicis utitur. Signanter coramisant Parochi Quietantias Pensione donatorum et attestantur: Participantem idmodi in vivis actu existere statumque ejus in nulla parte esse mutatum. Quod postremum refertur ad Officium si quod Pensionatus intermedio tempore assumpsit, aut ad Matrimonium nefors initum; vel si Orphani majorennes fiant. Talis coramisatio unice ad scopum levandae Pensionis ab omni passiva et activa taxa respectu Parochi immunis, sub onere responsionis et pro re nata refusionis *suo tempore*, et non ante Menses fienda praecipitur; coramisansque, — praesertim in majoribus Civitatibus — de identitate Individui quietantis, semet plene capacitare debet. — Parochus est in quibusvis Officiosis negotiis et correspondentiis, — quorsum Scholaria etiam referuntur — cum aliis Officiosis Personis fotis, a solutione Portorii Postalis liber; ad quem scopum tenetur in Cortesia exponere, a quo sit Correspondentia, tum adnotare: in stricte Officiosis. — Cum Parochus, in continua cum Parochiano Populo correlatione versetur, frequenter in Aedibus suis, jam Sponsis, jam aliis institutionem impendere teneatur; tum pro tractandis Officii sui negotiis, compositione et memoriae impressione S. Sermonum silentio opus habeat; ob creditam insuper suae fidei peculii Ecclesiae administrationem; Aedes Parochialis a condescensione

Militum exempta habetur. In sensu dimissi ad Consilium Lttle. Hungaricum Caesareo-Regii Ministerii Financiarum Rescripti dto. 25ae Octob. 1851 Nr. $\frac{28331}{2438}$, tum alterius 1854 editi, dum ex obtutu pendendae Contributionis Parochus in Congrua flnorum. 300 diminutionem patitur, pro hujus redintegratione cum effectu recurrere potest. — Parochi zelo Pastorali et Cura Scholarum semet specialiter distinguentes, titulo V.-A.-Diaconi, Canonici, Praepositi aut Abbatis decorantur; et ad altiores dignitates ecclesiasticas promoventur. Demum gaudent Praecedentia prae reliquis in gremio Parochiae existentibus Sacerdotibus.

§. 59. De Administratoribus.

Quae usu diuturno in Patria nostra invaluit *Administratoris Parochiae* compellatio, in S. Canonibus sub nomine Vicarii aut Coadjutoris occurrit; qui est Sacerdos vicem Parochi in Cura Animarum sustinens. — Ubi *Beneficia Curata*, Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis, Monasteriis, aliisque piis institutis, Dignitatibus, perpetuo unita et adnexa reperiuntur; morale idmodi corpus, seu *Parochus habitualis*, e dispositione Conc. Trid. Sess. 7. c. 7. de ref. obligatur Administrationem Officii Curae Animarum, singulari Individuo concredere, qui in regula est *Vicarius seu Administrator perpetuus*, et cum nomine dumtaxat a *Parocho actuali* differat, cuncta Parochialia jura exercet, et obligationes implet, eo unico excepto, quod redituum parochialium e quibus partem pro sui sustentatione tollit, depensio ad Parochum habitualem seu moralem Corporationem aut Dignitatem pertineat. Ubi Parochia Monasterio est unita, Administrator Individuum Ordinis esse solet; iis tamen pollere debet qualitatibus, ut Munus Curae Animarum cum spirituali foenore sustineat, secus per Ordinarium ab Officio Parochiali arceri potest. c. un.

de Capel. Monach. in 6° Idmodi Administratores in sphaera Curae Animarum, subordinantur Ordinario; in iis vero, quae ad Monastica vota pertinent, suo Regulari Superiori subsunt. Similiter et Capellani Locales, seu expositi, aut exposituralistae dicti, qua Administratores, separatam Curam Animarum habentes, ad *universalitatem causarum* dispositi, personalibus etiam juribus Parochorum, uti est *assistentia Matrimonio* fruuntur, et nisi nomine a Parochis differunt. — Praeterea nonnunquam Sacerdos legitime obtinet Beneficium curatum, judicio interim Ordinarii, quacunque demum de causa, Canonicam Investituram non accipit. Hic quoque pertinet ad Cathegoriam Vicariorum seu Administratorum perpetuorum, firmo stabilique jure tenet Beneficium, *ex Officio et jure Ordinario* Curae Animarum praeest, et non pro arbitrio, ast nisi ex causis Canonicis eodem moveri potest, omnium secus jurium veris Parochis competentium particeps, ac ad obligationibus satisfaciendum obstrictus. Demum sunt *Vicarii seu Administratores temporanei*, quorum alii causa infirmitatis ad sensum dispositionis Conc. Trid. Sess. 21. c. 6. de ref. Parochis dantur, et horum activitas a scopo, quo Parocho adlaterati sunt, Mensuram accipit; alii vero absente e causis per Ordinarium probatis Parocho, Decreto ejusdem Conc. Trid. Sess. 6. c. 2. de ref. et Sess. 23. c. 1. de ref. conformiter; item Beneficio Curato vacante, *interimaliter*, usque praesentationem alterius Beneficiati, Curam Animarum exercent. Hi per tempus Administrationis, jure delegato vices Parochi obeunt; proventum Beneficii pro rata temporis tollunt; Parocho interim futuro responsabiles, eidem super cunctis Rationes reddere, atque ea, quae ad Ecclesiam, Fiscum, Fundationes, Parochiam, penum librariam, Archivum et Fundum instructum pertinent, libros item Matriculares, Protocolla, Diaria, librum Memorabilium et historiam Domus ac Parochiae, in

sua integritate resignare obligantur. Ideo morte vel mutatione Parochi interveniente constituti Administratores curae sibi summere debent, ut praememorata ipsimet e Manibus V. A. Diaconi rite recipiant, pari cura et vigilantia conservanda.

§. 60. De Cooperatoribus.

In omnibus Parochialibus vel Baptismalibus Ecclesiis, — ut jam supra attingitur, — ubi numerosus est populus in tantum, ut eidem regendo et pascendo Ordinarius Rector Animarum insufficiens sit; Decreto Conc. Trid Sess. 21. c. 4. de ref. pro ratione majoris vel minoris numĕri fidelium, difficilioris item vel facilioris Curae Animarum Administrationis, unus aut plures adjungi eidem praecipiuntur Sacerdotes, qui Parochum adjuvent, et in Cura Animarum, subsidiariam praestent operam. Alii ob adjuncta Parochi personalia, diuturniorem nempe infirmitatem, corporis debilitatem, vel grande senium, eidem assignantur. Utrique dicti *Cooperatores*, et posteriores hi *Cooperares ad Personam* vocantur. Cooperatores usu communi etiam *Capellani* audiunt; cum interim *Presbyteri Capellani* — a Capellanis Localibus distincti, — illi proprie dicantur, qui Capellas pure ad peragendum in iis Cultum Divinum, juxta defixos per Ordinarium limites administrant; nomenclatio haec Cooperatoribus in sensu juris adplicari nequit. Quantum Officium Cooperatorum attinet; hi eundem scopum et eandem cum Parocho destinationem habent. In genere quippe, institutione et doctrina verbi Dei, Sacramentorum Administratione, Salutem fidelium operari, ad dilatandum item Regnum Dei, et exaltandam S. Matrem Ecclesiam, pro virili conferre obligantur. Cum proinde Parochus et Cooperator, ad eundēm scopum tendant; ideo conformiter, ac animis unitis laborare debent; ne secus per discrepantiam, etiam ad exequendum Pastorale Munus, tantopere necessaria Animi tran-

quillitate priventur, atque Curae Animarum detrimenta adferant. Parochus agenda determinat, et Cooperator in sphaera Officii judicio illius semet subjicere tenetur. Sicut autem Parochus, — prout e praemissis de obligatione Residentiae personalis patet — declinato onere, illud unice in Cooperatorem retrudere non audet; ita ex adverso Cooperatorem ab exercitio Curae Animarum excludere non potest. Id scopo utriusque maxime congruum est, dum Parochus, — praeter stricte Personaliajura et Officia, uti est: *Matrimonialis Copulatio*, — quam Cooperator nec absente Parocho, citra positivum hujus annutum, sub nullitate Matrimonii peragere potest, — functionum spiritualium *Matricis* insertio, et ex his testimoniorum expeditio, Quietantiarum coramisatio, ac alia supra indicata, — residuaad conmmunem curam Animarum pertinentia, ita repartiatur, ut ipsemet, non secus et Cooperator Obligationes sibi incumbentes rite, ac citra magnum aggravium, perficere valeat. Quali autem reverentia, obsequio, fiducia ac amore Cooperator Parochum; quali vicissim charitate, dilectione, et respectu qua Con-Sacerdotem et fratrem Parochus suum Cooperatorem prosequi debeat; qualiter boni nominis famam mutuo defendere; Parochus item convenienter et quantum facultates admittunt, Cooperatorem providere, ac cumprimiscontra praesumptuosam nefors vilipensionem tutari; Cooperator vero ab immoderatis praetensionibus; familiae servilis indecente tractamento, aut cum eadem familiaritate; a turbando Domus Ordine, stricte abstinere teneatur, — horum uberior deductio ad Theologiam Pastoralem pertinet. Eo unice isthic attacto: illud nonullorum postulatum, ut correlationes inter Parochum et Cooperatorem juridice definiantur, fuisse emanationem voluntatis, legalem etiam subordinationem refugientis. Pro Hungaria, ubi Cooperatores in regula, vix aliquot in qua-

litate Subsidiariorum transigunt annos, et ipsimet in aetate adhuc juvenili *Principales Pastores* fiunt, correlationes has ad apicem novis constitutionibus circumvallare velle, superfluum et ipsis Cooperatoribus harum definitionem desiderantibus, perniciosum esset. Aliam considerationem subit situs subsidiariorum Sacerdotum, Cooperatorum et Capellanorum in Gallia, aut in nonnullis Monarchiae Austriacae Provinciis, ubi ob adjuncta Dioecesium; Cathegoriae hujus Sacerdotes, saepe totam vitam suam, aut certe maximam ejus partem, in sphaera subalterna consumere coguntur. Ad hos itaque Subsidiarios Sacerdotes, in munere hoc incanescentes Providentia Superioritatis semet extendere, et eorum relate ad Principales Pastores correlationem, salva semper subordinatione, magis in specifico definire debuit. Hancve saepe ipsimet adhuc ope specialis contractus inter seParochus cum Cooperatore determinare consueverunt. — In Hungaria Cooperatorum Congrua in flnis 190 M. C. emensa habetur; e quibus Cooperator reservatis flnis 100, residuos flnos 90, pro sui provisione Parocho cedit.

Aliquando in casibus occurrentibus, etiam *Diaconus*, qua Subsidiarius Curae Animarum adplicatur; qui praeter Officia Ordinis, qualia occasione Ordinationis eidem per haec verba: „*Diaconum oportet ministrare ad altare, baptisare et praedicare*“ imponuntur; ex commissione et inviatione Parochi, in Schola institutionem catecheticam inpendit, et Sepulturas absolvit; obligaturve ad communem Curae Animarum scopum verbo et exemplo conferre; jugiter prae oculis habendo monitum Episcopi Ordinantis: „*Cura, ut quibus Evangelium ore annuntias vivis operibus exponas; ut de te dicatur: Beati pedes evangelizantis pacem, evangelizantis bona.*“ — Emolumenta autem provisionis eadem quae Presbytero, Cooperatori competunt.

§. 61. Castrenses Capellani.

Hi sunt Presbyteri, ad Curam Animarum in Militia exercendam jurisdictione provisi; nomen *Capellani* sortiuntur a Capella mobili, pro Cultu Divino in eadem absolvendo destinata. Relate ad Officium Pastorale, immediate subordinantur respectivo Superiori Castrensi; cunctis autem praeest Apostolicus Vicarius Castrensis Episcopus Consecratus; a quo necessariis ad exercendam Curam Animarum facultatibus providentur, et Missionem accipiunt; ac tam quoad disciplinaria, quam et criminalia, — exceptis tamen casibus notam criminis involventibus — ejusdem jurisdictioni subjiciuntur. [1]) Si quis vero ob defectus vel excessus, e Cura Animarum Militari, ad Dioecesim, ad quam pertinet, remittendus esset, eotum causae remissionis in specifico exponi debent [2]) Capellanus Castrensis, non est quidem stricto sensu Beneficiatus, cum tamen crediti eidem fideles, notabilem Parochialem Communitatem forment; Munus illius sicut grave, ita meritorium, omnique attentione dignum reputatur. Pro Cura Animarum Militari Individua ecclesiastica praesentant Episcopi, quivis pro Regimine illo, ad quod Dioecesanus Populus suum Contingens praestat. In quorum delectu, ut debita cum circumspectione, sollicitaque cura procedant, atque tales solum viros, quorum habilitas, communis existimatio, et necessariae qualitates, ipsis Episcopis notae sunt, ad Curam Animarum Militarem destinent disponitur. [3]) Idonea idmodi Individua Ordinarii non tantum e Clero Saeculari, sed etiam e Clero Regulari, in quantum intra ambitum Dioecesis existit, deligere possunt. Presbyteri tamen Scholarum Piarum, ob principalem eorum destinationem, quae est Institutio Scholastica, excipiuntur. [1]) Pro Praesentatione, — ne per longiorem vacantiam Cura Animarum detrimenta patiatur, — est tempus sex septimanarum, quod a die insinuationis vacantiae exordium capit, defixum. — Capellanis Castrensibus Cura Animarum, quoad *Militiam vagam*, ad cujus Cathegoriam dt° 24ae Januarii 1851 Nro 301 relata sunt etiam Gensdarmeriae Regimina, competit; Militiae Stabilis Cura Pastorali Parochis relicta. — Pensionati Officiales, causa curandae valetudinis extra Domum Invalidorum commorantes, donec revertantur, Civili ecclesiasticae jurisdictioni subsunt. — Personae Militares in Departamentis equatialibus, adplicitae, esto ad stabilem Militiam pertineant, si tamen proprio Castrensi Capellano provisae sint, ad jurisdictionem Cleri Provincialis haud spectant. — Ablicentiati Milites in casibus praesertim religionariis Jurisdictioni Civili subjecti manent. [2]) Interim occurrente casu Functionis spiritualis, hanc in defectu Capellani Castrensis, Clerus Civilis peragere, et cunctas idmodi functiones, respectivis Matricis inserere, ac extractus cum exitu cujuslibet Anni Militaris via Ordinariatus Superiori Castrensi mittere obligatur. Milites tamen sive ad vagam, sive ad stabilem Militiam spectent, absque concernentis militaris Superioritatis, Capellanorum item Castrensium licentia, et trina promulgatione non sunt copulandi. [3]) Dum Sponsus militaris, cum Persona civili Matrimonium init, Capellanus Castrensis, si praesens sit, copulat; jura tamen Stolae cum Parocho loci dividit. — Stola autem ita est regulata: Persoane Militares, inclusive a Vigiliarum Magistro deorsum, nullam pendunt Stolam; et si cum Civilibus Personis Matrimonio junguntur, Stola tan-

[1]) Intim. dt° 5ae Novem. 1811 N° 27146. [2]) Intim. dt° 5ae Julii 1831 N° 17535. [3]) Intim. dt° 16ae Maji 1831. N° 12085.

[1]) Dec. Aul. dt° 17ae Febr. 1806. [2]) Intim. dt° 15ae April. 1817 N° 10046. [3]) Int. dt° 15ae Nov. 1784 N° 25895; et dt° 14ae Febr. 1785. N° 4112.

tum ex parte harum, seu dimidia solvitur. Officiales Superiores consuetam in Dioecesi Stolam solvunt. Promulgationes Matrimoniales Militum ad Militiam vagam spectantium, in defectu Ecclesiae Praesidiariae per Parochum loci, absque depensione taxae instituuntur. Ubi nulla exsistit Ecclesia proprie Militaris, Capellanus Castrensis peragit Munia Parochialia, in Ecclesia Parochiali, et neque Parochus titulo hoc quidpiam praetendere potest. Si tamen Clerus Militaris pro funere Officialis Superioris, quaedam requisita ex Ecclesia Parochiali desideraret, pro his e relicta defuncti Substantia, Stolaribus Patentalibus conformiter satisfit. Funera vero Personarum ad stabilem Militiam pertinentium, Parochus secundum ultimam classem, — nisi Testamento, aut per Haeredes vel competens Tribunal juxta Altiorem Classem institui desiderarentur — peragenda habebit.

Nota. Ad Militiam vagam pertinent: a) DD. Generales (huc intellectis etiam Campi Marschallis) in castrensibus Servitiis, tum ad Consilium Aulae bellicum, et ad Generalem Rei Geometricae Militaris et tormentariae ac Confinialem Directionem adpliciti; b) Stabus Generalis; c) Praesidiorum et Civitatum Commendantii, cum locali Statu personali et Auditoriatu praesidiali; d) cunctae Legiones et Corpora; e) tres Caesareo-Regiae Turmae praetorianae cum Excubiis Aulicis; f) Commissiones vestiariae (Monturs-Commissionen) g) Neostadiensis Cadetiorum Domus et Architecturae Militaris Academia; h) Praesidiaria Militia tormentaria; i) Armata Militia Maritima; k) Supremum Officium Nauticum; l) Architecturae Curiculariorum, Fossorum Militarium, nec non Militare vecturarium Corpus (Ingenieur's,- Mineur's,- Sappeur's,- Militär-Fuhrwesens-Corps); m) Officium Rei tormentariae; n) Rei Fortificatoriae districtuales Directiones; o) Castrensis Cancellaria apud Generales Armorum Militares Praefecturas; p) Directores Consriptionales; q) Auditoriatus stabales cum judiciariis Actuariis, et Stabalibus lictoribus (Stabs-Profoß); r) Commissariatus bellicus Castrensis; s) Officium Annonarium, et status personalis pistrinae militaris; t) Officiales Cassae bellicae, ubi husjumodi Cassae cum officio solutorio Camerali conjunctae non sunt; u) Galliciana Conductionis Militum Officia; v) Limitanei praesidii Cohortes; w) Transportuales et Collectaculi Praefecturae; x) Praenominatorum uxores (ast non viduae et orphani) et serviles; y) Denique omnia in casum erumpentis belli ad servitia bellica castrensia accomodanda stabilia militaria Individua, sicut et illae Civiles personae, quae se penes exercitum detinent, per tempus belli Jurisdictioni ecclesiasticae cleri Militaris subsunt.

Ad stabilem vero Militiam spectant: a) Pensionati et non adpliciti DD. Generales et Campi Mareschalli etiam si sint Proprietarii Regiminum; b) Omnes Pensionati quiescentes, vel cum retentione Caracteris discedentes Stabales et Superiores officiales, (Offiziere) Militares officiales (Beamten) et Stabalia Individua; Stabales officiales, qui simul sunt Commendantii Militiae Provincialis (Landwehr-Bataillon) nisi e circulis Conductionalibus (Werb-Bezirke) exeant; tunc enim una cum suis militibus ad Militiam activam seu vagam spectant; c) ad Militaria Appellationis Judicia item d) ad Judicia delegata mixta adpliciti Officiales, in quantum hi respectu aliarum personalium suarum qualitatum ad Militiam vagam haud pertinerent; e) Militaris Custodia S. Coronae Hungariae; f) Excubitores, seu vigiliae Politiae una cum suis Officialibus; g) Suprema

Directio medico-chirurgica Viennensis, Josephina Medico-chirurgica academia, nosocomia Militaria (nisi proprium habeant Capellanum militarem, vel in loco stationantis Militiae Capellani Castriensis Jurisdictioni expresse subordinentur) cum suis officialibus, nisi hi aliam quampiam in activa militia adplicationem haberent; *Chirurgi Stabales* penes nosocomia militaria adpliciti eandem cum nosocomialibus individuis subeunt cathegoriam; chirurgi tamen Stabales ad supremam armorum Praefecturam, sicut etiam ad Militares Districtus adpliciti ad Militiam vagam pertinent; h) Instituti veterinarii Status personalis; i) ad administrationem (Regie) et provincialia depositoria Medicamentorum Militarium Spectantia Individua; k) Hernalsense institutum puellarum Militarium; l) omnia individua ad armorum Fabricas Fusorias, tormentorum terebratorias, pulverum pyriorum contusorias et salis Nitri Officinas pertinentia cum ipsis Officialibus, nisi hi secus pro persona sua in quopiam activi Militaris servitii genere adpliciti essent; m) Invalidi patentales; n) Curatores, Magistri ac tracterii in Contuberniis et aliis aedibus Militaribus; o) viduae et orphani omnium Militarium personarum; p) Conjuges, proles, et serviles omnium praenominatorum ad militiam stabilem relatorum Individuorum. Intim. dt° 26ae Januarii 1770.

CAPUT X.

De Regularibus.

§. 62. Origo Regularium, et brevis Conspectus Ordinum Religiosorum.

Omnis quidem, qui christiani nomine censetur, obligatus est, ad vitam praeceptis Evangelii conformem ducendam; interim jam inde ab exordio Ecclesiae reperiebantur plures, qui etiam consilia evangelica secuti, intensisimo conatu eo adnisi sunt, ut per sui promptam abnegationem, eorum, quae sensibus quaqua ratione arridebant subtractionem, corpori quidem duram, ast spiritui suavem vitam ducendo, ampliorem Perfectionem christianam assequantur; hi a continua sui exercitatione *Ascetae* dicti, Monachi quidem non erant, sed Instituto Monachorum praeluserunt, — quamvis alii vitam monasticam e vita primorum Fidelium quibus omnia erant communia originem traxisse asserant, imo ipsos Apostolos vitam Monasticam, non quidem Professione, ut nunc fit, sed observantia sectatos fuisse, curae animarum conjunctam, testimoniis SS. Patrum, et antiquissimorum scriptorum, uti Eusebii, Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini etc. probare nituntur. Talem Monasticam vitam S. Marcus, — teste Thomassino, — Clericis suis Alexandrinis proposuit, et eam instituit. Ad exemplum hoc Apostolorum imitandum hortatus est S. Gregorius M. Augustinum primum Episcopum, et Apostolum Angliae. Idem suis Discipulis sequendum proposuit in sua regula S. Augustinus, et S. Benedictus. — S. Athanasius, ut Drachontium Monachum ad acceptandum Episcopatum persvadeat, proponit exemplum S. Pauli, et caeterorum Apostolorum, item adducit multa exempla Monachorum: „neque tu

solus ex Monachis es constitutus, nosti Serapionem Monachum esse. Nosti Agathonem, et Oristenem; memor es Ammonii cum Serapione.“ — S. Basilius, S. Gregorius Naz., S. Chrysostomus, S. Augustinus, etc. ipsi vitam monachalem secuti sunt. Et S. Ivo inquit: „in primitiva Ecclesia nullus constitutus est Rector animarum, nisi de communi vita assumptus. — De S. Eusebio Vercellensi testatur S. Ambrosius: „eosdem inquit monachos instituit, quos Clericos. — [1]) Ex his omnibus clarum est, jam in primordiis Ecclesiae Monasticam vitam in usu fuisse, quae Individua ad curam animarum suppeditabat. Permulti tamen quiete, et solitudine tenebantur, et non nisi hortatu, auctoritate ad salutem aliorum curandam adduci poterant, multi fugerunt, et latitarunt; atque inde evenit ut alii probatae vitae laici inter Clericos cooptarentur, sic tamen assumpti, communem, et quasi regularem vitam cum suo Episcopo tenere debebant. Ita S. Augustinus talem, qui non vult vitam in communi tenere, sed de proprio vivere, non solum a Communitate ejicit, sed et a Clericatu amovet, „parum est, inquit, ut dicam non mecum manebit, sed et Clericus non erit.“ [2]) — De communione idmodi Monastica in Clero curato reducenda, legendus est insignis tractatus in periodico Scripto, per Viennensem Theologicam Facultatem sub nomine „Zeitschrift für die gesammte katholische Theologie“ edi solito, pag. 21. Fasciculo 1°, et pag. 216. Fasc. 2°.

a) S. *Basilii et S.Benedicti Regula.*

Caeterum *de origine Monachorum*, in quantum ad praesentem titulum propius pertinet, sequentia. subjunguntur. Medio Saeculi III. sub Decii Imp. persecutione, multi, ut impetum eorum, quos ethnica Superstitio in christianos concitavit, declinarent, in proximam solitudinem discedentes, evangelicas exercitationes cum vita *Solitaria* conjungebant, inde *Monachi* dicti. Hos

[1]) epist. 215, [2]) Serm. 563.

inter celeberrimi erant S. Paulus, et S. Antonius, quorum alter a S. Hieronymo, Anachoretarum vitae *auctor*, alter *illustrator* dicitur. [3]) — *Anachoretae* autem nominabantur illi Monachi, qui in solitudine separatim habitabant. Saeculo IV. pacata, et tranquilla Ecclesia, Pachomius in Aegypti Thebaide nonnulla Monasteria aedificavit, ubi in societate sub unius imperio viventes Monachi, *Coenobitae* appellabantur. S. Basilius humanis omnis generis: grammaticae; rhetoricae; philosophiae; Medicinae; Musicae; astronomiae, disciplinis, quibus egregie imbutus erat, semet subducens, comes studiorum fuit S. Gregorii Naz. et ad pium secessum dux. Scopo illo, teste Socrate hist. eccl. l. 4. c. 26. ut religiosi viri pietatis ac religionis ministeria aliis impenderent, vitae perfectioris praeberent exempla et maxime ut Episcopis in eradicando Arii errore auxilio essent, Coenobitae eodem adhuc saeculo in suburbia, et successive agente *S. Basilio Magno* (†. 378) in urbes evocati fuerunt, ac tunc primum S. hic Episcopus, severus sui aestimator, monasticum institutum perfecit deditque regulas, quibus deinceps omnes fere Orientales Monachi paruerunt. Monachi Basilitae Catholici in Comitatibus Bereg, Ungvàr, Sàros, et Zemplén existunt, anno 1360 per Theodoricum Keriatovich, olim Ducem de Munkács, qui prope Munkács in Monte Csernek Monasterium titulo S. Nicolai exstruxit inducti. Habent praeterea Claustra in Maria Póts, Kis-Berezna, Miszticza, et Bikszád in eadem Dioecesi Munkacsiensi; in Bukovà, et Krászni-Brod, in Dioecesi Eperjesiensi sita. Universim in Hungaria Claustra 8. numerant.

Sicut Orientalium Monachorum regularium S. Basilius M. Ep. ita Occidentalium *S. Benedictus, Pater, et Patriarcha* habetur. — Hic 480 Nursiae in Umbria natus, postquam ipsemet per jugem poenitentiam, et extremam sui abnegationem austeram vitam du-

[3]) Epist. 22. ad Eustoch.

xisset, in peripheria Sublacensi duodecim Claustra fundavit. Anno vero 528 cum magis sibi adhaerentibus secessit ad Montem Cassino, ubi constructo Coenobio celebrem regulam edidit, per omnes Occidentis Monachos observatam. Qua Abbas, normam per se praestitutam ad amussim secutus, omnium virtutum, et sanctitatis exemplar, dono miraculorum, et prophetiae clarus, die 21ae Martii 543 in Domino obdormivit. In edita regula, diurna occupatio in Oratione, labore manuum, studiis, quorsum etiam institutio juventutis refertur, consistit. — Huic Ordini plures Populi christianitatis lumen, integrae regiones, sentibus et vepribus repletarum, sine foenore haerentium terrarum culturam; multitudo Mancipiorum libertatem, in acceptis referendam habent; scientiae autem vix non unicum asylum in eodem repererunt. Singulum Coenobium, quod spiritu pientissimi Fundatoris animabatur, erat Schola virtutis, et fons aeternae ac temporalis felicitatis. Scholae claustrales, in suas cathegorias erant divisae; aliae fuerunt *Scholae interiores,* in quibus oblati, — seu proles ex voto Parentum Ordini resignatae, — peculiari sollicitudine, et cura educabantur; aliae *exteriores canonicae,* quae iterum in *minores* ubi elementaris institutio omnibus indiscriminatim impendebatur; et *majores*, pro scientiis, et artibus tradendis destinatae, dividebantur, ac in summo flore fuerunt. Ordo hic Coelo sanctos, Ecclesiae Pontifices summos, copiosissimos Archi-et Episcopos, ac dignissimos, et zelosissimos Sacerdotes dedit, qui etiam inter ethnicos, qua fidei Praecones sanguine Martyrii Doctrinam Christi obsignarunt. Possedit praeterea viros, coaetaneis suis incomparabiliter in omnis generis scientiis palmam praeripientes, quales tempore Caroli Magni Alcuinus; tempore Ottonis III. Gerbertus, postea sub nomine Sylvestri II. Pontifex in historia etiam Hungariae notus, actu nominis celebritatem retinent. A saeculo X. non-

nulli religiosi viri, regulam Benedictinam in accidentalibus quibusdam, adjunctis temporum confomarunt, et inde plures rami enati sunt; horsum pertinent *Cluniacenses*, quorum Congregationis praecipuus promotor erat Odo; — per Romualdum († 1023) *Camaldulenses*, Joannem Gualbertum († 1073) Congregatio *Vallumbrosa*; per Robertum († 1098) *Cistercienses*, — aut *Bernarditae* a S. Bernardo Abbate Clarevallensi (1153) vocati; *Praemonstratenses*, etiam Norbertini a S. Norberto Fundatore dicti. *Carthusiani* S. Brunonis discipuli, strictissimam regulam habent, perpetuum silentium et perpetuam pariter a cibis carnalibus abstinentiam observantes; hac epocha temporis *Felix de Valois*, et *Joannes de Matha*, Ordinem de redimendis captivis fundarunt, per Innocentium III. per quem confirmatus est, *Trinitariorum* dictum. Ultra hos loco hoc unice ea de causa, quod regulam S. Benedicti adoptaverint, memorantur: *Trappistae* 1662 per Abbatem Bouhillier de Rancé fundati; ac perpetuo silentio adstricti, tempus inter orationem et laborem manuum divisum habentes, corpus per macerationem in servitutem redigunt. Ordo hic in ipsa Anglia, ob singularem quem in Materialibus etiam praestat utilitatem, acceptationem habet. — Benedictinorum regula finaliter reformata est 1600. praeeunte celeberrima Congregatione S. Mauri.—Praeterea tempore expeditionum Cruciatarum consurrexerunt Ordines Equestres pro fundamento regulam S. Benedicti habentes. Tales fuerunt *Templarii*, a Templo Hierosolymitano, quod administrabant nomen trahentes; anno 1118 ad defendendos pios S. Terrae Peregrinantes fundati, dum in apice splendoris constituerentur, ob praetensos immorales, nunquam ad evidentiam probatos excessus, Philippi Galliarum Regis victima ciciderunt, in Concilio Viennensi 1312 per Clementem V. sublati. — *Johannitae alias Hospitalarii*, aeque 1118 inducti; per Saracenos e Palestina depulsi, receperunt se pri-

mo ad Cyprum, dein ad insulam Rhodus, unde per potentissimum et bellicosissimum Sultanum Solimanum II. exacti, 1530 a Carolo V. Insulam Maltam acceperunt, inde etiam *Melitenses* dicuntur. Maltam iisdem Napoleon 1799 eripuit, per Parisiensem 1814 tractatum in Anglos translatam. Ferdinandus Imperator Austriae pro Regno Lombardo-Venetico 1841 Prioratum fundavit Comendatoriis jam prius ibidem Ordini huic restitutis; quod exemplum alii etiam Italiae status secuti sunt. In Hungaria Ordinem hunc exstitisse patet e Péterffy Conc. Hung P. II. pag 278 ubi Prioratus illorum recensentur. Magnus Magister Melitensium titulum Eminentissimi gerebat. — Item Ordinis *Theutonici*, etiam *Mariani*, et a cruce alba vesti adsuta *Crucigeri* dicti ad pugnandum contra infideles, et providendos infirmos 1190 e nobilitate Germanica conflati, - dum ex Palaestina exturbati fuissent, Venetias se receperunt, inde ad Borussiam euntes, ethnicis Borussis subjugatis, a tempore Schismatis Protestantici multas vicissitudines subiverunt. 1525 Magnus Magister Albertus Brandeburgensis, a fide Catholica apostatando, Borussiam Ordinis Theutonici Provinciam sub feudo Polonico in Principatum haereditarium permutavit. Finaliter autem Bona hujus Ordinis, quae in Germania remanserunt sunt per Napoleonem Anno 1809 saecularisata, exceptis in Austria existentibus, ubi Magni Magistri (Hoch- und Deutschmeister) Officium unus ex Archi-Ducibus Austriae, nunc Serenissimus Caesareo-Regius Princeps Maximilianus, a pietate erga Coelites et munifica liberalitate clarus, gerit. Equites Theutonici Viennae nominari solent. Porro inter Ordines equestres pertinet Ordo Militaris *Crucigerorum de rubea Stella;* per Art. 96, 1723. ad Hungariam, et Partes adnexas receptus; de praesenti interim, nisi tria ejusdem Ordinis Individua Budae existunt, et in Arce Cura Animarum occupantur; Parochus vero una est Custos

Dexterae S. Stephani Proto-Regis. Assumuntur hi ex Ordinis ejusdem populoso Conventu S. Francisci, Pragae existente. — Ordo Equestris de Calatrava in Hispania 1158. contra Mauros; Christi Ordo in Portugallia 1317. fundatus.

b) *S. Francisci et aliorum ex eleemosynis vitam sustentantium Regula.*

Initio saeculi XIII. Monastica vita per inductos Mendicantium, qui unice ex eleemosynis viverent, novos Ordines, novam accepit directionem. Horum *Patriarcha et fundator est S. Franciscus* Assisii 1182 natus, et 1226 fine beato quievit. Extremam paupertatem professus, voce, et exemplo poenitentiam praedicabat. Litterarum pene rudis, complures socios partim Clericos, partim laicos sibi adscivit, in ordine Diaconatus usque ad obitum perseverans. Laborem manuum et ipse exercuit, et sequacibus suis exercendum commendavit, ita tamen, ut in defectu vitae mediorum, panem emendicare non erubescant. Asseclas suos appellavit *Fratres Minores*, quasi caeteris inferiores, et dedit illis regulam, per magnum illum, qui unquam exstitit Pontificem Innocentium III. adprobatam, in eo cumprimis memorabilem, quod tenore ipsius Fratribus minoribus omnis prorsus proprietas prohibeatur ita, ut regula, — prout S. Pater diserte exprimit, — sensu litterali summi debeat, et nulli epikiae locus sit. Fratres Mendicantes proinde e primigenia institutione etiam in communi pauperes esse debent, solis eleemosynis contenti. Interim mox post obitum S. Francisci, primus Ordinis Generalis Frater Helias, recessit a regula quoad strictum votum paupertatis, S. Patre idipsum eidem praedicente, quod in ordine non sit moriturus. S. Bernardinus, 200 post obitum S. Francisci annis serius vivens, super inducta laxitate ingemuit, rejectisque dispensationibus, calcavit vestigia Magistri, strictioris observantiae instaurator; hinc enata inter Franciscanos distinctio, alii quippe erant

Observantes, qui regulae puritatem curabant, — alii vero *Fratres communitatis*, seu *Conventuales* cum Helia a regula recedentes, dispensationibus usi. — Seu nomine *Conventualium* compellantur Claustri unius omnia commembra, quod nomen minus quoque stricta statuta habentibus proprium est, — ad distinctionem strictioris observantiae, qui *Observantes* dicuntur. — In Hungaria Conventuales Provinciae Marianae sub Provinciali Fabiano Igal sunt reformati; quo 1458, in 8am Aprilis Agriam, — ubi Franciscani vivente adhuc Fundatore domicilium fixerunt, — Capitulum indicente, communi consensu emanarunt constitutiones, die 28a Aprilis subscriptae; a quibus Provincia haec *Conventualium reformatorum* nuncupatur, seu Conventualium quidem sub Ministris, non tamen mere conventualiter, sed reformate viventium. *Observantes* sunt, qui sub Vicariis Generalibus vivunt. — Regulam S. Francisci, hoc adhuc vivente, *S. Clara*, ejus Concivis, cum suis Virginibus amplexa est; quarum Ordo, *secundus S. Francisci Ordo* dicitur; prout *tertius* unde *Tertiariorum* nomen, alias *Fratrum de poenitentia*, consistebat ex viris, et foeminis in hominum Consortio, imo etiam in Matrimonio vitam ducentibus, sed tamen peculiari voto ad pietatem et regulam Franciscanam, quoad fieri poterat servandam obstrictis. Ex his successu temporis, nonnulli mundo valedicentes in communi vitam sub regula ducebant, *regulares tertiarii*, aut *regulares Fratres de poenitentia* nuncupati. Brunae 1853. ex Ordine S. Francisci 90 Tertiarii numerabantur, quorum 40 solemnem Professionem deposuerunt, 25 in universali Nosocomio infirmis servitia praestant; residui vero dispersi opera charitatis christianae exercent. Decursu anni hujus, per Eminentissimum Cardinalem Principem Primatem Regni Hungariae, occasione Visitationis Apostolicae PP. Franciscanorum, Ordo tertius S. Francisci in vitam inductus est, dum Posonii in Capella S. Rosaliae, Ecclesiae PP. Franciscanorum juncta, ad semel 70a Individua huic erga preces proprias solemniter ingremiata exstiterunt.

Ordo primus Franciscanorum in Provincias S. Crucis, SS. Salvatoris, S. Mariae, S. Stephani, S. Ladislai, et S. Joannis a Capistrano, item S. Elisabeth est divisus. Cuilibet Claustro praeest *Guardianus* i. e. *Custos;* plura Claustra formant Provinciam, cui *Minister Provinciae* superinspicit, et omnibus Provinciis *Minister Generalis servus totius Fraternitatis* praeest, qui Romae festo Pentecosten, in generali Capitulo Provincialium, et Guardianorum pro triennio eligitur. Provinciales, et Guardiani pariter triennali electioni sunt subjecti. Ordo hic de praesenti quoque incrementa capit, recentius quippe 1852. caetera inter in Silesia Dioecesi Vratislaviensi duo Conventus existentiam acceperunt.—*Eodem fere tempore* consurrexit alter Ordo Mendicantium pari scopo, et spiritu per *Dominicum Guzman* Hispanum fundatus, *Praedicatorum*, aut *Dominicanorum* nominatus, et per Honorium III. Papam 1216. approbatus. Juxta regulam Ordinis ut quis munere praeconis verbi Dei fungi possit, aetas annorum 25, adprobatio per Provinciales Examinatores, Missio Prioris, et facultas Dioecesani Episcopi requiritur. Dignitas *Generalis Praedicatoris* aut *Lectoris* nisi iis, qui diuturniore usu rerum Doctrina, et praeclaro exemplo probati sunt, per Ordinem confertur. *Magister Generalis* in generali Capitulo ad dies vitae eligitur, et Romae in Claustro Mariae supra Minervam degit. Quilibet Conventus deberet adminus 12 Individua numerare, e quibus 10 sunt Presbyteri, et reguntur per *Priorem* votis Fratrum electum, qui ipse vices gerentem *Sub-Priorem* nominat, et uterque per Superiorem majorem confirmatur. Ordo hic, qui praecipue Missionibus inter infideles occupabatur, mox fuit latissime diffusus. In Hungaria etiam sedem fixerunt, et de praesenti 4 Conventus possident.

Nota. Uterque Ordo hic, Franciscanorum et Dominicanorum, in re quoque litteraria merita sibi comparavit. Inter Franciscanos in sphaera litteraria inclaruerunt: *Alexander Hales,* natione Anglus, Parisiis scientiis excultus, ipsemet dein in eadem Sorbonensi Universitate Scholasticam philosophiam et theologiam proposuit. Dum Ordinem S. Francisci ingrederetur, eotum jam Doctoris theologiae laurea, — hac primus inter Franciscanos — insignitus exstitit. Hi enim per Sorbonam ex aemulatione a Gradibus suscipiendis exclusi erant usque tempora Innocentii IV. seu annum 1244, a quo anno tam Franciscani, quam Dominicani admissi sunt ad Doctoratus honorem. Alexander Hales tantam nominis gloriam consecutus est, ut honorificentissimo attributo: *Doctor irrefragabilis* aut *Theologorum Monarcha* decorari meruerit. Praecipuum opus illius sub titulo: *summa theologiae* publicam lucem conspexit. — *Joannes Fidanza,* per S. Franciscum *Bonaventura* appellatus, seraphico pietatis Ardore et Scientia singulari ordinem illustravit, *Doctoris Seraphici* et per Bellarminum *Doctoris Deo et hominibus grati* elogio decoratus. Parisiis Cathedram in Universitate tenens, omnis generis virtute et Scientia in eo gradu eminuit, quod jam 34 aetatis Anno per Capitulum Generale Romae in Claustro Aracoeli celebratum, in Generalem Ordinis unanimibus suffragiis eligeretur. Permoveri non poterat ad oblatum sibi per Clementum IV. Archi-Episcopatum Eboracensem in Anglia, acceptandum. Cum interim ab obitu Pontificis hujus sedes Apostolica triennio fere vacasset, influxu Bonaventurae accidit, ut in Persona Archi-Diaconi Leodicensis Theobaldi 1271° sub nomine Gregorii X. compleretur, quo jubente, dignitatem Cardinalis una et Episcopi Ostiensis invitus licet ac-

ceptavit; post obitum, Sanctorum et Doctorum Ecclesiae Fastis illatus. — *Rogerius Baco* theologiae Doctor et Professor Oxonii, copiosis operibus rem litterariam auxit, *Doctor mirabilis* dictus. — Acutissimi inter Scholasticos ingenii vir *Joannes Duns-Scotus, Doctor subtilis,* 23° aetatis suae Anno Oxonii ubi triginta millia discipulorum habuisse traditur, subin Parisiis Cathedram Professoris tenuit. Inter opera illius maximam celebritatem consecutum est opus „Summa theologica" inscriptum; B. Mariae V. Immaculatae Conceptionis propugnator, quam doctrinam et Universitas Parisiensis adoptavit. — *Bertholdus Ratisbonensis,* tanta praeditus eloquentia, quod saepe quadraginta usque 60 millia Auditorum variae Classis numeraverit; sed et scriptis inclaruit, e quibus Conciones supersunt, idiomate Germanico conscriptae. — *Vilhelmus Occam Doctor insuperabilis,* qui pluribus editis operibus clarus, theologiam in Sorbonensi Universitate proponebat. — *Petrus Aureolus, Doctor facundus,* in Universitate Parisiensi qua Professor celebritatem nominis consecutus, subin Episcopus Narbonensis, scripsit: Epitomen universae Scripturae juxta litteralem sensum. Compendium theologiae. Commentarios in libros quatvor Sententiarum. — *Antonius Pagi* elucubrandae Historiae ecclesiasticae et Chronologiae Sacrae deditus, docti *Cardinalis Baronii* opus cui titulus: „Annales ecclesiastici a Christo nato ad Annum 1198. Auctore Caesare Baronio", crisi litterariae subjecit, atque fundate non minus ac modeste correxit et emendavit, in opere: „Critica historico-chronologica in universos annales ecclesiasticos Caesarii Baronii, in qua rerum narratio defenditur, illustratur, suppletur, ordo temporum corrigitur, innovatur, et periodo Graeco-Romana,

nunc primum concinnata munitur, Auctore Antonio Pagi." Pars vasti hujus operis, per *Franciscum Pagi* Antonii nepotem et laboris socium, pariter ex Ordine Francisci luci publicae donata est; qui et ipse historiam Pontificum concinnavit sub titulo: „Breviarium historico-chronologico-criticum, illustriora Pontificum Romanorum gesta complectens."

Inter *Dominicanos* eminuerunt: *S. Raymundus de Pennafort*, Collector quinque liborum Decretalium in Foro et Scholis usus amplissimi. Meritum totius operis exprimit versus: *Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen.* — *Albertus* tantam celebritatem nactus, ut cognomine *magnus* decoraretur. Opera ejus 21um volumen in folio complent. Postquam Ratisbonae, Argentorati, Coloniae, et Parisiis philosophiam ac theologiam docuisset, jussu Alexandri PP. IV. Cathedram Episcopalem Ratisbonae conscendit; qua tamen post biennium dimissa, Coloniae in Monasterio vitae cursum terminavit. — *Thomas Aquinas, Doctor Angelicus;* opera ejus actu celebritatem retinent, et sicut judicii profunditatem, ac in Auctore copiosa Dei charismata pandunt; ita claritate, praecisaque brevitate semet comendant. Sanctum hunc Pius V. Doctoribus Ecclesiae adnumeravit. — *Hugo a S. Caro*, Cardinalis, „Concordantias morales S. Scripturae" per S. Antonium Paduanum ex Ord. Francisci, concinnatas, adjutorio 500 ordinis sui religiosorum perfecit, atque prout nunc existunt, sub titulo: *Concordantia major latinorum bibliorum pro omnibus vocibus declinabilibus*, luci publicae tradidit. Inter optimas editiones censentur, editio per Franciscum Schmid Viennae 1825; et Parisiis 1838. procurata. Scripsit praeterea: *Commentarium in V. et N. Testamentum.* — *Henericus a Gandavo*,

Doctor Solemnis, Professor theologiae Parisiis, scripsit „summam quaestionum theologicarum; et de viris illustribus, sive de scriptoribus ecclesiasticis." — *Antonius Florentinus*, etiam *Antoninus*, a pusilla statura dictus, Scientia claruit; invitus et reluçtans, ad sedem Archi-Episcopalem Florentinam evectus. Scripsit tria Ampla opera: „Summa confessionalis. Summa theologica. Summa historica." — *Capreolus*, in Universitate Parisina theologiae Doctor. Tolosae rectoris Studii munere functus. Partes cepit in Concilio Basiliensi; plura scripta reliquit. — *Cardinalis Cajetanus*, Doctor theologiae, sub Leone X. Legatus de Latere in Germania; concinnavit „Commentarium in Thomam de Aquino. — *Joannes Turrecremata* (Torquemada) Cardinalis, inter caetera opera habet tractatum de Ecclesia et Potestate Pontificis. — Inclaruerunt insuper *Melchior Canus; Natalis Alexander;* nunc Parisiis celebratus Verbi Dei Praeco *Lacordaire* cujus conatu Ordo S. Dominici ad Galliam reinductus est. Vid. egregium ejusdem libellum e Gallico translatum: Die geistlichen Orden und unsere Zeit. — Memorabilis praeterea ex ordine Dominicanorum est: *Frater Angelico*, qui cognomen *Beato* obtinuit. De hoc, non pridem ad sinum S. Matris Ecclesiae reversa, vitam asceticam amplexa, atque ab editis operibus celebris Comitissa Hahn-Hahn, in opere „Die Liebhaber des Kreuzes" memoriae tradidit: „Wie Träume vom Himmel und vom Paradiese einer unschuldvollen Seele: so sprechen seine auf Goldgrund gemalten Bilder den Beschauer an. Seine Gestalten weben und schweben in der ewigen Glorie und haben mit Kampf und Leid der Welt nichts gemein. Im unzerstörbaren Frieden wallen sie dahin, und stellt er die Märtyrer seines Ordens dar, so sieht man wohl

Blutspuren an ihrem Haupte, oder ihrer Brust, aber es ist als gehörten sie nur so zu ihrer Ordenstracht."

Porro idem Honorius III. adprobavit regulam *Carmelitarum* qui a *Bertholdo Calabro*, in Monte Carmelo Terra Sancta fundati, orationi, et labori manuum vacabant. In Hungaria unice Jaurini Claustrum retinent. Ad cathegoriam horum pertinent et *Servitae, servi Beatae Virginis,* a Bonfilio Monaldi, et sex aliis Florentinis Mercatoribus 1233. in honorem Beatae Mariae Virginis fundati. Initio radicibus, et herbis vitam sustentarunt, — postmodum regulam S. Augustini assumentes. In Hungaria Domicilium habent actu Pestini, Agriae, et Fraknoviae. — Anno 1526. *Matthaeus Baschi* ex Ordine Franciscanorum propositum coepit regulam in sua tota extensione ad vitam revocandi, cujus sequaces a caputio cuspidato *Capucini* dicuntur. Habet Ordo proprium Generalem, et jam initio saeculi 17' in 50 Provinciis 1,600 Claustra, et prope 26,000 Monachorum numerabat. Juxta regulam S. Francisci Disciplinam observat; propriis tamen statutis conformiter vacat quotidie meditationi, unam duntaxat in qualibet Ecclesia campanam habet; penes Psalmodiam cantu non utitur, nobiliora Metalla, et splendidas Materias ex Ecclesia eliminavit, — neque eorum quae ad victum necessaria sunt, nimiam accumulationem patitur. Onera Missarum et perpetuas Fundationes aeque ita, sicut Societas Jesu non recipit jure proprietatis, verum eaedem, in quantum Capitalia attinet, sub protectione Ecclesiae situantur, fructum respectivus Conventus sub nomine eleemosynae tollit, atque per Fundatorem desideratas preces, vel Missas absolvit. Quaelibet Fundatio nova, via Superioris majoris respectivo Ordinariatui substernitur. Cura Animarum, et Praedicatione Verbi Dei semet principaliter ocupat. Sed et Missionibus inservit, — quo scopo, et recenter mense Septembri 1852. P. Angelo Vigilio cum 25 aliis Missionariis ad Chili navigavit. Provinciali Austriaco-Hungarico Conventus 13; Custodi autem 3 Conventus subsunt. — Ad Ordines regulares, qui initio saeculi XIII. consurrexerunt, pertinet Ordo *Eremitarum S. Pauli*, seu *Paulinorum*, *Hungariae proprius.* Debet hic originem suam Eusebio Canonico Strigoniensi, qui resignato Beneficio, cum pluribus aliis vitam eremiticam praeeligendo, ad Montes Quinqueecclesienses circa Iregh se recepit. Anno 1215. Bartholomaeus Quinqueecclesiensis Episcopus struxit in Monte Patacs cellas, et Ecclesiam S. Jacobo dicatam, atque dispersos in sua Dioecesi hos Eremitas in unum collegit, ex post sub regula S. Augustini viventes. Clemens IV. adprobato Ordine 1262. indulsit, ut Generalem sibi eligant. Corpus S. Pauli primi eremitae a quo *Paulinorum* nomen, Valentinus Episcopus Quinqueeccles. 1381 ad Hungariam adlatum, in celebri S. Laurentii pone Budam Claustro, cultui publico exposuit, sub turbis in regno existentibus, securitatis causa Venetias translatum. Idem Eusebius fundavit eremitorium S. Crucis in monte Pilisiensi, et Ordo hic paulo post per totam Hungariam diffusus, suum centrum habuit in Valle Mariae prope Posonium, celeberrimo Monasterio 1317. aedificato. Universim vero quinque provincias numerabat, nempe: Hungaricam; unitam Germanicam cum Croatica; Polonicam, Istriae, Sveciae. Inter celebriores celeberrimum hujus Ordinis membrum erat Martinusius — (Utjesenich) [1]) per Divinam Providentiam ad magna destinatus. — Serius cum fine saec. 18' ordo hic eandem cum caeteris sortem expertus est, et Claustra 90. reducta fuerunt, inter haec Claustrum Sassinii, et Elefánthense, cujus Aedes una cum Ecclesia elegantissimis picturis ornata actu existit. Hujus ordinis pauca monasteria adhuc in Polonia reperiuntur,

[1]) Emlék-Könyv II. kötet. 366. l.

signanter in Czentstochau Civitate ad pedem praecelsi montis Klarenberg sita, cujus verticem ornat ab antiquo Claustrum Paulinorum cum Ecclesia et in hac miraculosa effigie B. Mariae V. quam innumera utriusque Sexus et omnis Conditionis ac aetatis pie peregrinantium multitudo quibusvis Anni temporibus venerari consvevit.

c) *Ordo S. Ignatii, ordo Societatis Jesu appellatus.*

Ab initio saeculi XVI. vita monastica novam rursum directionem accepit; hac quippe temporis epocha consurrexerunt varii *Ordines Clericorum regularium,* qui pro scopo suae vocationis reductionem moralis puritatis, juvamen in cura Animarum, conversionem ethnicorum, schismaticorum, et haereticorum, Institutionem juventutis, curam infirmorum, et exercitium operum misericordiae assumpserunt. — Inter hos primo loco numerandus est mirabiles vicissitudines subiens *Ordo Societatis Jesu,* seu *Jesuitarum.* Hic originem suam debet S. Ignatio Loyolae, in Hispania 1491. nato; qui deserta militia, semet 1522. Manresam in Monasterium retraxit, ubi macerationi corporis et poenitentiae deditus exercitia sacra deduxit Romae 1548. typis vulgata, copiosissimas editiones numerantia. Susceptae per illum Hierosolymas peregrinationis praecipuus scopus erat, conversio Mahomedanorum; cum tamen magna cum vehementia opus aggrederetur, metu, ne Orientis Christianis detrimenta adferantur, per Provincialem Franciscanorum a Missione amotus fuit. Uberioris in Philosophia, et Theologia perfectionis studio 1528° Parisios profectus, ibidem socios acquisivit Franciscum Xaverium, Jacobum Lainez, Nicolaum Bobadilla, Alphonsum Salmeron, Hispanos; Rodrigues Portugallum et Petrum Faber Sabaudum. Regulas Ordinis substravit sedi Apostolicae pro Confirmatione 1539. regularibus votis communibus, votum illimitatae obedientiae erga summum Pontificem adjiciendo. Ignatius Loyola in Generalem Ordinis electus, Sedem Romae fixit, indeque ad Universas orbis partes Missionarios dimisit. Symbolum ejus sonabat: O. A. M. D. G. — Stupendos effectus produxit Ordo hic, et ideo mox specialibus privilegiis ornatus. Obtinuit quippe praecedentiam prae monachis et saeculari Clero; a Jurisdictione Episcopali et quocunque genere contributionis liber declaratus, potuit etiam in Locis Interdicto affectis sacras functiones exercere; libros censurare, academicos gradus conferre. Dum Ignatius 31ª Julii 1556. meritis clarus, animam Creatori redderet, Ordo in 12 Provincias divisus, plus quam mille commembra numerabat. Post obitum Ignatii in Generalem electus est vir magni ingenii *Jacobus Lainez*, qui inductum in Ordine Systema Monarchicum perfecit. Generalis quippe per Repraesentantes Ordinis, *Professos*, seu corpus societatis, pro tota vita eligitur; ad Romae residendum adstrictus, nemini responsabilis est nisi summo Pontifici; in Persona Generalis concentrata est integra Ordinis Potestas; illi subjiciuntur universi Provinciales, prout in Persona Provincialis concentratur iterum integra potestas, super respectiva Provincia. Hos sequuntur *Praesides*, vel *Praepositi* Domus Professorum; dein *Rectores* Collegiorum et *Superiores* Residentiarum, seu filialium ad Collegia spectantium. Quamvis autem plenitudo Potestatis in negotiis Ordinis ad manus Generalis pro tota vita deponatur; indignus tamen, negligens aut inhabilis in onus responsionis trahi, et amoveri potest. Nullum interim in historia depositionis idmodi existit exemplum. Provinciales et Rectores per Generalem ad triennium duntaxat nominantur. Generali, et residuis superioribus adlaterantur *Consultores* vel *Assistentes,* et *Admonitores.* Singulum Individuum moritur mundo, et vivit ordini, cujus instituto omnes suas vires, et propensiones addicere debet; et ideo nisi post formalem decursu plurium annorum educationem fit mem-

brum ordinis. Novitiatus quippe biennio, tempus autem studiorum in Collegiis communiter novem annis durat, et insuper adhuc unus annus novitiatus requiritur, priusquam aliquis ad vota solemnia elicienda admittatur, ita ut pene 12 anni necessarii sint, ut quis *Professus* Ordinis fiat. Sunt vero diversae Classes Jesuitarum, et quidem *Professi*, qui vota plenarie nuncupant, hique proprie nomine Jesuitarum censentur ad altiora Ordinis officia unice qualificati. *Coadjutores* discriminantur in *Sacerdotes*, qui in eadem fere cum Professis categoria consistunt, — et *saeculares*, *Affiliatos* vel *Indifferentes* — dictos. Alia demum Classis est *Scholasticorum*, institutioni Juventutis semet consecrans. Coadjutores et Scholastici vota duntaxat *simplicia* nuncupant, quibus addicuntur quidem Ordini ita ut eum nec deserere, nec ad alium licet strictioris observantiae excepto Carthusiano — transire possint; Religioni tamen integrum est eos dimittere, votisque nuncupatis exsolvere. Juxta Classes has Domus quoque nomenclationem sortiuntur. Professi vivunt ex eleemosynis; Coadjutores autem, et scholastici communes proventus possident; qui tamen unice per Professos administrantur, ast Professi hac in parte subsidiaria saecularium Coadjutorum opera utuntur. — Juxta primaevam regulam, praemissa experientia, et stricto examine inter Professos nisi viri, scientia, et morum probitate insignes ac singularis activitatis deligebantur. His quodpiam extra Ordinem Officium, aut dignitatem assumere, in aulis vivere, vel quodcunque aliud vitae genus sectari integrum non est, factus subin ab hac regula recessus Ordini magna conscivit detrimenta. Jam S. Franciscus Borgia, Generalis Ordinis graviter reprobat, quod nonnulla Individua a scopo vocationis suae recesserint, item quod scientias profanas magis, quam spiritum religiosum excoluerint. Hic Generalis non indulsit ut Jesuita ad Sedem Episcopalem elevari possit. Praecipua, et celeberrima Jesuitarum Universitas erat, et est, sic dictum *Collegium Romanum*, e quo Juridica, et Medica facultate, actu exclusa existente, Theologia Professores quinque, Studia Mathematica, et Physica 5; artes liberales 4; Litteratura Classica latina 6 numerat. E sex Directoribus unus Musaeo Archeologico; caeteri autem Astronomico instituto, et Musaeo Naturalium historico praesunt. Collegium hoc de praesenti etiam frequentatissimum, 1300 et quod excedit Scholares numerat. *Ordinis hujus* relate ad Religionem, Ecclesiam, humanitatem merita sunt incomparabilia; nullus ramus Scientiarum exstitit, quem non percoluissent; stupenda esse quae in litteratura praestiterunt opinio est virorum auctoritate pollentium, una et scientiis excultorum. — Dum in Comitiis Hungaricis anno $184^3/_4$ in Tabula Procerum sermo de Ordine Jesuitarum recurrisset, secundam post Palatinum Dignitatem tenens Judex Curiae Georgius Majláth, in publica Sessione post copiosa Ordini huic tributa elogia, non dubitavit enunciare, modernam litteraturam, et opera quae typis mandantur, relate ad ea, quibus Jesuitae orbem locupletaverunt, esse in proportione pigmei ad gigantem. — Casuistis Jesuitis vitio datum fuit, eos multa paradoxa statuisse, inter haec refertur doctrina de peccato Philosophico, et theologico; de probabilismo; de reservatione mentali, confessione peccatorum scripta, vel medio tertiae personae; caeterum sicut singulares idmodi propositiones toti Ordini imputari non possunt, ita Auctoribus earum laudi cedit, quod a tradenda idmodi doctrina, utprimum eloquio Sedis Apostolicae damnata fuit, eoipso destiterint. Sed et certum est varia commenta quasi ex systemate Jesuitis fuisse appicta, quae prout et Encyclopedistarum Galliae inimicus animus ad Ordinis depopularisationem, et finalem ruinam multum contulerunt. Minister Pombal vatiniano odio erga Jesuitas ducebatur, et ideo e Portugallia 1757. dure elimi-

nati sunt, Bonis illorum confiscatis. In Gallia contra voluntatem Ludovici XV. agente Ministro Choiseul, per Parlamentum, societas qua statui publico periculosa 1761. suppressa. Quae exempla mox sectatores invenerunt, primum in Hispania, ubi 1767. Minister Aranda sublata Societate, cunctos Jesuitas navibus impositos ad statum Pontificium transferri, et ibidem deponi jussit; idipsum fecit Rex utriusque Siciliae. Quia autem et ipsa religiosissima Imperatrix Maria Theresia post multas expugnationes pro Ordinis, quem secus fovebat reductione semet enunciasset; Clemens XIV. periculosum existimabat, Institutum quod fiducia Principum Catholicorum destituebatur, porro conservare; Bullam proinde „Dominus ac Redemptor Noster“ jam dudum paratam, invitus licet die 21ª Julii 1773. subscripsit, facto hoc supremam Ordini cladem inferendo. Bulla haec omni cum severitate executioni data est, primum in statu Pontificio, dein in Austria, Hollandia et Catholicis Provinciis Germaniae. In his angustiis Jesuitae refugium nacti sunt in Russia, et Borussia, ubi per Catharinam II. et Fridericum II. benigne excepti, obtenta a summo Pontifice facultate, vocationi suae zelose serviverunt. Dum 1773. per Bullam Pontificiam sufferrentur, sub Generale Laurentio Ricci fuerunt in 39 Provinciis, 24 Professionis Domibus, 669 Collegiis, 61 Novitiatu, 176 Seminariis, 335 Residentiis, 273 Missionibus divisi, et 23,000 Individuorum, inter hos 12,000 Presbyterorum numerabant. Interim post omnium fere rerum convulsionem, opportunum, imo utilissimum videbatur restituere Societatem Jesu, quam Pius VII. per Bullam „Sollicitudo omnium Ecclesiarum humilitati nostrae“ die 7ª Augusti 1814. restauravit. In cujus sequelam, in statu Pontificio Bona sua Jesuitae receperunt; in Sicilia, Sardinia, Modena, omnes Scholae sunt iis creditae. In Hispania per Ferdinandum VII. recepti sub novissimis interim motibus, Madriti

cumprimis crudelissime et ad internecionem tractati 1835. e Regno exacti sunt. Caeterum sicut ubique, ita et hic faventiora Ordini huic ingruunt tempora; nam ope Decreti Regii 1852. Mense Julio, Claustrum Loyola, quod post ingentis molis Palatium Escurial, Magnitudine, et splendore alterum tenet locum, est Jesuitis restitutum; Matricem sedem hanc, una autem natale solum Fundatoris die 16ª Octobris 1852. in ingenti multorum millium populi confluxu et jubilo occupantium. Incolitur illud pro nunc per 60 Patres, quibus facultas data Missiones in Hispania, Balearibus, et Canariis Insulis, in Africa parte illa, quae ad Ditionem Hispanicam pertinet asservandi. Ordo hic de praesenti in Hispania sex Domos numerat. — In Gallia sub regimine Philippi, Jesuitis Institutio adempta et 1845. in Parlamento constitutum fuit, singularia Individua posse in Gallia manere, ast qua Galli, non autem qua Jesuitae. In Austria ante 1848. revectioni eorum manus admota est; praeter Italiam, in haereditariis Provinciis 5 Domos numerabant, inter has Domus Linciensis, suam integram existentiam munificentiae Archi-Ducis Maximiliani tribuit. Ad Hungariam saeculo hoc usque recentissima tempora penetrare non potuerunt, tametsi vota multa, et ponderosa pro reducendis semet manifestaverint. Ita Generalis Congregatio Comitatus Posegani dd° 20ae Nov. 1820. Altissimo Loco repraesentavit pro reductione Jesuitarum, et conclusit: „ut bene merita haec Societas velut antea regnicolariter recepta, modo in partes Regni reintroducatur, signanter ad L. R. Civitatem Poseganam, ubi per multos annos cum singulari publici utili, ac citra ullum privatorum aggravium, tanquam realitatibus suis, et Abbatiali Dominio Kutjevo provisa, praefuit, transferatur, Suam Majestatem Ssmam de genu exorandam.“ etc. Similiter et Synodus Nationalis Posonii 1822. celebrata, „Societatem Jesu, quam Deus pro admirabili sua providentia ad

propulsandam praesentis aevi impietatem, novitus excitavit, velut tuendae Religioni, erudiendis rudibus, moderandis fidelium conscientiis, et instituendae cumprimis atque educandae Scholasticae Iuventuti perdoneam (absque aliorum Ordinum praejudicio) in Regnum hoc Apostolicum revehendam" — supplicat. — Anno 1848. in Lombardia et haereditariis Provinciis per inimica sibi elementa, via facti expulsi, jam nunc 1852. veteres sedes suas capessunt, imo in Regno Lombardo-Venetico Bona recipiunt; ad Hungariam quoque edicto suae Majestatis SSmmae, aditus iisdem apertus, et per zelosissimum Proto-Antistitem Eminentissimum Cardinalem Joannem Bapt. Scitovszky Principem Primatem, et Archi-Episcopum, Tyrnaviam, ubi diuturno tempore Universitatem optimo cum effectu providebant, inducti habentur. In Germania Missiones illorum, optatum fructum ferunt; ast in Borussia his asservandis per regimen Civile gravia impedimenta ponuntur. Ab anno 1829. praefuit Ordini in qualitate Generalis Joannes Roothan Amstelodamiensis, usque annum 1853. ante obitum sub infirmitate Assistentem P. Pierling in Vicarium Generalem nominando; postmodum die 21ª Junii 1853. Romae electione Generalis instituta, sors cecidit in P. Petrum Beckx, per Austriam Ministrum Provincialem. Praecipua sedes prout et praecipuum educatorium Institutum illorum est Romae. Universim prope 5000 Individua numerant, in 17 Provinciis dispersa.

Nota. Inter plurima, quae grata posteritas Ordini huic in acceptis debet, velut totidem ad moralem et intellectualem perfectionem tendentia adminicula, memoria cumprimis digna reputantur: 1° *Exercitia Spiritualia,* per ipsum Fundatorem S. Ignatium edita; quae quidem ad Systema Scientificum redacta non sunt, continent interim practicam Methodum, hominem a peccato retrahendi,

et ad perfectionem ducendi. Opusculum hoc variis sugillationibus et calumniis impetitum, Paulus PP. III. per Bullam „Pastoralis Officii Cura" 1548. adprobavit, illudque adversus cunctas impetitiones defendi jussit. E copiosissimis anno eodem Romae apud Antonium Bladel typis procusis exemplaribus, ad praesens conservata sunt et visuntur exemplaria, opusculo ab eo tempore jam saepius recuso. Similiter

2° Sancto Ignatio Lojolae existentiam suam debet *Collegium Germanico Hungaricum de Urbe.* Enatis quippe in Germania religionariis et politicis dissensionibus ac turbis, quas nullae eminus dimissae Ordinationes aut refutationes mitigare valebant; Ignatius pro suo ingenii acumine perspexit, in subversantibus adjunctis nihil oportunius futurum, quam fundare Romae Institutum litterarium, in quo optimae expectationis juvenes Germaniae necessariis et utilibus Scientiis rite imbuantur, et ad Patriam suam qua Presbyteri redeant. Cardinalis Moronus utilitatem ideae hujus perspiciens, pertracto in consortium Cardinale Cervino, postmodum sub nomine Marcelli II[i] universam Ecclesiam regente, Julium PP. III. cui nihil gratius projecto hoc accidere poterat, et Cardinales eo inclinavit, ut necessarii ad opus hoc sumptus ex benevolis oblatis conflarentur. Quo scopo Moronus exhibuit tabellam in pergamena confectam, omnium Cardinalium nomina complectentem, in cujus Capite sigillum visitur cum epigraphe: *Vias tuas Domine demonstra mihi.* Tabellam hanc ad manum primus accepit Pontifex, ac eo viva voce enunciato, suam obligationem esse, ut bono exemplo praeluceat, inscripsit: *Ad tam Sanctum Pium et Laudabile opus, conferemus quolibet anno quingentos Aureos.* — Tum Romae praesentes trigintatres Cardinales

benevole subscribebant oblata sua, e quibus annua Aureorum flnorum 3560 Summa conflata est; prout id ex originali in Collegio ad praesens usque pro memoria conservata tabella patet. Ignatius post tam fausta moliminis sui auspicia, dimissis Viennam, Coloniam item provocatoriis litteris, Iuvenes adminus triginta deligi, et Romam promoveri desideravit; taliterque facta jam prius coordinatione, quaestionatum Collegium 1552. prima sortitum est initia. — Albertus Bavariae Dux, propensissima erga Institutum hoc benevolentia ferebatur; Ferdinandus Imperator autem in Universitatibus conquiri jussit talentis eminentiores juvenes, et eosdem Romam ad Collegium dimisit suis sumptibus educandos. Sed non erat omnium in Germania concors de hoc Instituto sensus; imo ad illud vile et contemptibile reddendum, de defectibus et naevis ejusdem varii rumores circumferebantur, quos ex responso Ignatii ad Petrum Canisium dato facile est colligere. „Collegium Germanicum, — inquit ille — quod attinet; minus prosperum illius successum, si non est inimicus ille homo, quis spargat nescio. Secundum sane cursum Deo aspirante ex Sententia tenet. Iniquissimis hisce temporibus omnino nihil Alumni desiderant, quod ad vitae necessitatem vel morum litterarumque profectum faciat. Qui praesentes in Collegio sunt triceni suas in Classes pro doctrinae varietate distributi, spem de se praebent futurum, ut praeclari ad Dei Gloriam evadant. Etiam atque etiam numerum augere cuperemus bonorum. Insolens quispiam inter meliores admissus, iterum dimissus est. Vestra Reverentia in id incumbat, ut adolescentes aliquot frugi seligat, ad nos mittendos. Tam paucis hi adstringuntur opinione nostra, ut miremur aequo graviorem disciplinam et obligationem vi-

deri. Singulis hebdomadis ad suburbanos agros animi causa bis concedunt. Nulla tractantur asperitate, imo maxima potius liberalitate, modo ut cum aedificatione vitam instituere velint.“ Reapse autem apud Patres Concilii Tridentini Collegium hoc tantam Gloriam nactum est, ut illud et ejus coordinationem ac regulas, in erigendis Seminariis Cleri junioris instar paradigmatis statuerint. Interim autem quia Institutum isthoc fixos Annuos reditus non haberet, precaria erat ejusdem existentia usque ad tempora Gregorii XIII. qui illud constabilivit, assignatis eidem ope Bullae die 6ª Augusti 1573. editae quibus semet tueri ac sustentare possit annuis fixis reditibus Aureorum flnorum decem mille, partim ex Ecclesia S. Sabae, partim ex medietate proventus Ecclesiae S. Petri in Districtu Laudensi, et reditu duorum simplicium Beneficiorum conflatis. Comparavit praeterea Pontifex aere proprio Villam extra Urbem existentem, taliterque et reditus Collegii auxit, et Alumnis locum praebuit quo exhilarandi animi causa quavis septimana bis concederent. Demum Apollinari Cardinalatu reducto, Palatium pro habitatione, et Ecclesiam honori Apollinaris Episcopi Ravenatensis dicatam addixit, unde etiam Institutum hoc *Apollinaris* nomen sortitum est; in hac Ecclesia ad praesens existit Ara, in memoriam primi Fundatoris per Alumnos pie erecta, cum inscriptione: *S. Ignatio Societatis Jesu Fundatori Collegium Germanicum Auctori suo posuit.* Penes recensita adminicula, Collegii hujus tam laetus erat progressus, quod jam anno 1575. centum quinquaginta Alumni in eodem educationis et institutionis participes reddi potuerint.

Collegium Apollinare juxta primigenium planum, pro educandis Germaniae septemtrionalis,

Helvetiae item et Vestphaliae juvenibus fundatum fuit. Interim Hungariae quoque tam per novaturientes parte ex una, quam per Mahomedanos Turcas parte ex alia illata strages, vigilantiam et curas sedis Apostolicae excitavit. Gregorius XIII. proinde providentia sua et hanc nationem complexus, dimissa 1577. Bulla, distinctum *Collegium Hungaricum* fundando, — educatione Jesuitis concredita, — eidem S. Mariae in Celsano, Portuensi Dioecesi, tum eo spectantis Ecclesiae S. Stephani in monte Coelio, reditus assignavit. Praeterea S. Stephanus Proto-Rex Hungariae, qui apud exteros etiam, — uti Hierosolymis Claustrum quo peregrini ex Hungariae hospitio excipiantur; item Constantinopoli et Ravennae Ecclesiam magnificam aedificando, — amplissima liberalitatis monumenta reliquit; Romae quoque duplex fundavit et dotavit Institutum, Collegium quippe pro duodecim viris Sacris; tum Hospitale ad excipiendos Romam peregrinantes Hungaros deserviturum. Utriusque Instituti hujus Domos duas cum appertinentiis Gregorius XIII., tenore supra memoratae Bullae, Collegio Hungarico in augmentum dotationis tradendas constituit; quo vero salutaris intentio pientissimi Fundatoris S. Stephani Regis, — ut oportebat — perpetuo stabilis persisteret, veterem erga peregrinantes Hungaros hospitalitatis exercendae obligationem, Collegio huic injunxit, et respective renovavit; Hungarorum juvenum qui educationem et institutionem capiant numero in duodenario defixo. — Interim autem cum facto per biennium experimento, consultius videretur, separata haec Instituta Germanicum et Hungaricum in unum coadunare, inde enatum est *Collegium Germanico-Hungaricum* hungarorum Juvenum numero in 12 defixo.

Mutatione hac subsecuta, novae Instituti hujus coordinationis necessitas emersit. Gregorius XIII. itaque ope Bullae Calendis Aprilis 1584. editae, quin ab essentialibus Ignatii statutis recessisset, Docentium, Superiorum, et Alumnorum obligationes rite determinavit. „Ex Collegio Germanico — inquit ille in praeambulo Bullae — quod superioribus annis in urbe constituimus, magnisque hucusque sumptibus auximus et locupletavimus, religioni Christianae, praesertimque Charissimae Nobis Germanicae nationi, cujus causa initio institutum est, magna cum animi nostri voluptate jam fructus consequuntur non mediocres: unde magis in dies invitamur, ut studiosius in eam curam incumbamus. Frustra tamen a Nobis suscepta esse omnia satis intelligimus, nisi illud, quemadmodum optimis disciplinis et sacrae praesertim theologiae doctrina curamus imbuendum, ita etiam salubribus institutis communiamus: ut juvenes in ipsum cooptati normam aliquam habeant, ad cujus praescriptionem et ipsi suas dirigant actiones, et superiores omnia suorum perpendant momenta officiorum; aetasque illa lubrica ac saepe prolabens, cujus iter cognitu est perdifficile, in circumscripto ei a Nobis virtutis curriculo se exercens, suam modestiam probet et continentiam, paternisque Nostris monitis innitens et monstratam semitam assidue terens, ad propositam gloriae palmam, non illam quidem corruptibilem, sed aeternam, inoffenso cursu deferatur."

Indicato taliter Instituti scopo, ad ejus coordinationem progreditur, et statuit: ut Juvenes in hoc Collegium admittendi, ex superiore Germania, Vestphalia, Saxonia, Prussia, Rheno, atque ex *Regno Hungariae* recipiantur. Tum *omnes sint legitimo matrimonio nati, bona fama comen-*

dati, *sano praeterea corpore, lingva non impedita, adspectu non deformi, nullius religionis* (regularis Ordinis) *desertores, latinae et Germanicae linguae periti, nihil Romae negotii, aut litium habentes. Sint etiam aetatis maturae viginti circiter annis nati: quod si fuerint nobiles qui in superioris Germaniae Cathedralibus Ecclesiis admitti consveverunt, tunc minimum sexdecim annos attingant,* et Grammaticam sciant; caeteri omnes ad Theologica vel Philosophica sint idonei. Si in Dioecesi aliqua juvenes idonei ad institutionem non reperiantur, alii ex finitima deligendi sunt. Antequam in Collegio quisquam admittatur, vel in fine sex primorum mensium in superiorum manibus jusjurandum dare debeat: velle se statum ecclesiasticum amplecti; et ad omnes sacros, etiam Presbyteratus, Ordines, cum visum fuerit superioribus promoveri; cumque iidem mandaverint in patriam statim reversuros; juris civilis aut medicinae studia non professuros; aliam rationem vitae, aulicam praesertim non sectaturos; sed continuo ubi a Collegio dimissi fuerint ad juvandas animas ad patriam suam remigraturos. — Recepti vero, Christianam pietatem, et Dei timorem primum, et summum religionis studium sibi esse propositum in animum inducant; inde enim salutaris et vera initium habet sapientia. — *Sex menses cuique tribuuntur, quibus an in Collegio perseverare velint, deliberent. „Tantum igitur eos retineri volumus* — prosequitur Pontifex — *qui sua sponte et amore virtutis, pietatis litterarumque studiis vacabunt.*" Si juvenis superioribus non probaretur, etiam intra praedictos sex menses dimitti potest. Alumni immorigeri in pietate desides, dimittendi, — qui vero in studio pietatis et in ecclesiasticis functionibus bene fuerint versati, ad omnes sacros, etiam Presbyteratus, ordines

promovendi disponuntur; et quidem „sine litteris quoque dimissorialibus suorum Ordinariorum, et sine titulo Beneficii aut Patrimonii etiam extra legitima Ordinationum tempora." Antequam sacris ordinibus initientur, in spiritualibus exercitiis et piis meditationibus per dies minimum quindecim contineantur: unoque Anno priusquam in patriam sint profecturi, aut (si commode fieri possit) adhuc citius ad sacerdotium assumantur: quo tempore in sacerdotalibus Officiis, atque in Sacramentorum administratione, et in concionibus ad populum exerceantur. — Sacerdotes virtute et doctrina praestantes, in Theologia Doctores creentur. Absoluto Studio, Alumni in Collegio ultra triginta dies retineri non possint. Discedentium loca vero, intra effluxum anni novis habilibus juvenibus compleantur. Haec quoad Alumnos, eorumque qualitates generaliter constituta habentur, et nunc quoque pro norma deserviunt.

Porro ibidem determinantur qualitates in superioribus requisitae, et eorum tam respectu institutionis et educationis, quam et ex obtutu rei familiaris seu oeconomiae officia. De Rectore, qui primus est in Collegio superior, in specie habetur: „Quae omnia quia a Rectoris pietate pendent, Praepositus Generalis (Jesuitarum) Rectorem in hoc Collegio constituat virum aliquem rectum, sobrium, prudentem, pietatis et timoris Dei studiosissimum: qui omnes nationes pari caritatis studio complectatur, et christianum inter Alumnos Amorem conservet; vitae suae exemplis omnes ad sui imitationem, et ad coelestis cum sanctis consortii desiderium inflammet; bonos in virtutis soliditate confirmet; malos a bonis discernat, et ex hoc loco intrepide, nulla cujusquam ratione habita, expellat: saepe Alumnis eorum vocationem exponat."

Relate ad supramemoratam, gradum Academicum Doctoris Theologiae consequendi habilitatem, id Privilegii accessit, quod cunctos effectus juris Doctoribus in Germania competentes Ferdinandus II. Imperator ope Decreti die 24ª Septembris 1628. editi, ad Presbyteros Collegii, Romae laurea decoratos, extenderit, decernendo: „Quod memorati Collegii Alumni, ibidem dignitatem seu gradum aliquem assumentes, gaudeant et potiantur, — — omnibus et quibuscunque honoribus, dignitatibus, praeeminentiis, immunitatibus, privilegiis, franchisiis (immunitas a servitutibus) concessionibus, favoribus, et indultis, quibus alii — — aliqua dignitate seu gradu insigniti gaudent, utuntur, fruuntur et potiuntur, et ad Metropolitanos, Cathedrales et Collegiatas Ecclesias, aliave beneficia, ac dignitates ecclesiasticas majores ac minores admitti, ad quae illi admittuntur quomodolibet consvetudine vel de jure.“

Benedictus XIV. Collegium hoc etiam peculiari sollicitudine fovendo, loco veteris Palatii Apollinaris, aliud scopo magis conforme et decorum, suo sumptu poni jussit aedificium, tunc quoque usibus Alumnorum deserviens, dum Ordine Societatis Jesu abolito, Institutum hoc Dominicanorum fidei creditum fuisset. Sed sub Galminicanorum fidei creditum fuisset. Sed sub Gallica ad Italiam, signanter Romam irruptione, Bonis ad proprietatem Collegii pertinentibus ablatis, Institutum quoque cessavit, in pristina forma nisi 1826° per Leonem PP. XII. restabilitum. Palatii tamen Apollinaris, et illius per Benedictum XIV. structi — *Seminario Romano* eorsum translato, — possessionem postliminio non adivit; verum actu incolit Domum Professorum Societatis Jesu (casa professa al Gesù); nec villam e donatione Gregorii XIII. possessam, recepit, in reditibus pariter mutationem et diminutionem passum. Novissime interim augmentum accepit in Palatio Borromeo quod pone Universitatem Gregorianam situm et antehac ad Romanum Seminarium pertinens eidem Sanctissimus Pius PP. IX. jure proprietatis assignavit.

De Praesenti ad Collegium Germanico-Hungaricum, dum vacantia emergit, juvenes via respectivorum Ordinariatuum commendantur, qui de habilitate mittendorum eorsum juvenum praeviae et in omnem casum usque mensem Majum, juxta praescripta puncta, e praememorata Gregorii XIII. Bulla desumpta, informationem Romam ad Generalem Ordinis transponendam habent. Juvenes ad Collegium recepti, secum adferre debent baptismales, tum Confirmationis, litteras; si autem tonsura et minoribus Ordinibus initiati existunt, super his Ordinariatus testimonium exhibent. Praeter vestes pro itinere requisitas, alias non ferunt. Receptus tamen obligatur Romae Superiori resignare centum scutata Romana, pro expensis reditus Roma eidem deservitura. Quilibet Alumnus distinctam Cellam incolit; cuncti talari rubra utuntur; praelectiones in Collegio Romano, omnia vero ad theologiam pertinentia vehiculo lingvae latinae excipiunt, et discunt. Physica italice proponitur. Quavis hebdomada asservatur theologica disputatio lingva latina; quae disputatio *sabbatina* dicitur, ad distinctionem alterius *menstrua* vocatae, et quovis mense semel institui solitae. Publica examina semestraliter absolvuntur. Sub feriis mense Septembri et Octobri durantibus, Alumni, praeter consvetas corporis commotiones et animi exhilarationes, curribus repetitim excursionem faciunt ad Villas Instituti proprias. Provisio est commodissima, neque Alumni quocunque vel minimo

defectu laborant. Nunc pro Dioecesibus Hungariae octo Individua in hoc Collegio Institutionem capiunt. Vid. uberiora in opusculo: Das deutsche Collegium in Rom. Leipzig 1843.

3° Jesuitis in meritum imputantur, sic dictae *Congregationes Marianae*, quibus cumprimis inter adolescentes litterarios in Scholis inducendis, zelosam impenderunt operam. Prima idmodi *Congregatio Mariana* Romae 1563. per Jesuitas inducta habetur; ad cujus imitationem et exemplum in cunctis Jesuitarum Collegiis Congregationes Marianae consurrexerunt. Utilitatem earum, et ad moralem hominis statum beneficum influxum adumbrat Schmidl in Historia Societatis Jesu Provinciae Bohemiae. Pragae 1747. in hunc modum: „1575° aliud pulcherrimum opus initio anni praesentis inter adolescentes, quos Convictores appellant, coepit *Sodalitas* videlicet *seu Congregatio Mariana*. Initium quoddam ejusmodi piarum Sodalitatum anno 1563. datum Romae fuerat authore Joanne Leonio, Belga, infimae rudimentorum Grammaticae Classis Magistro, inter inferiorum Classium adolescentes, quae Sodalitates Beatissimae Mariae Virgini praecipuo Studio dedicatae, tam insigni cum juventutis, tum aliorum bono, certis firmatae institutis, late per omnes terrarum oras diffusae sunt. *Inde enim ille erga Deum, Deique Matrem ardens promanat affectus, et ex hoc vitiorium odium;* hinc ille in Catholica religione colenda fervor, quem in frequentandis Divinis Mysteriis, celebrandis piis conventibus, publicis supplicationibus, produnt Mariani clientes, nosque non sine tenero animi sensu videmus et admiramur; hinc demum illae hominum etiam antea perversorum ad meliorem vitam mutationes.“ Sodalitates hae Marianae principio inter Studiosos inductae, et ad hos re-

strictae, erga substratas per Generalem Jesuitarum Aquaviva Sixto PP. V. preces, etiam ad non studentes et extra Scholas sunt extensae. Demum

4° Pro notitia memoratur hic Giganteum opus *Bollandistarum* quo pariter Societas Jesu orbem donavit et sub titulo: *Acta sanctorum quotquot toto orbe coluntur;* magno aeris impendio typis vulgavit. Opus hoc ad authenticos fontes exactum, per sagacissimos criticos, et solertissimos eventuum historicorum scrutatores summo in pretio habetur. Primus qui molimen isthoc adgressus est, erat Antverpiensis Jesuita Heribertus Rosveid, ad scopum hunc copiosa colligens Materialia. Eodem interim per obitum rebus humanis exempto Joannes Bolland ideam Heriberti Rosveid ad systema componendo, fotis cum tota pene Europa correspondentiis, ex Archivis publicis et privatis, ex bibliothecis item plurima vetera monumenta conquisivit, ad illa Antverpiae porro critice redigenda laboris Socio Godefrido Henschen, tum post biennium Daniele Papebroek pariter Jesuitis usus. Hi bini jussu Alexandri PP. VII. ultro fine perquirendorum documentorum Italiam, Galliam et Germaniam peragrarunt. Interea Joannes Bollandus vitae cursum finivit, prospero tamen successu gaudens opus Jesuitae continuarunt, et cuncti illi docti collaboratores a praecipuo Operis promotore *Bollandistae* dicti, sub nomine hoc actu veniunt, prout et partus laboris eorum, *Opus Bollandistarum* nuncupatur. Nec reductis Jesuitis a grandi labore destitutum est, Imperatrice Maria Theresia curas munifice succolante, et Collaboratoribus Jesuitis Abbatiam Coudenberg prope Bruxellas pro habitatione assignante. Opus increvit ad 53 foliantes, qui vitam Sanctorum inclusive usque 15^am^ Octobris com-

plectuntur. Felicem progressum stitit Gallorum ad Vestphaliam ingressus, neque urgenter licet optante Napoleone, opus exinceps continuatum. — Anno 1837. regimen Belgicum Jesuitarum Ordinem ad reassumendum provocavit, collectique sunt Socii, labori initium dantes edito 1838° programmate sub titulo: *De prosecutione Operis Bollandiani, quod Acta Sanctorum inscribitur.* Ab illo autem tempore recens haec Bollandistarum Societas prisca industria opus auxit uno tomo, qui est quinquagesimus quartus. — Ista in nexu brevis de ordine Societatis Jesu historiae, utiliter memoranda videbantur.

d) *Ordo Clericorum e Scholis piis, seu Piaristarum; tum alii adhuc Ordines et Congregationes.*

Sublato anno 1773. Ordine Societatis Jesu, incepit in Hungaria epocha Clericorum *Regularium e Scholis piis seu Piaristarum,* quibus successive omnia fere Gymnasia tradita fuerunt. Fundator horum *Josephus Calasantius* natus in Hispania 1556. in Philosophia, Jurisprudentia, et Theologia egregie excultus, — scientiae, studium pietatis sociavit, longioreque tempore Episcopi Urgelitani Confessarium, et Generalem Vicarium egit. Romam discedens, in deliciis habebat pueros derelictos et orphanos colligendi, ac iis institutionem impertiendi. Crescente numero prolium, adscivit sibi nonnullos Presbyteros in his instituendis sociam sibi operam impensuros. Regulam Instituto per Calasantium datam Gregorius XV. 1622. confirmando, Congregationi huic *Ordinis pauperum Clericorum regularium e Scholis piis* nomen indidit, ordinemque sub protectionem Dei Genitricis posuit, ac omnibus privilegiis, Ordinibus Mendicantium concessis ornavit, Josepho Calasantio in primum Praepositum Generalem nominato. Praeter communia monastica vota juxta regulam, quarto semet etiam obstringunt, gratuitam Juventuti institutionem impendendi voto. Ordo hic non semper propitia expertus est adjuncta, nam Innocentius X. et Alexander VII. Pontifices novitiorum receptionem inhibuerunt, admittentes ut Individua ad alios Ordines transire possint. Inhibitio interim haec per Clementem IX. revocata est. Plurima Collegia habet in Austria, Italia, et Polonia. Praepositus Provincialis pro Hungaria, et Transilvania praeest Collegiis 29; cui in regimine praestant adjutricem operam Assistentes sex, et Consultores duo.

Tertio loco memorandi sunt, *Fratres Ordinis S. Joannis de Deo, seu Misericordiani.* Fundator *Joannes de Deo*, natione Portugallus, primum Nosocomium erexit 1540 Granadae in Hispania. Pius V. confirmavit 1572 Congregationem hanc, cujus Individua tribus propriis Monasticae vitae votis, quartum curandorum infirmorum adjiciunt. Ordo hic in integra Monarchia sub uno Provinciali existens, numerat Conventus 29. In singulo Conventu passim unus est Presbyter; quibus ante hac ab Officio Prioris et Provincialis exclusis, novissime habilitas ad gerenda quoque haec munia accrevit. Infirmi sine discrimine Religionis, pro cura recipiuntur. — Inter Ordines hos pertinent etiam quamvis nunc bonorum possidendorum capaces *Eremitae Augustiniani.* Celebre membrum hujus Ordinis erat *Thomas Malleolus*, sub nomine *Thomas a Kempis* notus, qui laboriosam una et piam vitam anno 1471 aetatis 91. finierat. Praeter S. Biblia nullus liber tantas in omnes fere linguas versiones, et extensionem obtinuit quantas utilissimus libellus „*De imitationi Christi.*“ Initio Saeculi 16. Ecclesiam Catholicam deserentis Lutheri exemplum, nonnulli Ordinis hujus Fratres secuti fuerunt. Ab Eremitis Augustinianis distinguendi sunt *Canonici reregulares Augustiniani*, regulae S. Augustini adstricti, quales Romae Canonici Lateranenses, Viennae, Claustroneoburgi in Austria, existunt. — *Mechitharistae*

originem habent ex Armenia, fundati per Abbatem *Mechithar* 1676 Sebaste natum, qui 1717 obtenta jam antehac a Clemente XI. confirmatione, et facultate regulam S. Benedicti sequendi, in Insula S. Lazari, pone Venetias Claustrum erexit. Mechitharistae ab anno 1811 Viennae etiam existunt, sub nomine *Congregationis Mechitharistarum* noti, et cumprimis per suam Typographiam Ecclesiae, et Statui utiles. Subsunt *Generali Abbati* qui una est Archi-Episcopus consecratus. Congregationis hujus Viennae tenuia prorsus initia fuisse, e fide digna in comuni Veneratione existentis Sacerdotis jubilaei, generalis Abbatis et Archi-Episcopi consecrati Aristacis Azaria I., Ord. coronae Ferreae 1ae Cl. equitis; S. C. R. et A. Majestatis Act. Intimi Consiliarii narratione constat. Nunc per strictam regularis vitae observantiam, et universorum in commune bonum studium ac industriam, florens ejusdem status effectus est. Hospitia Romae, Claustro-Neoburgi, Constantinopoli, in America, Asia numerat, et pro Ecclesiae ac Status publici utilitate in diem dilatatur. — *Liguoriani* nomen trahunt ab *Alphonso Maria Liguori*, alias *Redemptoristae*. Regulam Ordinis assumptis in consilium viris doctis, et timoratis S. Alphonsus, pro basi et fundamento aliorum ordinum regulas ponendo elaboravit, per Benedictum XIV. die 25. Februarii 1749 confirmatam. Votis Monasticis communibus, additum est votum de non acceptandis Dignitatibus, Officiis, aut Beneficiis. Ordo hic, qui Jesuitarum ramus existimabatur, in Bavaria adhuc ante 1848 sublatus, anno hoc in Monarchia Austriaca etiam Sedes suas deserere debuit. Pace restituta, de praesenti sex Claustra numerat, et quidem in Austria 1; in Bohemia 2; in Styria 3; Viennae quoque jam restabilitus. — Praeter enumeratos Ordines, variae quoque *Congregationes* Ecclesiae, et Statui publico utiles exsurrexerunt, quarum Individua votis dumtaxat simplicibus sunt obstricta. Idmodi Congre-

gatio est *Oratorianorum* per Philippum Nereum Romae 1565. fundata. Item Congregatio *Oratorii Jesu* in Gallia, per Cardinalem Petrum Berulle 1611 inducta; Congregatio haec habuit celeberrimum Massillonem postea Episcopum Claromontanum, qui qua Orator sacer cum Bourdaloue e Societate Jesu celebratissimo Ludovici XIV. Aulico Concionatore, et Jacobo Benigno Bossuet comparari imo per aliquos his anteponi meruit. Sermones illius in tomis 15 sunt in omnibus Europaeis linguis versione donati. — Demum silentio praeteriri non potest saluberrimum Institutum *Fratrum Scholarium*, quod fine impertiendae Institutionis Scholasticae per *Joannem La Sall* Canonicum Rhemensem primum 1679. in sua Patria Rhemis erectum, laetissimo effectu coronatur. Fratres praeter essentialia perpetua vota, etiam votum *Perseverantiae in Instituto* solemniter nuncupant; ad Sacerdotium tamen ne quidem aspirare audent. Principalem Sedem habent Parisiis, ubi ultra centum Instituti Individua saluberrime operantur. Prope quadringenta magna Instituta tenent, tantam celebritatem consecuti, quod quadraginta novem Civitates, et plus quam centum Possessiones uno eodemque tempore operam illorum ad instituendum interpellaverint. Existunt jam etiam in Belgio, et America, et ubique pauperibus prolibus gratuitam institutionem impendunt, encomiis publicis universaliter celebrati. Plura Anti-Catholicorum quoque favorabilia testimonia collegit Cornelius Richardus Bommel Episcopus Leodicensis in Belgio, in suo opere ex Gallico verso: „Die wahren Grundsätze des Elementar- und Gymnasial-Unterrichtes" pag. 271 t. 2. — Ab anno 1844 habet Gallia etiam *Sorores Scholares* educationem pariter gratuito impendentes. Ad modicum tempus apparuerunt *Nazarei* a P. Joanne Varella de Losada 1751 in Hispania fundati. Tempore, eo dum Franciscus Comes Barkóczy tunc Episcopus Agriensis penes Regem Poloniae, et Electorem

Saxoniae Dresdae legatione publica fungeretur, tria Congregationis hujus individua, sine pera, et baculo usque Dresdam pervenerunt, per hunc Agriam invitata, assignato illis pro habitatione pone Civitatem in *Valle Auxilii* celebri condam Carthusianorum domicilio. Hanc Congregationem Episcopus Joannes Gusztinyi Nitriam ad montem Kövesd transplantavit iisdem Domum sumptu suo ibi aedificatam tradendo. Strictam paupertatem in victu, et vestitu sequuti, dum penus victualium, semper dumtaxat ad triduum, et non ultra provisa, deficeret; necessitate pressi ad Civitatem alioquin nudipedes, uno Crucem praeferente concesserunt, misericordiam imploraturi. Caeterum Congregatio haec per S. Sedem Apostolicam haud adprobata, paulo post exspiravit.

e) *Ordines Sancti-Monialium.*

Sicut Ordines regulares Virorum ita etiam Ordines *Sancti-Monialium* de tempore in tempus semet evolverunt. Jam S. Augustinus sub directione suae Sororis *Perpetuae* fundavit societatem devotarum Virginum. Virgines Deo Sacratae prima epocha regularium mutationibus necessariis factis S. Benedicti regulam sunt secutae. Penes has floruerunt regulam S. Augustini secutae *Canonissae regulares Moniales Benedictinae* 1094 per Robertum Arbrissel fundatae, specialiter puellarum pudicitiae virginalis naufragium passarum emendationem moralem pro scopo habentes. — *Clarissae* a S. Clara, vel etiam *Franciscanae* a S. Francisco ita dictae 1212; *Dominicanae* per S. Dominicum 1206; *Elisabethinae* aut *Misericordiae Sorores* pro Cura aegrotorum 1395. per Comitissam Angelinam Corbaro; *Griseae Sorores*, aut *Hospitalissae*, eodem quo priores scopo 1483; *Ursulinae* per Angelam Brescia 1537; *Capucinae* 1558. *Carmelitanae* per S. Theresiam 1562; *Nostrae Dominae* (Notre Dame) per Petrum Fourier Jesuitam 1597; *Salesianae* per Baronissam Chantal sub directione S. Francisci Salesii 1610; *Sorores charitatis* per S. Vincentium a Paula 1633; *Sorores Angelicae* seu *Herulae Anglicanae* per Aloysiam Torelli Comitissam Guastalla 1530 inductae. — Anno 1852 in Monarchia Austriaca universim numerabantur claustra Monialium 175; nempe Benedictinarum 20; Augustinianarum 1; Charitatis Sororum 41; Basilianarum 2; Ordinis theutonici Sororum 4; Dominicanarum 5; Elisabethinarum 10; Herularum Anglicanarum 9; Franciscanarum et Clarissarum 8; Eremitinarum 2; Dominarum Cordis Jesu 5; Capucinarum 1; Carmelitanarum 4; Sororum regularium 1; Salesianarum 11; Sororum Scholarium 1; Ursulinarum 30; et aliarum diversarum 17. — In Hungaria *Canonissae de Nostra Domina* habent Conventum Posonii, et Quinqueecclesiis, postremum hunc per Eminentissimum Cardinalem Principem Primatem antehac Quinqueecclesiensium Antistitem fundatum. — *Domicellae Anglicanae* singulo triennio vota Monastica renovantes, existunt Pestini, et anno 1852 *Agriam* quoque per Excellentissimum Archi-Episcopum Adalbertum Bartakovics inductae. Filialem praeterea Domum *Balassagyarmathini* in Comitatu Neogradiensi tenent. De his notandum, quod dumtaxat pro singulo triennio vota nuncupent, possintque nisi renovent cum effluxu triennii Instituto valedicere, aut dimitti. S. Congregatio Episc. et Regular. 1706 die 15. Jan. declaravit, Virgines Instituti hujus non esse vere regulares, licet et illas et Domos illarum religiosas jurisdictioni, et correctioni Ordinarii subjectas esse voluerit. — Domi in tres Classes dispescuntur, prima Classis consistit ex nobilibus Virginibus, e quarum numero Superior Domus eligitur; secunda Classis ex Virginibus Civilis Conditionis, tertia e Servientibus Sororibus. Modus vivendi, et vestitus est omnium idem. — Sancti-Moniales *Ursulinae* Posonii, Tyrnaviae, Cassoviae, Magno-Varadini, existunt. *Elisabethinae*, Budae, et Posonii. Demum *Sorores Charitatis*,

in Germania sub nomine *Sororum Misericordiae*, aut a Colore simplicis vestitus, *Sorores Grisiae* dictae, Institutum ingressae 5. annis probam sustinent; tum ad Professionem admittuntur, quam pro uno dumtaxat Anno nuncupant, quotannis eandem renovantes. Hae Szathmarini Claustrum possident. Zagrabiam quoque et Pestinum ac Veszprimium inductae, partim institutione partim cura infirmorum semet occupant. Non secus et Elisabethinae curandis sexus sequioris aegrotis; residuae autem memoratae Deo Sacratae Virgines, solerti educationi et institutioni puellarum operam impendunt. — Nitriae curis, et singulari Munificentia Excellentissimi Domini Episcopi Emerici Palugyay Institutum *Misericordiae seu Charitatis Sororum*, conjuncto duplici saluberrimo scopo, *institutione quippe puellarum et cura infirmorum* actu inducitur. Sit felix faustusque Successus!

Quaenam fata utriusque sexus Ordines Regulares subiverint ad Historiam Ecclesiasticam uberius tractare pertinet. Hic loci — ultra illa, quae jam superius de Societate Jesu per apices dicta sunt, sufficit adnotare; Saeculi prioris ultimam partem Regularibus exitiosissimam fuisse. Anno 1782 die 18ª Jan. in Monarchia Austriaca ad semel supra 400 Monasteria, in specie autem in Hungaria 134. Claustra suppressa, et Bona illorum fundo Religionis addicta fuerunt. Numerus sublatorum hac epocha in Ditionibus Austriacis Monasteriorum usque 700, ascendit; modalitate qua juxta Annegarn 45,000 Personae utriusque sexus a suae vitae Instituto abstractae, partim tenui provisione dotatae, partim in exilium ejectae erant. —

Nota. Ad isthoc Regularium excidium irreligiositatis temporum typus plurimum contulit; Encyclopaedistae Gallici, et aliorum numerosorum infamantium libellorum consarcinatores in eos desaeviebant. Hi quippe omnia molimina in oppressionem Religionis Catholicae vertentes, apprime noverunt Monasteriorum in Plebem beneficum influxum, atque obtutum hunc amplius adhuc, quam emolumenta pecuniaria prae oculis habuerunt. In omni statu consvete invenitur dumtaxat mediocritas, quae recte aurea appellatur; et nisi per exceptionem existit extraordinarium Bonum, non secus ac extraordinarium malum. Novatores vero Saeculi 18. in singulo Religioso Sanctitatem, et eruditionem quaerebant, ut dicere possint, Regulares prout sunt, destinationi suae haud correspondere. Imo gravissima vitia nunquam probata iisdem impune appingebantur; vitium unius, toti ordini imputabatur, in aliis divitiae invidiam excitarunt, in Mendicantibus paupertas displicuit, omnibus autem otium, et laxitas morum, ac disciplinae oggerebatur. Apostatae potissimum conducebantur ad specialia facta confingenda; quae commenta instar optimae Mercis pretio redimebantur.—Caeterum si scandalum sumitur ex divitiis; hae teste historia originem ducunt, partim e speciali industria Regularium, rus, artes, et scientias excolentium, partim a pietate fidelium, tum in Cultum Dei, cum etiam in emolumentum proximi, atque in remissionem peccatorum Ministris Ecclesiae offerentium, unde semper in innumeros morale et materiale lucrum redundat. — Aliis Paupertas displicet; ac si haec malum morale esset! Imo vero Ecclesia, quod Ordines religiosos adprobaverit, eo ipso Paupertati virtutis pretium tribuit; an non per voluntariam paupertatem millionibus hominum exemplum praebetur, qualiter necessitates restringere, et paucis contentari possint? — Si autem orare, psallere, meditari, statum moralem perficere otium est, quare tanti ab otio hoc abhorrent? — Ita ergo saeculi 18. Philoso-

phia, verius Religionis et morum corruptio dicenda sibi constabat; dum Jesuitas insectaretur ob nimiam eorum activitatem, et concentratam potestatem; aliis ordinibus insultabat ideo quod parum operarentur, et contemplativam ducerent vitam. In reliquo, si in Monasterio vel ordine aliquo disciplina laxatur, haec mediis licitis reducenda, aut auctoritate Ecclesiae ordo tollendus est, quin propterea Instituto Monastico, Ecclesiae, et Civitati utilissimo Anathema debeat dici. Certe sive cura Animarum, sive cura infirmorum, redemptio Captivorum et mancipiorum, institutionis Scholasticae exiguis status expensis promotio in considerationem sumatur; prima fronte elucet utilitas illa, quam evangegelica Consilia secuti hi Deo Sacrati Viri omni tempore attulerunt. Et nunc sunt, pleraque Regularium Monasteria Musarum Domicilia. Reperiuntur copiosi fideles, quorum spirituales indigentias nisi Religiosi explent, et quibus unice suam conscientiam retegunt. Hi sunt quasi subsidiariae Copiae curae animarum; et quidem omni tempore, ac tunc quoque dum Ordinarii operarii in Vinea Domini, epidemiae, aliis item infaustis adjunctis succumbunt.

Praemissa brevi hac historia litteraria, nunc ea, quae ad Jus pertinent, sequentur.

§. 63. Definitio Ordinis Regularis, et ejusdem essentialia.

Professio Religiosa et Novitiatus.

Regularis, aut Religiosi Ordinis nomine venit coetus fidelium, votis perpetuae paupertatis castitatis, et *obedientiae obstrictorum*, *in communitate sub regula ab Ecclesia adprobata viventium. Regularis vero seu Religiosus est*, *qui exacto Novitiatu*, *aetate praescripta*, *nuncupatis Deo solemniter votis Monasticis*, *ad vitam*

adprobatae per Ecclesiam regulae perpetuo conformandam semet obstringit. — Ex utraque hac definitione facile deducitur, quae sint essentialia cujuslibet Regularis Ordinis, quid item requiratur ut quis sensu S. legum Regularis, seu Religiosus dici possit. Ad essentiam quippe cujuslibet Ordinis Regularis pertinet, regula, ad sectanda Consilia evangelica, seu ad votum paupertatis, castitatis, et obedientiae, Religiosos adstringens. Ultra haec tamen etiam alia Abnegationis opera objectum Monasticorum votorum esse possunt. Dein requiritur, *ut vota sint* **Solemnia**, quae quidem communi Canonistarum, et ipsius Conc. Trid. Sess. 25. c. 1. de regul. sensu ad essentiam Instituti Monastici et regularis pertinent ita, ut Ordo Religiosus non sit, nec esse possit, absque *votis solemnibus*. Hinc est quod Institutum Anglicanarum Virginum, quae sese **simplicibus** dumtaxat *votis* obstringunt, ordinem Regularem non constituat. Ut adeo si e praerecensitis vel unum deficiat, idmodi sive virorum sive foeminarum Communitas inter Ordines Regulares stricte non referatur; verum hi dicuntur „*quasi regulares*," ad quam Cathegoriam etiam Equestres Ordines veniunt — excepto Ordine Melitensium, cujus Individua omnibus tribus Monasticis votis semet obstringunt. — Hinc Religiosi rectius dividuntur in *Regulares*, et *quasi Regulares*. *Stricte Contemplativi* eo sensu quo adversarii Monastici Instituti sumunt, in moderna Ecclesiae disciplina non existunt. Nomenclatio autem *Mendicantium*, plane regulis divisionis conformis non est. Per vota Individuum Religiosum omnia sua Deo in perpetuum consecrat; nempe res temporales, et externas per votum paupertatis; corpus per votum castitatis; et animam per votum obedientiae. Aut vero ut Canon exprimit: „Voto paupertatis rebus externis; castitatis voluptati; obedientiae, suomet ingenio nuncium mittit." — Demum regula sit per Pontificem adprobata; quod quidem ita necessarium est, ut secus sine confirmatione ordo existere non

possit[1]). Cum enim Ordines Regulares non unam Dioecesim aut unam Provinciam, verum totam Christianitatem concernant, summa opus est attentione ut regula Ordinis, cum caeteris Ecclesiae Institutis in harmonia sit, et ne unius Ordinis statuta, cum alio Ordine ad collisionem veniant; pro idmodi autem diligenti examine media unice Sedi Apostolicae suppetunt. Sed et Ordinum Regularium stabilitati, et Fundationum securitati modalitate hac optime consulitur. Nam adprobatio, vel reprobatio, et sublatio a Sede Apostolica dependet. — *Receptio* ad Ordinem fit per Praelatum Ordinis, cum consilio Capituli. Alioquin enim Capitulum aut Conventuales per Secretum Scrutinium refragari possunt, nequis ad Professionem admittatur. Porro Conc. Trid. Sess. 25. cap. 15. de regul. disponit: „In quacunque religione tam virorum, quam mulierum, *professio* non fiat ante 16. Annum expletum; nec qui minore tempore, quam per Annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem, ad alicujus Regulae, vel Religionis vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus." Praeterea autem quoad Moniales ibidem Cap. 17. decrevit: ut puella, quae habitum regularem suscipere voluerit, major sit annis duodecim, nec antea professionem emittat, quam voluntas ejus per Episcopum exploretur „an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat." — Annus Novitiatus debet esse completus Mathematice a momento, ad momentum; non interruptus, ita quidem, quod Novitius, durante stadio hoc, nec ad procuranda Ordinis negotia, inter quae, et collectio eleemosynae refertur, exmitti possit. Non censetur tamen Novitiatus interruptus, si Novitius in periculosam infirmitatem incidens, medici conscientiosa opinione valetudinem nisi extra septa

[1]) Cap. un. de vot. in 6. et Cap. ult. de relig. dom.

Monasterii recuperare posset, praescriptam tamen religiosam vestem et tunc deferre inomisse obligatur. Caeterum relate ad aetatem S. Congregatio Concilii Trid. interp. declaravit: dum in Conc. Trid. aetas annorum sedecim determinaretur, minime inprobatas haberi peculiares Constitutiones, quibus major aetas requiritur. In Hungaria Saeculo priore indiscriminatim tam apud viros, quam et mulieres ad eliciendam regularem professionem anni viginti quatuor requirebantur; de praesenti Dispositione hac quoad Moniales in salvo manente, Monachi completo 21° aetatis anno ad Professionem admittuntur. Praeter haec ad validitatem Professionis necessarium est, ut sit libera, vi, et metu haud extorta, qui tamen si intervenit gravis esse debet, cadens nempe in virum constantem et injuste ad ingrediendam religionem incussus [1]); insuper Conc. Trid. cit. Sess. 25. Cap. 18. de regul. eos qui invitam mulierem cogunt „praeterquam in casibus in jure expressis ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam Professionem, quique consilium auxilium vel favorem dederint" ad facinus hoc perpetrandum — Anathemati omnes subjicit. Ne autem libertas ad profitendum vel in minimo restringatur, idem Conc. eadem Sess. c. 16. de regul. decrevit: „nulla renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causae piae valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem: *ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione:* aliter vero facta, — etiam jurata, sit irrita, et nullius effectus." Imo ibidem id quoque disponitur, ne ante Professionem Novitii vel Novitiae, praeter victum, et vestitum nullo sub praetextu a parentibus, propinquis vel Curatoribus quidpiam Monasterio tribuatur; et si quae

[1]) Cap. 1. de his quae vi et metu fiunt.

data fuissent, abeunti sub poena anathematis restitui debent. — Si Novitius Beneficium Ecclesiasticum antehac tenuit, illud intra annum Novitiatus in alium transferri non potest. — Tempus autem probationis, ut c. 16. de regular. et ad religionem transeuntibus habetur, inductum est tam in favorem suscepti, quam et Monasterii: *ut et ille asperitates illius, et illud Mores illius valeat experiri.* Annua haec probatio fit sub manuductione *Magistri Novitiorum.* De hoc Clemens VIII. in editis 1596, et 1559. Constitutionibus decrevit: ut sit sacerdotali Ordine initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, et per decennium a professione emissa in Religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat. Sint ambo doctrina, et vitae exemplo praestantes; orationi, et mortificationi addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graves, ab ira, indignatione alieni; ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quidpiam possint." De caetero arcetur a Professione sub nullitate reus Criminis, cui poena mortis, exilii, etc. adnexa est; quia talis ex Const. Sixti V. „Cum de omnibus" — solo metu supplicii saeculum relinquere censetur. Dein vitio corporis notabili laborans, ita, ut aliis sine horore, scandalo aut turbatione convivere, et incumbentibus obligationibus satisfacere non possit. Item aere alieno gravati, donec non satisfaciant; aut si per Professionis nuncupationem jus tertii laederetur. Ideo *consummato Matrimonio* conjux unilateraliter absque consensu alterius Partis in regula religionem ingredi non potest; sed et tunc alia Pars, praesertim de incontinentia suspecta; aut monasterium aliquod pariter intrare, aut non suspecta, vel senex saltem perpetuam continentiam vovere debet [1]). Excipitur casus Adul-

[1]) C. 4. 8. 13. 18 de Convers. Conjug.

terii, dum ex hoc capite sententia divortii perpetui lata est, eotum Pars innocens, consensu Partis nocentis opus non habet. Demum invalida est Professio Episcopi citra dispensationem Papae religionem ingressi [1]). Clerici autem, nec Curatis exceptis, etiam sine facultate Episcopi ad regulares transire possunt [2]). Denique debet Professio nomine Instituti excipi, et quidem per eum unice, cui jus illud competit, servatis alioquin de jure servandis, et solito scrutinio praemisso. Cap. 16. de regul.

Nota. Eodem Cap. 18. Conc. Trid. Anathemati subjicit eos, „qui S. Virginum, vel aliarum Mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint."

§. 64. De effectibus Professionis Religiosae.

Professio spectatis effectibus est Contractus bilateralis, jura et obligationes Professo, et respectu hujus, Ordini imponens. Qualia sunt 1° Tollit Patriam Potestatem. 2° Maculam natalium, et ex hac ortam irregularitatem delet; sed unice quoad suscipiendos S. Ordines, non vero etiam quoad consequendas dignitates Ecclesiasticas. 3° Simplicium votorum antea emissorum vim tollit [3]). — 4° Sponsalia, imo et Matrimonium ratum dissolvit. „Si quis dixerit — ait Conc. Tridentinum — Matrimonium ratum, non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit" [4]). 5° Post elicitam Professionem contrahi attentatum Matrimonium nunquam validum efficitur [5]). Huic conformiter quoad effectus Civiles vigore legis Civilis, Ecclesiastici in majoribus ordinibus constituti; prout Religiosi utrius-

[1]) Cap. 18. de regul. — [2]) C. un. Cau. 19. q. 1. — [3]) Cap. 4. de voto et voti red. in 6° C. 5. de regularibus et transeuntibus ad religionem. — [4]) Sess. 24. can. 6. — [5]) C. un. de voto et voti red. in 6°.

que sexus solemnia vota nuncupantes, non possunt validum Matrimonium contrahere [1]. 6° Jura, et privilegia Clericalia tribuit. 7° Professus amittit omnia Beneficia, si quae habet, sed aquirit jus ad omnia privilegia, et immunitates Ordini competentes. 8° Professo competit congrua sustentatio e parte Ordinis; „*nihil quod est necessarium eis denegetur*“ decernit Conc. Trid. [2]) una tamen disponit, *ut quovis modo per Professos acquisita superiori tradantur*, *et Conventui incorporentur*. Adeoque Religiosus nihil sibi acquirit, sed ordini, et quidquid tempore Professionis possidet, id Ordinis est; quamvis de proprietate sua ante Professionem libere disponere, et eam in quemcunque finem adplicare possit. Caeterum sicut in receptione ad Ordinem omnis vel suspicio Simoniae vitari debet; ita ex adverso quantitas, quae praesertim e haereditaria successione Ordini resignari possit, limitata est. Demum 9° Professio religiosa praeter essentialia vota paupertatis, castitatis, et obedientiae, includit quoque votum *stabilitatis*, — seu perpetuae perseverantiae in Ordine, ac Monasterio; et si quandoque per summum Pontificem justis, gravibusque de causis Dispensatio ab Ordine, seu quoad Votum stabilitatis concedi soleat; id fit salva essentia trium Solemnium votorum, et dispensati Viri religiosi ab Ordine, manent tamen qua Clerici saeculares Ecclesiae servitio mancipati. Ad Episcopatum velut perfectiorem statum acceptandum non est opus Dispensatione; quod si religiosus subseque Episcopatui renunciet, rursus ad Ordinem redire debet.

Nota. Ex incidenti sublatorum Monasteriorum factaeque eapropter sic dictae saecularisationis, dimissum per Pium PP. VI. Breve Apostolicum, velut plura ex obtutu juris continens, et specialiter *votorum solemnium etiam in casu saecularisationis firmitatem* asserens, subnectitur: „*Pius PP. VI.*
„Venerabilis Frater Salutem et Apostolicam Benedictionem! Ex Litteris tuis, quas Sexto nonas Aprilis ad Nos dedisti, gravem moeroris causam accepimus. Dolenda quidem res, quae nonnullos Regularium ordines, huc illuc submovet, ac Viros Religiosos, Sacratasque Virgines dejicit a Monasteriis. Sed nimis Te properasse arbitramur ea Declaratione, quae Monachos Carthusianos statim in Dioecesi tua a propriis legibus statutisque liberos, solutosquae renunciat, ut conditionem statumque Presbyterorum saecularium illico inire valeant; generalis namque haec Declaratio, quae inscia prorsus sede Apostolica tibi Venerabilis Frater opportuna malis visa est, Nobis cum intempesta, tum periculis plena videtur. Curandum inprimis Nobis est, ut omnes in vocatione sua permaneant, ideoque in alia, vel propria, vel alterius etiam mitioris Instituti Monasteria sese recipiant, ubi vota solemnia, quibus vitam Deo consecrarunt, rite recteque persolvant. Nulla rerum humanarum ratio, quam Te Monachorum causa prae oculis habuisse scribis, sed una conscientia ac salutis aeternae cura habenda est. Hoc sane Nostris verbis dicito illis, ad quos pertinet; eosque confirma, si a Proposito declinare cognosces. At si forte cuipiam accidit, quod Receptorem sibi nequeat invenire, in hoc tantum infortunio sinimus, posse eum tamdiu in statu Presbyteri saecularis permanere, quamdiu ita vivere sola necessitate cogetur. Sed quisque versari debet in saeculo memor vocationis suae, ejusque tenax disciplinae, et vitae Regularis, cui se pridem adscripserat. *Vota solemnia*, *quae semper firma semperque immota manebunt*, *diligen-*

[1]) Bürgerliches Gesetzbuch für Ungarn, §. 63. — [2]) Sess. 25. c. 2. de regul.

„*ter custodiat, ac servet.* Sacrilegium profecto es-
„set, si quid a purissimae Castitatis obligatione „detraheretur. Studio etiam Paupertatis, quan„tum pro nova vivendi ratione fas erit, omnes ad„dicti sint, ut a fallaci terrestrium divitiarum cu„piditate immunem tutumque animum praesefe„rant. Obedientiam quoque praestent Episcopo. „*Et sub veste aliquod gerant signum Regularis „Professionis,* ut vi deturbati, et rejecti, non pro„pria sponte e Claustris exiisse videantur. Ha„bes itaque sententiam Nostram, ad quam consilia „Tua debes omnino componere. Hinc facile in„telliges, *Nos minime iis assentiri, quiqui Di„spensationem a Votis Solemnibus postulant, ut „carnales nuptias contrahant, vel condere valeant „Testamenta.* Cave igitur ne Dispensationem hu„jusmodi, qua Decor, et pulchritudo Domus Dei „pollueretur, audiri contingat in Ecclesia. Neque „Tu potes eam jure Ordinario concedere, ut re„cte cogitas; neque Nos Tibi ejus distribuendae „jus, potestatemque delegamus. Itaque memor „esto sacerdotii Tui. Macte animo, ut assiduis ad „Deum precibus validam Nobis opem impetrare „coneris. Optima hac spe freti, Tibi Venerabilis „Frater, atque ovibus Fidei Tuae creditis Apo„stolicam Benedictionem peramanter impertimur. „Datum Vindobonae pridie Idus Aprilis, 1782. „Pontificatus Nostri Anno Octavo.“ — Ven. Fratri Mathiae Francisco Brunensium Episcopo.

Praeter hos effectus sunt adhuc nonnulla Professionis consectaria; et quidem:

a) *Impugnata Professio.*

Si Professio ex libertatis, aetatis, aut alio defectu vitio laborat, eadem potest impugnari non tantum a Religiosis nulliter professis viris, et monialibus intra quinquennium a die professionis computandum; *sed*

etiam ab ipso Ordine contra nulliter Professum. Nam Professio est contractus bilateralis, in correlatis autem reciprocitatis ratio habetur. Hanc in rem Conc. Trid. statuit: „quicunque regularis praetendat, se per vim, et metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante aetatem professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit, coram superiore suo, vel Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, et tamquam Apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae Religionis juvetur“ [1]). Elapso quinquennio amittitur Jus impugnandi Professionem, sed juxta Benedicti XIV. Constitutionem „Si datam“ justa causa praehabita, — qualis foret, *si metus per quinquennium duravit* dum vim et metum incutiens adhuc in vita exstitit, — Pontifex *remedio restitutionis in integrum* succurrit, vigore cujus jus reclamandi contra Professionem per lapsum quinquennii perditum recuperatur. Qui idem Pontifex ibidem rite determinavit proceduram et normam forensem dum de anullanda Professione religiosa agitur. In tali quippe causa *Defensor Religiosae Professionis* praevie adjuratus, ex officio valorem professionis defendit, et si in Foro primae Instantiae causa cadat, Causam ad forum altius appellare obligatur, neque vero nullitas professionis prius statui potest, quam pro ea duae conformes distinctorum Consistoriorum sententiae ferantur.

b) *Quid de Fugitivis, et Apostatis.*

Quod si quis sine licentia superioris Ordinem, animo amplius non redeundi deserat, *Apostasiam* quam *inobedientiae* appellant committit. Ab Apostatis di-

[1]) Sess. 25. c. 16. de regul.

stingvendi sunt *Fugitivi*, qui metu superioris, vel studio divagationis sine facultate ex Monasterio abeunt, ut ad tempus obedientiam excutiant. Hinc si Religiosus dimisso etiam habitu fugiat animo tamen redeundi; proprie Apostata non est, sed fugitivus. — Apostata excommunicationi subjacet ita quidem, ut si habitum religiosum abjiciat, eam ipso facto incurrat; privilegium Fori, et Canonis amittit, et irregularis fit [1]). Fugitivi poenis arbitrio Superioris dictandis plectuntur. „Nec licet Regularibus, a suis Conventibus recedere, etiam praetextu ad suos superiores accedendi, nisi ab iisdem missi aut vocati fuerint.“ Ideo iter suscepturus, superioris mandato provisus esse debet, quod *Obedientia* dicitur; cum nemo Religiosorum nisi invitus, et ex obedientia Claustrum relinquere praesumatur. Secus Mandato, seu Obedientia, destitutus, ab Ordinario loci tanquam desertor sui Instituti puniendus decernitur [2]). Aequitas tamen in illos exercenda, qui ut se ab injuriis localis Superioris liberent, ad majorem Superiorem itinerantur, Mandato haud provisi. — Praelati regulares, Apostatas, et Fugitivos summo studio, et in conscientia perquirere tenentur, ut eos ad religionem reducant, non tantum jure naturae, quod illis suorum subditorum, maxime dum in periculo constituuntur, curam imponit, Gentium Apostolo idipsum dicente: „si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, est infideli deterior“; sed et jure positivo [3]); et alioquin *non est opus sanis medico, ast male habentibus.* — Rigorem quoad Apostatas Decreta Pontificum ita temperarunt: ut dum Apostata sponte redit, poenitens recipiatur, et Paterne tractetur; imo permittitur adjunctis exposcentibus, ut ad *alium Ordinem religiosum* transire valeat [4]). Plane si ante defectionem alia patravit scelera, ob quae a Religione puniri debuisset, S. Poenitentiaria cum Superioribus Regularibus efficit, ut eadem aequa moderatione componantur. — Aetate nostra reperti sunt pauci religiosi, qui defectionem suam publicis formalitatibus vestientes, facti sunt Apostatae perfidiae, inobedientiae, et irregularitatis, quatenus nempe fidem una et statum Clericalem deseruerunt. Causae communes iis fuerunt cum aliis haereticis, inobedientia erga legitimam Superioritatem, liberioris vitae affectatio, nausea ordinis, cui per vota solemnia semet libere tradiderunt. Utinam sincera poenitentia ducti, exorbitantes affectus in obsequium redigant, et ad sinum Ordinis quem inconscientiose deseruerunt, revertantur, memores effati Salvatoris Christi: „Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur.“ Modalitate hac conscientiam suam tranquillabunt, gaudium autem facient in Parabola de drachma perdita, et ove quae perierat inventa adumbratum.

[1]) C. 3. ne Cler. vel Monach. c. 3. 5. de Apost. — [2]) Conc. Trid. Sess. 25. c. 4. de regul. — [3]) C. fin. de regul. — [4]) Benedict. PP. XIV. Constit. „Pastor bonus“ const. selec. tom. 1.

c) *Quid cum gravium Criminum reis?*

Caeterum Religiosus etiam professus gravium Criminum reus et incorrigibilis e Monasterio ejici, et ab ordine rescindi de jure potest. In regula S. Benedicti C. 28 disponitur ut si Abbas in correctione Fratris inobedientis, adhibitis omnibus, quae ad emendationem prodesse possent mediis nihil profecerit, *utatur ferro abscissionis* [1]). S. Congregatio in Decreto de regul. Apostatis, adprobante Urbano VIII. statuit, incorrigibilem in crimine gravi, et publico, praemissa terna monitione, correctione, ac punitione, item incarceratione unius anni in jejunio et poenitentia a Generali, ex consensu et assensu sex Patrum in Capitulis eligendorum, instructoque Processu, et Causis plene probatis ejici posse. Ejectus ob incorrigibilitatem manet porro obstrictus *substantialibus* Ordinis

[1]) Regul. S. Benedicti a Georgio Vaitzmanno pag. 48.

sui votis; revocatus, tenetur redire, et specimina emendationis praebentem Ordo proprio motu rursus recipere obligatur.

d) *Transitus ex uno Ordine ad alium.*

„Nemo Regularis cujuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem“, decernit Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 19. de regul. Quodsi quis justa de causa, ob infirmitatem, dissidia etc. cum licentia Papae ita transiret; tales idem Conc. Trid. in Ordine ad quem transeunt, ad beneficia saecularia etiam curata reddit inhabiles [1]). De *mendicantibus* autem, si ad Ordinem non mendicantium Auctoritate Apostolica transirent, constitutum est, ut ad Prioratus, Administrationes, Officia quaecunque, et animarum curam inhabiles existant, tum in Capitulo voce activa, et passiva careant. Licet tamen transire ad Ordinem, qui est strictior, ubi nempe major adest rigor, et austeritas disciplinae, nam votum non infringit, qui illud perfectius implere studet [2]). Hinc mendicantibus vetitum est transire ad non mendicantes, praeter Carthusianos, sine licentia Pontificis. Quo in objecto Benedictus PP. XIV. Constitutione „Pastor Bonus“, tenore cujus Facultates Poenitentiarii Majoris, et Officii Poenitentiariae determinantur, haec ordinat: „Quoad transitum de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem juxta Cap. Licet de regular. verum etiam ad aequalem, et ab arctiori ad laxiorem, ob justas tamen et graves respective causas, ab eodem Majore Poenitentiario probandas; audito prius superiore Ordinis, a quo, et cum consensu superioris Ordinis ad quem faciendus est transitus.“ Non potest tamen concedere transitum ad Ordines Hospitalares, et militares, excepto Ordine S. Joannis de Deo; nec ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiae, aut ad alias consimiles Congre-

[1]) Sess. 14. c. 11. de reform. — [2]) C. 10. de regul.

gationes cujuscunque Ordinis fuerint; sed nec ad Ordinem, ubi claustralis et regularis observantia non viget. Dein ex reverentia voti obedientiae, petenda est facultas a superiore, quam si *injuste* negaret, transitus fieri potest [1]); datur tamen recursus ad superiorem majorem; qui formari debet, siquidem sine sui Praelati, aut ejus superioris litteris dimissoriis, in alio Ordine nullus recipi potest [2]). Demum transiens annuo novitiatui subjicitur, si defluxu hujus propositum mutet, debet ab Ordine a quo abiit, recipi, secus absoluto novitiatu professionem emittit, et fit membrum Ordinis, ad quem transivit. Monialis, quae situm et coelum valetudini suae noxium experitur, et cupiat transferri ad aliud Monasterium; id fit cum facultate Congregationis Episcoporum et Regularium, vel Poenitentiariae, utrumque enim hoc Tribunal jure translationem indulgendi gaudet.

§. 65. Obligationes Regularium.

Nonnullae Obligationes sunt cunctis Regularibus *communes*, et inter substantialia Ordinum Religiosorum referuntur; aliae vero sunt *propriae* quibusdam Regularibus, quatenus nempe ad praefixum specialem scopum diriguntur; quales sunt Institutio Juventutis, cura infirmorum, Missiones etc. Regulares essentialiter obligantur vota nuncupata Deo reddere; sunt autem vota haec: Voluntaria paupertas, Castitas, et obedientia. Quantum attinet *votum Paupertatis*, olim, et nunc Religiosi regulam S. Benedicti secuti, et alii etiam, in *communi* erant, et sunt Bonorum possidendorum capaces; *mendicantes* interim vigore primaevae institutionis, et regulae etiam in communi pauperes esse debebant, unice ad eleemosynas, quae tamen accumulari prohibebantur, restricti. Caeterum

[1]) C. 18. de regul. — [2]) Cau. 20. q. 3. c. 3.

subseque stipe quotidiana ad vitae sustentationem haud sufficiente; ne ex defectu vitae mediorum, ad indecentes, vel cum solitudine vitae religiosae non cohaerentes modos aquirendi confugere cogantur; Concilium Trident. „concessit omnibus Monasteriis, et domibus tam virorum, quam mulierum, et mendicantium, *exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capucinorum*, et eorum qui *Minorum de observantia* vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat" [1]). Privilegio hoc in communi bona immobilia possidendi Societatis Jesu Domus Professae non utuntur, et unice ex eleemosynis vitam sustentant. *Individuale vitium proprietatis* gravissime semper perstringebatur; imo veteri instituto, ita prohibita erat omnis proprietas, ut defuncto apud quem pecunia reperta est, velut in manifesto peccato mortuo, sepultura denegata fuerit. „Qui, inquit Conc. Lateranense 1179. celebratum — in extremis cum peculio inventus fuerit, et digne non poenituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam: quod de universis Religiosis praecipimus observari" [2]). Quamvis vero Conc. Trident. relate ad poenam mutationem induxerit; prohibuit nihilominus religiosis utriusque sexus „bona immobilia, et mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis aquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere, statimque ea Superiori tradi et Conventui incorporari jussit" [3]). — *Administratio* immobilium fieri debet per Conventus Officiales; mobilium usum Individuis Superiores permittant; nihil etiam quod sit necessarium eisdem denegetur. Quod si quis aliter, — prosequitur idem *Concilium* — quidquam tenere de-

---

1) Sess. 25. c. 3. de regul. — 2) C. 2. 4. 6. de Statu Monach. — 3) Sess. 25. c. 2. de regul.

prehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa, et passiva voce privatus sit: atque etiam juxta suae Regulae, et Ordinis constitutiones puniatur." — A dispositione hac exempti sunt *Scholastici Societatis Jesu*, et Coadjutores, quibus limitatum rerum suarum dominium relinquitur, donec per nuncupationem Solemnium Votorum *Professi* fiant. Sed et in Hungaria apud Patres e Scholis piis, provocative ad speciale Statutum, facta pro Missae Sacrificiis per Religiosum Ordinis pro Anniversario per Parochum absolvendo, pia Fundatio, Suffragio Provincialis adprobata est. Ad valide tamen condendum ejusmodi Statutum, *quod essentiam Monasticorum Votorum afficit*, Pontificiam adprobationem requiri suapte patet. Id enim Canonistis exploratum est, *Regulam ab Ordinum Fundatoribus* praescriptam, quae etiam formulae Professionis sub nomine *Regulae* includitur, per Praelatos Ordinum mutari non posse; tametsi *Constitutionibus* in *Capitulis Generalibus* aut Ordinum Congregationibus latis, per eosdem, pari cum Antecessoribus suis auctoritate pollentes, derogari valeat. In reliquo vero Paupertas religiosa, uti e praecitato etiam Concilii Tridentini Decreto liquet, magis in abdicatione proprietatis, seu rerum de quibus disponere possunt, *quam in defectu necessariorum vitae subsidiorum, ac commodorum consistit.* Si quid *rerum* reperiatur post mortem religiosi, jure spolii, seu mortuarii *Ordo succedit.* Imo ea, quae Religiosus aquirit, ita sunt Ordini propria, ut a Regularibus utriusque sexus munera acceptare vetitum sit, sub gravi peccato, a quo absolutio Sedi Apostolicae reservatur. Cujus intuitu in quinquennalibus facultatibus, quas Episcopi a sede Apostolica accipiunt haec habentur: „6° Absolvendi *a casu sedi Apostolicae reservato* ob accepta munera a Regularibus utriusque sexus, injuncta poenitenti quando agitur de muneribus infra valorem decem scutorum, aliqua eleemosyna, absolventis judicio taxanda, et

caute eroganda, cum primum poterit *in beneficium Religionis*, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerit de bonis propriis Religionis; *quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutorum decem*, *vel constet fuisse de Bonis propriis Religionis facta prius restitutione,* quam si de praesente adimplere nequeat, praestita in manibus Absolventis obligatione restituendi intra terminum ejus arbitrio praefigendum, alias sub reincidentia" [1]). *Votum Castitatis* obligationem imponit abstinendi ab omnibus voluptatibus carnalibus, atque hac in parte peccans, duplicis gravis reatus semet obnoxium reddit, luxuriae quippe, et sacrilegii. Si Religiosus Matrimonium inire attentet, *nulliter agit,* excommunicationem, et irregularitatem incurrit, et severae poenitentiae subjicitur [2]). *Obedientiae votum* secum importat, ut Religiosus hilari, et bono animo, fideliter praeterea exequatur ea, quae Superior secundum regulam imperat. Nec sub illo obtentu fraena obedientiae religosae laxare integrum est, quod Superior excessuosus aut discolus sit; nisi forte notorie haereticus vel Schismaticus foret. Interim ultra id, ad quod se Religiosus obstrinxit, seu ultra *regulam* et constitutiones Ordinis, votum obedientiae non extenditur; imo religiosus peccati particeps fieret, si injusta, aut in leges morales impingentia imperanti Superiori obediret, „Deo enim oportet magis obedire, quam hominibus." Tamquam paradigma religiosae obedientiae statuitur Joannes Dun-Scotus Doctor Subtilis, qui Regularis observantiae studiosissimus, dum per Generalem Ordinis Coloniam disponeretur et Litteras eatenus percepisset, cum discipulis suis causa reficiendi animi extra Urbem Parisiensem existens, eo momento, quin Parisios

[1]) Scutum in pecunia Nostra aequivalet flnis duobus Mon. Conv. Si acceptantes tam gravem subeunt imputationem; quali discrimini salutis aeternae se exponunt Regulares munera dantes! — [2]) Dist. 27. Can. 8. et Cap. 3. qui Clerici vel voventes.

rediret suis valedicturus, ex obedientia recta Coloniam discessit. — Generaliter autem monet S. Hieronymus in Persona Rustici institutum monachale professi cunctos Religiosos in hunc modum: „Servias fratribus, passus injuriam taceas: praepositum monasterii timeas ut Dominum, diligas ut parentem. Credas tibi salutare quidquid ille praeceperit: nec de majorum Sententia judices cujus officii est obedire et implere quae jussa sunt, dicente Moyse: Audi Israel et tace. — — Utinam quod renuntiemus saeculo, voluntas sit non necessitas, et paupertas habeat expetita gloriam, non illata cruciatum. Caeterum juxta miserias hujus temporis, et ubique gladios saevientes, satis dives est, qui servire non cogitur." Epist. sel. l. 2. epist. 13. pag. 205.

Ultra haec Religiosi *horas Canonicas in choro persolvere* nisi eatenus regula aliud disponeret, in omnem autem casum, qua etiam in S. Ordinibus constituti Breviarium absolvere; in Ecclesiis propriis pro Benefactoribus Missam Conventualem quotidie celebrare; specialiter autem vigore Art. 96. 1723, omnes Ordines quandocunque ad Hungariam recepti „in signum pietatis, et gratitudinis, singuli duodecim Sacrosancta Missae Sacrificia, pro Suae Majestatis Sacratissimae, Successorumque Ungariae Regum, Regnique hujus Apostolici Incolumitate, incremento, et prosperitate, singulis annis, et in perpetuum dicere, et celebrare, et Moniales celebrari facere tenentur"; — *Jejunia Ordinis et Silentium* ac Disciplinam observare; praescriptis *S. Exercitiis* vacare obligantur; tum ex dispositione Conc. Trid. „Exempti omnes, tam Clerici saeculares quam regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas Processiones vocati accedere tenentur, iis tantum exceptis, qui in strictiori Clausura perpetuo vivunt" [1]). Clausuram au-

[1]) Sess. 25. Cap. 13. de regul.

tem relinquere, aut habitum deponere citra scitum et indultum Superioris non audent; Quia inquit: „sicut piscis sine aqua caret vita, ita Monachus sine Monasterio“ [1]). Quam causam identidem recoquit S. Bernardus Abbas, observantiae Monachalis paradigma. — Caeterum sicut Religiosis sine justa causa et Superioris facultate egredi; ita indiscriminatim etiam viris, sed maxime mulieribus septa Monasterii intrare vetitum est, excepto unice casu peragendae in Ecclesia devotionis. Benedictus XIV. tamen Bulla 1742. edita, quae incipit: „Regularis Disciplinae“ — indulsit mulieribus nobilioribus, *quarum Antenati ejusdem Claustri fundatores* erant, ingressum ad Monasterium, idque causa devotionis, facta praevie Superiori domus insinuatione, quo ita absque offendiculo, per septa Monasterii Ecclesiam ingrediantur. — Demum ut *S. Ordines* digne suscipere, et in iis fructuose versari possint, praeter Animum et voluntatem insuper etiam intellectum scientia cumprimis Sanctorum excolere; item a vocationi suae difformibus, specialiter secularibus negotiis abstinere obligantur; quo ex obtutu *Codicis Civilis §. 192.* Religiosi a tutela, et curatela excluduntur; prout et vigore §' 591, nisi occasione pestis vel alterius epidemiae in Testamentis testes agere non possunt. Sed et ex consideratione voti paupertatis in regula testamenti condendi capaces haud sunt, et juxta §. 573, nisi tunc, si Ordo de peculiari favore facultate testandi provisus, aut Individuum Ordinis a votis solutum est; vel per sublationem Ordinis, regularis Instituti membrum esse desiit, — vel ad ejusmodi correlationes venit, ut membrum ordinis esse cessaverit, et proprietatem habere possit (dum Beneficium Parochiale, aut successionem obtinet) per exceptionem, causa mortis de substantia sua disponere potest.

[1]) C. 4. de regul. et transeunt. Cau. 16. q. 1. cau. 5. 8. 11.

§. 66. De Exemptionibus.

Jurisdictio Episcopi, in regula ad omnes Dioecesis fideles extenditur, cui olim Regulares etiam sicut caeteri Dioecesani subjiciebantur. Thomassinus refert, primum fuisse Vigilium Papam (555) qui erga preces Childeberti Regis Monasterium Arelatense fundantis, huic privilegia concessit, a Gregorio magno — illaesa et intaminata Episcopi Jurisdictione spirituali, — confirmata, atque unice ad liberam electionem Abbatum, immunitatem a depensione cathedratici et Decimarum, seu a lege Dioecesana restricta; praeterea vetuit, ne Episcopi semet ad Domesticam Administrationem ingerant, et ne Clerici alieni non de monasterio monachi, Abbates fiant [1]). Sed et praeclarissimi Ecclesiarum Praesules partim extra Synodos, partim in Synodis congregati, tantopere rei Christianae, Dioecesibus suis utiles religiosos Ordines, privilegiis ornarunt [2]). *Exemptiones* interim de quibus hic sermo vertitur, initium sumunt a saeculo XI.; quarum nomine venit: *privilegium, quo personae, aut locus aut utrumque a Jurisdictione Episcopi subtrahuntur, et immediate Generali Ordinis, tum Summo Pontifici subjiciuntur.* Si personae cum loco et aliquo territorio, Jurisdictioni Episcopi subtractae sint, tunc dicuntur *Nullius*, aut *praelaturae nullius Dioeceseos*, ipsum autem territorium, *quasi Dioecesis;* si vero personae tantum, et Monasterium, aut populus in certo loco existens, eximatur; dicuntur esse *in Dioecesi*, non autem *de Dioecesi.* Exemptionum Origo potissimum repetenda est ab expressa voluntate Fundatorum, Principum saecularium qui Claustra dotarunt; tum ab ipsis Episcopis, quo nempe Instituta idmodi et majo-

[1]) Vet. et Nov. Ecclesiae discipl. t. 1. l. 3. c. 30. n. 1. 2. et pag. 485. —
[2]) Cau. 16. q. 1. c. 34. et Thomassinus loco citato.

rem auctoritatem, et firmiorem stabilitatem nanciscantur, eas desiderantibus. Sed et servandae in Regularibus unitatis ratio exposcebat, ut illi dependeant a Supremis suis Moderatoribus, secus in uno Ordine per cunctas Orbis plagas disperso, varietatem disciplinae sequi, et a primaevo instituto deflectere suapte oportuisset. — Praeterea Religiosa, Scholastica, et litteraria cultura vix non exclusive in Monasteriis Regularium existente, ut huic imperturbate pro Gloria Dei, hominumque salute, adeoque Ecclesiae, et Civitatis emolumento vacare possint; eos privilegiis ornare, et ab influxu saepe damnoso eximere necessum fuit. Dein tutari etiam debebant contra impetitiones et adgressiones rei familiaris, quas in praejudicium Christi pauperum frequenter sustinere coacti fuerunt [1]). Jam vel ex his facile colligitur exemptiones non ad sustentandam Romanorum Pontificum Auctoritatem, ast e gravibus causis inductas haberi. Quodsi vero admittatur per Regularium immunitates succolari Auctoritatem Sedis Apostolicae secundum institutionem Christi, et Ecclesiae bonum, — advertit Pallavicinus in hist. Conc. Trid. — id summi Pontifices non armorum vi, aut Arcium praesidio, sed industria Sanctorum, fluxa omnia despicientium, vitamque ad rigorem consiliorum evangelicorum exigentium Coetuum, obtinent. Finaliter autem historice certum est, Pontifices proprio motu paucarum saltem exemptionum Auctores fuisse, et tunc etiam semper salvis Episcopo competentibus juribus honorificis. Cujus documenta reperiuntur in historia Innocentii III., ab Hurter edita tomo 3° pag. 525.

Interim sicut optima quaeque Instituta scopum summe etiam salutarem habentia abusibus patent; ita exemptiones quoque, aut potius irrepentes in his abusus, querelis et litibus vexatissimis ansam praebuerunt, toti christianae Civitati, cumprimis autem regulari Instituto detrimenta adferentibus. Atque hoc unice sensu dici potest: „exemptionibus maxime res perditas esse regularium." Sed et hac de causa, seu ob abusus irrepentes, secus pro salutaribus agnitae exemptiones acerrimum in S. Bernardo impugnatorem nactae sunt. S. Franciscus autem pari ex consideratione filiis suis hoc praeceptum testamento reliquit: „praecipio Fratribus universis, per obedientiam, quod ubicunque sint, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana." Ad animosis litibus et abusibus occurrendum in Concilio Viennae in Gallia celebrato, dum causae corruptionis Templariorum proferrentur, inter quas principalis, quod a Jurisdictione Ordinariorum, et Visitatione exempti fuissent, de revocandis exemptionibus consilium initum; quas successive, praesertim cessante Schismate, Pontifices tantillum restrinxerunt. — Celeberrimum promptuarium Privilegiorum, et exemptionum per Sixtum IV. pro *fratribus minoribus,* e quorum numero fuit, erat anno 1474. edita Constitutio, „*Mare Magnum*", quam Leo X. 1519. ad omnes Mendicantes extendit, per Concilium etiam Trident. memoratam. Haec Synodus exemptiones non penitus sustulit, sed tamen sufficienter restrinxit; ita quidem, ut et *Juribus, et Auctoritati Episcoporum consulatur, sed et impedimenta curae Animarum hac in parte plene sublata sint;* Superioribus regularibus juxta Statuta propria, et S. Canones interna suorum Gubernatione, ac bonorum, et rerum imperturbata administratione relicta.

In Enchiridion Juris Ecclesiastici Nicolai Cherier, contra exemptiones adducta argumenta probam non sustinent. Zelosi Pontifices, et Dioecesium Praesules favebant exemptionibus, velut etiam ad collapsam Monasticam disciplinam reducendam peropportunis; Sancti viri autem, uti Bernardus et Franciscus, non tam privilegia Ordinibus concessa, quam potius

1) C. 6. de censibus; c. 1. de Statu Monachorum.

abusum privilegiorum metuebant. Dolebat nempe S. Bernardus, abusus irrepsisse apud Religiosos, praetextu exemptionum, suis Superioribus obsequium denegantes; neque exemptiones tollendas esse dicit, sed hortatur Pontificem, ut plenitudine potestatis, qua divinitus praeditus est, in aedificationem Corporis Christi seu Ecclesiae utatur, et exemptiones sine necessitate, aut utilitate non concedat. Atque hoc sensu, contra quippe eos, qui exemptiones variis artibus in perniciem disciplinae expracticarunt, idem Bernardus suis Cluniacensibus ingeminat: *„aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis.“* Quis reprobabit exemptionem Militum ab ordinaria cura Animarum, et hoc ipso Cleri Militaris a Jurisdictione Episcoporum? Ita etiam aliae exemptiones existunt, quae ad scopum salutarem tendunt. — Neque vero subsistit id, exemptiones per Decreta Regia sublatas esse. Ipsa Synodus Nation. Posoniensis 1822. celebrata, quam nec S. Ladislai et Matthiae Regis Decreta; nec Bonifacii 9ⁱ et Pii 2ⁱ Bullae, quae in provocato opere indicantur latebant, dilae, quae in provocato opere indicantur latebant, diserte declaravit, *Archi- et Episcopos Hungariae, a suae hac in parte Jurisdictionis exercitio abstinuisse.* Imo cum Josephus II. Imp. et Rex, Religiosos Ordinariorum Jurisdictioni absque omni discrimine 1781° subjectos declarasset, Iidem Ordinarii Pium PP. VI. Viennae constitutum 1782° die 20ᵃ Aprilis accedentes, relate ad sublatas exemptiones puncto 11° a Summo Pontifice inviationem petierunt, quod certe facturi non erant, si sive e Pontificum Bullis, sive e legibus Patriis in Religiosos Ordines sine discrimine jurisdictionem exercere sibi integrum existimavissent. Praeterea Potestas Civilis anno 1835° libenter Visitationi Episcoporum subjectura erat Coenobia filiorum S. B. et eatenus opinionem deposcebat caeteros inter et ab Episcopo Josepho Vurum; manifesto indicio, nec Supremam Potestatem fuisse de eo persvasam,

exemptiones in Hungaria per decreta Regia sublatas haberi. Quodipsum elucescit et ex Brevi Apostolico, tenore cujus Princeps Primas Regni et Archi-Episcopus in Visitatorem Apostolicum delegatur; obtutus Juris continens Breve Delegatorium isthic per extensum subnectitur:

„Venerabili Fratri Archi-Episcopo Strigoniensi Pius P. P. IX.“

Venerabilis Frater, Salutem, et Apostolicam Benedictionem! — Ad universalis Ecclesiae regimen nullis nostris meritis, sed arcano Divinae providentiae consilio evecti, curas, et sollicitudines Nostras nulla interposita mora, convertimus ad religiosas familias, quae maximo tum Christianae, tum Civili reipublicae usui, ornamento, atque praesidio semper fuerunt, ut si in hac potiori Dominici agri parte inimicus homo clanculum superseminaverit zizania in medio tritici, ea radicitus evelleremus, atque destrueremus. Pluribus idcirco in locis, ingruentibus regularium familiarum necessitatibus, Apostolica Nostra Auctoritate jam occurrimus, et nunc ex animo in Domino laetamur, faciliorem patere viam, qua Regularibus Institutis in Ditione Austriaca existentibus prospiciamus, omnesque Pontificiae vigilantiae et providentiae nervos, ad *regularem in illis disciplinam, vel tuendam vel instaurandam intendamus.* Summopere optabamus ad intentum Scopum assequendum uti opera Supremorum Moderatorum, a quibus Ordines Regulares ex Sacrorum Canonum praescripto, et ex cujusque instituti regularis, et Constitutionibus dependere prorsus debent, ut unitas in eis servetur: verum cum ad mala penitus amovenda, quae tristissimis rerum ac temporum vicibus in eos irrepserunt, extraordinarium remedium adhibendum sit, duximus duos Visitatores, et Delegatos Apostolicos in diversis Provinciis ditionis Austriacae ad tempus constituendos esse, qui Apostolicae Auctoritatis praesidio suffulti, regularem disci-

plinam restaurare ac promovere efficaciter possint. Quam quidem Apostolicam Visitationem alacri animo executioni mandamus, postquam accepimus eam Carissimo in Christo Filio Nostro *Francisco Josepho* Austriae Imperatori, Hungariae Regi Apostolico, illustri gratam acceptamque futuram. Nos itaque hisce Litteris auctoritate Nostra Apostolica Te, Venerabilis Frater, *ad proximum triennium* in *Visitatorem,* et *Delegatum* Apostolicum eligimus, et constituimus, omnium et *singulorum Ordinum* Religiosorum, cujusque Regulae, atque Instituti *Virorum* existentium in ecclesiasticis provinciis: Strigoniensi, Colocensi et Agriensi.

Quapropter Tibi non solum omnes et singulas facultates attribuimus, quae commissi muneris propriae sunt, verum etiam eas omnes, quibus supremi Moderatores, seu Generales, cujuscunque regularis Ordinis fruuntur et gaudent. Insuper Tibi indulgemus, ut prima vice Provinciales, aliosque Superiores eligere, ac deputare possis, ita ut iidem Provinciales statim, ac electi fuerint, quamvis facultatibus potiantur a respectivis Constitutionibus sibi attributis, tamen in earum exercitio et usu a Te dependeant. Ut autem hujusce muneris partibus expeditius perfungi possis, facultatem facimus, ut alios ecclesiasticos Viros probitate, scientia, prudentia spectatos eligere valeas, qui Convisitatoris Officio aucti, auxiliarem Tibi operam praestent, et sacrae Visitationis opus Tecum conficiant. Proinde eadem Auctoritate Nostra Apostolica, omnibus et singulis Regularibus, cujuscunque Ordinis in memoratis locis existentibus, ac etiam illorum Superioribus, atque Officialibus, cujuscunque Gradus, et dignitatis sint, in virtute sanctae obedientiae praecipimus, atque mandamus, ut Te in Nostrum Delegatum, et Visitatorem Apostolicum excipiant, ac debitum praestent obsequium, et obedientiam, sublata cuilibet ex Superioribus Generalibus facultate, quidpiam per se vel per alios sive scriptis, sive ore mandandi, consulendi, decernendi, quod retardare, imminuere, vel quolibet modo directe aut indirecte possit hujus Visitationis, et Delegationis Apostolicae effectum.

Volumus etiam et mandamus, ut hujusmodi Visitatione et Delegatione Apostolica durante, omnium Superiorum Majorum Auctoritas interdicta sit, et Provinciales, Definitoria, seu Consultationes, aliique Superiores Provinciae in usu suarum facultatum a Te omnino dependeant. Omnes vero facultates his comprehensae Litteris exerceri poterunt, quamdiu Visitatio et Apostolica Delegatio durabit: ea enim expleta, ipsae quoque facultates finem habebunt. Vehementer autem optamus, ut exemplar harum Litterarum ad Antistites Ordinarios Locorum praefatarum provinciarum mittas, qui cognito consilio *a Nobis de Regulari disciplina instauranda* suscepto, operam suam quantum in ipsis est conferre studeant. Denique volumus, ut acta omnia ejusdem Visitationis per aliquem publicum scribam a Te eligendum seu Tabellionem scripto mandentur, eademque acta singulis annis et postquam Visitatio et Apostolica Delegatio absoluta sit, vel etiam quotiescunque Nobis, Nostrisque Successoribus videatur, huic Apostolicae Sedi cures transmittenda. Haec volumus, statuimus, et mandamus, decernentes has praesentes Litteras firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque in praemissis plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscunque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. R. E. Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Sanctionibus Apostolicis, nec non cujuscunque Regularis Ordinis, vel Instituti etiam ju-

ramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, et consvetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25ª Junii 1852. Pontificatus Nostri anno septimo.

A. Card. Lambruschini.

Nota. Celebris historiographus Fridericus Hurter in vita Innocentii III., tomo 3° pag. 525. et sequentibus *de Exemptionibus* haec habet: „Es ist viel über die Exemptionen und Privilegien der Klöster geschrieben worden. Auch hiebei wollte man den Päbsten Absichten unterschieben, die sie im Anfange solcher Gnadenertheilungen unmöglich können geahnt haben. Ja es läßt sich erweisen, das der Ursprung jener Befreiungen nicht in Rom, auch Anfangs nicht in den Klöstern, sondern bei Fürsten und Bischöfen zu suchen seie, und daß selbst Päbste wie Gregor. VII. und Innocent. III. nicht geneigt waren den Klöstern auf Kosten bischöflicher Rechte, größere Freiheiten zuzugestehen. Thomassinus I. III. 37. Ein Fürst, der seine Neigung in Schenkungen und Begünstigungen einem Kloster besonders zugewendet hatte, befreite zunächst dasselbe von aller weltlichen Gewalt, und den verschiedenartigen Leistungen, welche an diese zu entrichten waren. Sodann ersuchte er den Bischof, es des Verbandes mit seinem Sprengel zu entheben, und unmittelbar unter den Apostolischen Stuhl zu stellen. Einer Bitte dieser Art konnte sowohl in Rücksicht dessen, der sie vorbrachte, als ihres Beweggrundes (in höherer Frömmigkeit) Genehmigung nicht versagt werden. Hienach wendete sich der Landesherr durch den Bischof an den Pabst, um dessen Schutz für die Stiftung zu erbitten, in welcher Bewilligung ebenfalls eine Pflicht erkannt wurde. — Adducit dein plures casus, ubi ex literalibus documentis modus supradescriptus exemptionum clare elucescit. Sed et alias causas exemptionum recenset, quae potissimum ad quietem Monasteriis securisandam, et nonnullos abusus tollendos semet referunt. — S. Bernardus autem de considerat. III. 8. distingvit exemptiones quibus pietas fundatorum ansam praebuit, ab iis, quas ambitio subordinationem non agnoscens venatur.

§. 67. Regularium ab Ordinariis dependentia.

Jura praecipua, quae Episcopis qua Dioecesis Ordinariis, e S. Canonibus potissimum autem e Concilii Trid. dispositione circa Regulares et eorum Domos — huc non intellectis iis, qui *Praelatis nullius* subjecti sunt — nunc competunt, reducuntur ad sequentia: 1° Monasteria nisi cum consensu Episcopi erigi possunt. „Nec de caetero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cujus Dioecesi erigenda sunt licentia prius obtenta“ Conc. Trid. Sess. 25. cap. 3. de regul. Ad cujus Decreti effectum Clemens VIII. in Constit. quae incipit: „Quoniam ad Institutum“ disposuit: ut locorum Ordinarii ante datam erigendi conventum licentiam, Gremialium Conventuum Priores, loci Magistratum, et incolas, ac omnes interesse habentes audiant. His autem principaliter accensendi sunt Rectores Ecclesiarum Parochialium; cum exploratum sit, per concursum idmodi diminui confluxum ad Ecclesiam Baptismalem. — Praeterea Principis quoque Consensus requiritur. De Romani Pontificis hac in parte licentia vid. Bened. XIV. in Synod. Dioec. l. 9. c. 1. n. 9. — 2° Episcopus Auctoritate Apostolica confert Beneficia, quae a Praelatis Regularibus per tempus

Canonicum collata non sunt [1]). Item in aliis Officiis negligentes Superiores regulares, Episcopi opportunis remediis ad explendas obligationes compellere possunt [2]). — 3° Animarum Curam in saeculares Personas exercentes, in iis Ecclesiis, quae Monasteriis, seu Domibus Virorum, aut Mulierum adnexae sunt, ejusdem S. Conc. Trid. praescripto subesse debent „immediate in iis, quae ad dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, Visitationi et Correctioni Episcopi, in cujus Dioecesi praedicta Monasteria sunt sita, — — *exceptis dumtaxat iis Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu Domibus in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem et temporalem in Parochos et Parochianos exercent;* salvo tamen eorum Episcoporum Jure, qui majorem in praedicta loca, vel personas Jurisdictionem exercent“ [3]). Si autem regulares curae animarum Dioecesanae adplicentur, in omnibus, quae ad Officium eorum pertinent, subsunt Episcopo, a Votis tamen Monasticis, et disciplinae observantia relevati non sunt; praeterea in exemptis Parochiis regularium, eos, qui statis diebus evangelium fidelibus annunciare negligunt, — item in omnes qui haereses praedicant, animadvertit Episcopus. Praedicare autem non possunt in propria Ordinis Ecclesia, nisi praevie praesentati, et petita ab Episcopo Benedictione; in aliis vero Ecclesiis ad concionandum Episcopi licentiam habere tenentur [4]). — 4° Ad audiendas in S. Tribunali fidelium, — tum specialiter etiam Sancti-Monialium Confessiones, Jurisdictione Episcopi provisi esse debent [5]). Neque audent sub poena excommunicationis

1) Clement. un. de sup. neg. Prael. — 2) Conc. Trid. Sess. 5. c. 1. 2. de reform. — 3) Sess. 25. c. 11. de regular. — 4) Idem Sess. 5. c. 2. — 5) Idem Sess. 23. c. 15. de reform. et Benedictus XIV. de Syn. Dioec. l. 9. c. 15. n. 9.

ferendae, Sacramentum extremae Unctionis, citra supremam necessitatem Parochianis absque indultu proprii Parochi administrare, vel Matrimonia, utique valorem haud habitura, solemnisare [1]). Interim S. Congregatio Conc. Trid. 1568, exceptionem fecit relate ad domesticos, statuendo: „Ut Praelati Regulares seu alii religiosi Confessarii non possint audire Confessiones saecularium qui deserviunt ipsorum Monasteriis absque approbatione, vel licentia Episcopi; secus autem si illi saeculares sint vere de familia et continui commensales. Vid. Conc. Trid. Sess. 25. c. 11. de regul. 5° Per Episcopum corriguntur, si in alicujus Sacramenti Administratione delinquant [2]). — 6° Dispositioni Episcoporum quoad Censuras Ecclesiasticas, Solemnitatem Festorum, jejunia, publicas supplicationes, et Processiones subsunt. Si de praecedentia lis oriatur, hanc Episcopus decidit [3]). — 7° Eorum qui extra Claustrum degunt religiosorum delicta Episcopus cognoscit, et punit [4]). — 8° Qui vero intra Claustrum degit, ac extra illud ita notorie delinquit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, intra praefinitum per Episcopum tempus a suo Superiore severe punitur, de quo Episcopus certior reddendus venit; secus delinquens ab Episcopo puniri possit [5]). — 9° Ecclesias etiam exemptas, Abbatias, Prioratus, Praeposituras, hospitalia, et Collegia visitat Episcopus tanquam Sedis Apostolicae delegatus [6]). 10° Idem Concilium Trid. subjicit exemptos Ordinariis, quoad ordinationem, et examen Ordinandorum, ita ut citra facultatem Episcopi Dioecesis illius, in qua Regulares Monasterium habent, ab alio Episcopo Ordines suscipere non audeant. Opus tamen est ad ordinationem

1) Clem, c. 1. de privil. — 2) Bened. XIV. ibid. l. 9. c. 15. N° 9 et 11, — 3) Conc. Trid. Sess. 25. c. 12. 13. de regul. — 4) Ib. Sess. 6. c. 3. Sess. 7. c. 14. de ref. Sess. 25. c. 4. de regular. — 5) Conc. Trid. Sess. 25. c. 14. de regular. — 6) Ib. Sess. 7. c. 8. Sess. 21. c. 8. de ref. Sess. 22. c. 8. de reform.

Episcopo dimissoriis Superioris regularis. Quodsi Episcopus Dioecesanus extra Dioecesim commoretur, vel Ordinationem non est habiturus; cotum potest Superior ad alium Episcopum dimissorias expedire „*quae tamen nullius sint roboris, et momenti, nisi illis juncta fuerit Authentica Attestatio Vicarii Generalis vel Cancellarii aut Secretarii* ejusdem Episcopi Dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a Dioecesi abesse, vel Clericorum Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas Leges ad hunc effectum statuto“ [1]. Archi-Abbas Montis Pannoniae, fine ordinationis suorum ad quemcunque Episcopum libere dat dimissorias. Item e speciali privilegio eximuntur Jesuitae, quos Superior ad quemcunque Episcopum communionem cum S. Sede habentem scopo suscipiendorum Ordinum dimittere potest. 11° Subjiciuntur quoad reparationem Ecclesiarum etiam Parochialium, quas si reparari nequeant, unire possit alteri. 12° In Ecclesiis autem etiam exemptis, nullam insolitam imaginem, nisi ab Episcopo probetur, ponere integrum est [2]. 13° Quoad renunciationem proprietatis per Novitios, ultimo bimestri ante Professionem faciendam, et si a Novitiatu discedant, ejus restitutionem. 14° Quoad Regulares in Universitatibus operam navantes. 15° Praeest Episcopus vel per se, vel per alium electioni Superiorissae Monialium; Monasteria vero illarum exempta, tamquam Sedis Apostolicae Delegatus gubernat. 16° In defectu administratae justitiae, recipit et pertractat recursus. 17° Ex declaratione S. Congregationis omnes Regulares Superiores ad Synodum Dioecesanam, qui aut Generalibus Capitulis non subjiciuntur, aut curam Animarum exercent, comparere debent, sub poena privationis vocis activae, et passivae ipso facto incurrenda, et sub aliis poenis

[1] Bened. XIV. Const. „Impositi Nobis“ de ordinatione Regular. inter Selec. n. 59. - [2] Sess. 25. de invoc. et ven. Sanctar. imag.

arbitrio Episcopi dictandis. 18° Episcopus potest reducere perpetua Missarum onera Regularibus in sua Dioecesi commorantibus imposita [1]. 19° Ordinarius Religiosorum, qui in Dioecesi sua Domicilium habent, superiores neo-electos confirmat. 20° Innocentius XII. plene subjicit Episcopo Monasteria etiam secus exempta, in quibus 12^im Religiosi non existunt.

His, quae ad Episcoporum ad Regulares et vicissim correlationem pertinent, taliter recensitis, e superabundanti subnectitur sermo, quem doctissimus Pontifex Benedictus XIV. in Constitutione supra memorata de Ord. Relig. ad Ordinarios, et Regulares dirigit, sequentibus: „Denique tam Ven. Fratres Patriarchas, Archi-Episcopos, et Episcopos quam dilectos Filios omnium Regularium Ordinum Professores, quam maximo possumus Apostolicae voluntatis studio per Misericordiam Dei nostri, et per charitatem S. Spiritus hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in caeteris omnibus solliciti sint unitatem spiritus, et sincerae dilectionis concordiam servare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus S. posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a Sacro-Sancta Oecumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. habita inculcatum fuit, per haec verba: — *Eosdem insuper Fratres in virtute Sanctae obedientiae monemus ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita nostra ac Apostolicae sedis reverentia, congruo honore et congruenti observantia venerentur.* — Neque obliviscantur Episcopi Regulares Viros ipsis datos esse adjutores in Dominicae vineae cultura; subdit enim eadem S. Synodus: — *Ipsos quoque Episcopos hortamur*, *ac per viscera Misericordiae Dei nostri requirimus*, *ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent*, *ac benigne fo-*

[1] Benedict. XIV de Syn. Dioe. l. 13. c. ult. N. 35.

veant et tamquam in Agro Dominico Cooperatores eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant. — Demum et Episcopi et Regulares simul animum advertant ad id quod ibidem subjicitur; *una est Regularium, et Saecularium, Praelatorum, et Subditorum exemtorum, et non exemtorum universalis Ecclesia extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, et propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.*“

Nota. In Clero Regulari sequens ordo praecedentiae obtinet: 1° loco sunt Abbates, et Praepositi exemti; 2° Abbates et Praepositi non exempti infulati secundum tempus consecutae Praelaturae, post hos non infulati. 3° Generales. 4° Provinciales. 5° Superiores locales. 6° inter ipsos Ordines praecedentia stabilita est hac serie: a) Canonici regulares S. Augustini, et Praemonstratenses. b) Clerici regulares Barnabitae, Jesuitae, Piaristae, c) Monachi, melius Coenobitae, quales sunt Benedictini, Cistercienses. d) Mendicantes quos inter Dominicani praeeminent.

§. 68. De Praelatis et aliis Superioribus Regularium, eorumque Electione.

Ordinibus Religiosis, Summorum Pontificum Decretis et S. Legibus determinata cum Jurisdictione praesunt *Abbates, Praepositi, Generales, Provinciales, Magni Magistri;* qui Praelati regulares dicuntur. Inter hos alii sunt *perpetui*, alii *temporales*, prout nempe pro tota vita, vel ad determinatum numerum annorum eliguntur. Praelati Generales toti Ordini, Provinciales autem uni Provinciae praesunt. Abbates et Superiores, vel sunt exempti, et vocantur *immediati*, aut non sunt exemti et appellantur *mediati*. Abbates praeterea alii sunt *Mitrati*, qui insignia Episcopalia gerunt, quibus si destituantur, dicuntur, *non mitrati*. Demum alii sunt *electi* alii *nominati*. — *Electio* est Personae habilis ad Praelaturam Regularem canonice facta vocatio. Unde patet in electione alia esse quae Personam eligendam, seu ut dicitur vocem *passivam*, alia quae eligentes, seu vocem *activam* concernunt. Jure communi jus eligendi Praelatum Regularem pertinet ad Conventum Religiosorum [1]) Penes electionem principaliter Constitutiones Ordinis pro norma deserviunt; in regula interim, voce activa gaudent tantum Clerici professi; adminus in Subdiaconatu constituti, Conc. Viennensi id ipsum decernente, ut nullus de caetero in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis et Regularibus vocem activam habeat, nissi esset Sub-Diaconus. [2]) Item Conc. Trid. [3]) Quod idem Concilium *proprietarios*, in poenam biennio *activa* et *passiva* voce privat; [4]) qua utraque etiam ex Ordine Mendicantium, ad non Mendicantium transeuntes, item excommunicati et suspensi destituuntur.

Eligentes autem, Personam habilem eligere tenentur, secus electio vigore destituitur. Quapropter eligendus, sit Professus ejusdem Ordinis. [5]) Clericus adminus in minoribus Ordinibus constitus; 24um aetatis Annum jam excedens, ut Sacros Ordines, suscipere possit. Arceantur ut supra proprietarii et ex Ordine mendicantium ad non mendicantium transeuntes; infamia juris et facti notati [6]) Ambitiosi electionem omnimode quaerentes; vel in eam ante publicatum electionis decretum consentientes. [7]) Prioratum leviter obtineres, si desiderares esse posterior, ait Petrus Bles. ep. 12. Irregulares item et Censura ecclesiastica affecti; ac illegitimo thoro nati. [8]) Nam professio religiosa maculam natalium delet

[1]) Cap. 1. de elect. et Cau. 18. Q. 2. C. 2. 3. 4. 5. [2]) Clem. 2. de aetat. et qualit. Ord. [3]) Sess. 22. cap. 4 de ref. [4]) Sess. 25. C. 3. de regul. [5]) C. 49. de elect. item Clem. 1. de elect. [6]) C. 13 et 23. de acens. [7]) Cau. 8. q. 1. C. 9. 10. 11. 19. [8]) C. 1. de filiis presb.

ad suscipiendos dumtaxat Ordines, nequaquam autem ad adipiscendas dignitates, qualis etiam est Praelatura im Ordine regulari. — Caeterum Persona ad Praelaturam per electionem impedita, per *Postulationem*, de qua alibi, ad eam pervenire potest.

In Hungaria ex Ord. S. Benedicti Archi-Abbati S. Martini Episcopi et confessoris, subsunt Abbates Monasteriorum B. M. V. Dömölk; S. Mauritii et Soc. MM. de Bél; S. Aniani Ep. de Tihany. Item Collegium Jaurinense; Residentia Comaromiensis; Ginsiensis; Soproniensis et Strigoniensis; praeterea Parochiae 15, Archi-Abbatis ordinariae Jurisdictioni subjectae; in quibus Individua Ordinis Munere Parochiali funguntur; Archi-Abbas Jurisdictionem quasi Episcopalem exercet, et quidem tam voluntariam, quam et contentiosam seu judiciariam, utpote proprio etiam Consistorio provisus. Insuper Benedictini possident Abbatiam S. Stephani Proto-Regis Hungariae de Telki; haec de praesenti est dumtaxat residentia seu expositura, in qua duobus Benedictinis Scotensibus cura Spiritualium et temporalium credita habetur. Abbatia quippe haec ab anno 1702 affiliata Abbatiae B. M. V. Scotensium, subjecta est Abbati Ord. S. Benedicti ad Scotos Viennae; item Abbatia S. Adriani de Szalavár, est inter illas copiosas Abbatias quae per hostilitates externas et internas desolatae, postmodum per exteros redemptae sunt, nunc Conventui Gottvicensi conjuncta existit. *Cistercienses* habent Abbatias B. M. V. de Zircz, Pilis et Pásztó canonice unitas. Partim re litteraria, partim Cura Animarum aeque occupantur; in Dioecesi Veszprimiensi et Albaregalensi administrant Parochias 13. — Ordinis hujus Abbatiam S. Gotthardi, Abbas S. Crucis in Austria deposita ad Cassam Generalem Parochorum summa pecuniaria, a Carolo III. Imp. et R. Anno 1734 accepit, eandemque Actu tenet. — Ratione Abbatiarum S. Gotthardi et S. Stephani de Telki, Hungariae reddendis, e Comitiis, Regni Suae Majestati

SSmae pluries repraesentatum fuit. Canonici Regulares seu Praemonstratenses subjiciuntur *Praepositis* Infulatis, qui post Canonicam unionem nunc bini sunt: conventus Ecclesiae S. Joannis Bapt. de Jászó et S. Crucis de Lelesz, nec non S. Stephani Proto-Martyris de Prom. M. Varadinensi; alter autem S. Michaelis Arch. de Csorna, SS. Petri et Pauli Apost. de Horpács, B. M. V. Anunc. de Türje et S. Joannis de Ponte seu Jánoshida. Administrant 14 Parochias in diversis Dioecesibus dispersas. Caeterum quod de Religiosis universim Canonibus cautum est, ne *singuli* per Villas et oppida per quascunque Paroeciales ponantur Ecclesias; id diserte etiam de Canonicis regularibus disponitur. „Canonicus quippe regularis potest praefici Ecclesiae paroeciali etiam saeculari: sed debet habere socium secum sui Ordinis, si commode fieri potest, cujus in eis, quae Dei sunt, et regularis observantiae tam consortio, quam solatio perfruatur [1]. Sollicite proinde cavent S. Canones, ne Religiosi cujuscunque Ordinis isolati vivant, utpote ad vitam in communi ducendam, per Regulas Ordinis adstricti. Praelatorum horum electio *ad proponendum* fit in praesentia Commissarii, Nominatio vero sequitur per Suam Majestatem Ssmam Imp. et Regem Apostolicum. Excipiuntur Abbates Archi-Abbati Montis Pannoniae Subjecti, quos idem Archi-Abbas nominat et Altissima confirmatione subsecuta, per vicinarum Dioecesium Antistites solemniter benedici procurat. [2])

In Italia Abbates partim per Sedem Apostolicam nominantur, partim ex novioribus Concordatis Iuris Patronatus Regii evaserunt, et sunt sicut anteriores, *perpetui*. In Hispania plerique Abbates regulares, sunt temporanei, ad triennium per Generale Capitulum electi. Ita etiam Abbas Congregationis Cassinensis, a Definitoribus in Capitulo Generali deputatis, ad quin-

[1]) C. 5. de statu Monach. et Canon. regul. [2]) Status Personalis. Benedictinorum de 1844.

quennium eligebatur. — Ab his distingui debent *Abbates Commendatarii*. Videlicet cura Ecclesiae viduatae Episcopo vel Clerico committebatur, qui ad tempus illi intendat, seu in *Commendam* dabatur. Interim ob graves abusus, — siquidem saepe laicis quoque Abbatiae in commendam perpetuam collatae fuissent, — commendae sublatae sunt. Signanter Conc. Trid. disponit: ut Monasteria quae tunc commendata erant ejusdem Ordinis Personis conferantur; et Ordinum Capita nemini imposterum commendentur. [1])

Generales Ordinum, eliguntur temporanee, excepto Generali Jesuitarum, cujus electio ad dies vitae perdurat. Cum Generalibus respectivi Ordines Religiosi in Imperio Austriaco existentes, ab 1849° plena communicandi facultatae gaudent; et signanter Capucini effective communicant, unum e suis Individuis Romae ad latus Generalis habentes. Novissime Anno quippe 1853° dum Generalis Capucinorum canonica electio Romae susciperetur, pro hac etiam Provinciales e Monarchia Austriaca cum respectivis Definitoribus confluxerunt. Porro Ministri *Provinciales* in regula eliguntur in Capitulo Provinciali. In Societate Jesu interim, juxta proprias Constitutiones, ipsemet Generalis creat Provinciales et Rectores. A Provincialibus distincti sunt nomine, sed non jurisdictione *Custodes*, qui aeque pro triennio eliguntur; ipsa autem Provincia, in qua Conventus duodenarium numerum non attingunt, *Custodia* nuncupatur. Post Ministros Provinciales, *majores Superiores*, aut *Superiores primi generis* appellatos, veniunt Superiores locales, seu minores et secundi generis dicti, quales sunt apud Piaristas *Rectores*; apud Franciscanos *Gvardiani*; apud Fratres Misericordiae, Servitas, Carmelitas, *Priores*. — Praeterea generaliter in regimine Ordinum operam praestant: *Assistentes* apud Piaristas;

[1]) Sess. 25. c. 21. de reg.

Consultores aut *Definitores*, in aliis Ordinibus. Ita autem Definitores adnecti jubentur Ministro Provinciali, ut adminus medietas eo loco quo Provincialis resideat. Definitorii consilium aut consensum Provincialis in omnibus Gravioris momenti negotiis exquirere tenetur.— Guardiani aeque ad triennium eliguntur, neque munus hoc eodem loco ultra tres annos continuative gerere possunt. Dum dispensatio ex justis causis semel conceditur, spiritui Regulae plane adversum foret, ut quis post Sexennium Officium Guardiani rursum retinere velit. Si decursu triennii Provincialis intermedio tempore humanis rebus eximatur, usque exitum triennii primus Definitor in qualitate *Vicarii Provinciae* regimen continuat.

„In electione Superiorum quorumcunque, Abbatum temporalium et aliorum Officialium, ac Generalium et Abbatissarum, atque aliarum Praepositarum, quo omnia recte et sine ulla fraude fiant, imprimis S. Synodus (Tridentina) districte praecipit, omnes supra dictos eligi debere per vota Secreta, ita, ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur;“ quae una secus irritam declarat electionem [1]). Electio proinde per *Scrutinium*, tempore praevie determinato, vocatis ad id vocandis, Missa Solemni de Spiritu S. absoluta, fieri debet. — Praeses cum Notario et testibus electioni deputatur. Electores de eligendo digniori; Deputati vero de fideliter implendo suo Officio juramentum deponunt. Tum proceditur ad vota secreta danda, et tam ex parte scrutatorum, quam et eligentium, *sub peccato*, *secreta mansura*; dein fit Schaedularum connumeratio; *Absoluta Majoritas* requiritur ad electionem, quae si adsit, mox Electionis Decretum expeditur et promulgatur. Si nec ad ternum Scrutinium majoritas coalescit, eotum nominatio Superioris recidit ad *Episcopum Dioecesis* illius, in qua electio

[1]) Sess 25. C. 6. de regul.

instituitur. — Terminata electione confirmatio a respectivo Superiore, cui nimirum subjecta est dignitas, vel Ecclesia electiva, peti debet. Abbates et Praepositi non exempti, confirmantur ab Ordinario [1], quia confirmare electos, est actus jurisdictionis necessariae, sicut instituere praesentatos. Electi intra Annum petere debent sui benedictionem ab Ordinario Dioecesis, qua recepta, primo jurisdictionem exercent. *Archi-Abbas Montis Pannoniae vigore privilegii*, a quocunque Episcopo benedictionem recipere potest. Exempti habentes Ministrum vel Praepositum Generalem, per hunc confirmantur. Demum Generales Ordinum confirmat Summus Pontifex. Si Superior localis fundatis Ordinarii exceptionibus obnoxius foret, alter per Provincialem constituitur.

Electio Generalis fit in regula in *Capitulo Generali*, ad quod Provinciales, Consultores, Definitores conveniunt; in Ordine Societatis Jesu, praeterea e singula Provincia, in Capitulo Provinciali duo professi eliguntur, ad Generalis electionem influxuri. *Capitulum Provinciale* consistit e Superioribus localibus, Consultoribus, Definitoribus, ac sic dictis Vocalibus, qui per regulares voto secus gaudentes domi elective deputantur; et hic eligitur Abbas, Minister Provincialis et caeteri Superiores secundi generis. In his Capitulis quovis triennio celebrandis, insuper ea, quae ad restaurandam disciplinam, tollendos abusus conferunt, pertractantur. Demum dantur etiam *Capitula localia seu quotidiana*, quorum objectum sunt, domestica Monasterii negotia. — Apud Clericos Regulares Scholarum Piarum, Capitula Provincialia singulis sexenniis; Congregationes vero omni triennio celebrantur. Capitula Culparum in usu non sunt.

Caeterum Capitula Generalia, maximae sunt auctoritatis; collapsae enim regularis disciplinae observatio, in his efficacissime restauratur, aut dum opus est, cumprimis in accidentalibus reformatur. Ut tamen qualiscunque reformatio exterior stabilitatem habeat, opus est primo reformatione hominis interna, seu morali.

[1]) C. 14. de Majoris.

Apud Benedictinos, et eos, qui S. Benedicti regulam pro basi habent, *Capitula regularia* ex tota Congregatione coalescunt. Abbas, *juxta S. Benedicti regulam*, negotium ita proponit, ut propriam sententiam celet, quo assentatores et timidiores, pro utilitate securius possint suam opinionem depromere. Deinde audiat Abbas Consilium Fratrum benigne, patienter, sine molesta interruptione, et concesso loquendi spatio ac libertate. Abbas sine consensu Capituli regularis vetatur abalienare fundos immobiles, aut eos impignorare, vel notabilibus oneribus gravare. Ad disciplinam autem conservandam, non tantum potest omnia media praescripta sine consensu adhibere, imo tenetur; Statuta tamen ultra regulam semet extendentia, citra consensum condere nequit.

Triennalis electio apud filios S. Francisci vigens, recentioribus temporibus, per nonnullos impugnabatur, in eo difficultatem invenientes, quod in diffusa Provincia Capitulorum Provincialium celebratio, magnas impensas requirat, et per Stabilitatem Superioris subordinationi magis consulatur; quibus ex obtutibus 1839° Suae Majestati SSmae supplicatum fuit, ut Josephi II. Imp. et Regis de 1784° Altissima Dispositio, tenore cujus Capitulorum celebratio, et hoc ipso Provincialis electio ad Sexennium extendebatur, reinducatur. — Interim libratis omnibus rationum momentis, ea certe graviora sunt, quae pro vetere hoc in puncto disciplina, ad essentialia regulae pertinente pugnant. Imprimis enim Ordines Religiosos, donec Statutis stricte inhaerebant, in summo flore fuisse, historia docet; et quo amplius successu temporis, sub variis praetextibus a regulis et statutis recedebatur,

eo magis Ordinis disciplinam succusam, inter Religiosos viros autem, illos quippe, qui pro Statutorum primigenia puritate zelabant, et commoditati, plus quam religiosae perfectioni studentes, dissensiones non cum exiguo ipsius Ecclesiae detrimento enatas esse, ac Ordines Religiosos de antiqua existimatione decoreque quam plurimum amisisse, pariter historia temporum testatur. Unde vel haec consideratio sufficiens praebet motivum triennali electioni, per Ordinis Statorem dispositae, inhaerendi; eo magis quidem, quod aetate etiam nostra plurimi reperiantur Religiosi, Regularum et Statutorum Ordinis observantissimi, qui idmodi a regula recessum, non satis aequo ferrent animo, et per talem innovationem, in religioso spiritu turbarentur. Praeterea triennalis Capitulorum celebratio Decretis Summorum Pontificum urgebatur, signanter Constitutione Innocentii III. PP. in Concilio Lateranensi lata, ad quam Oecumenica Synodus Tridentina Sess. 25. de regul. provocat, et in specie cap. 8. triennalem Capitulorum celebrationem expresse disponit. Et sane commendat institutum isthoc scopus, qui praeter electionem Superiorum, est de disciplina Ordinis in flore conservanda, et si ubi injuria hominum collapsa fuisset, eadem pristino vigori restituenda; de negotiis tam integram Provinciam in concreto, quam et particulares Conventus concernentibus mutua Consultatio; haec enim communi consilio securius pertractantur, et felicius in effectum etiam deducuntur; propter quae Capitula, in quibus electio quoque fit merito semper ut *Palladium* quodpiam *Ordinum* considerabantur.

Oeconomiae obtutus, dum de nobiliori morali fine consequendo agitur, in considerationem sumi nequit. Tristis docet experientia, aevi nostri materialia lucra sectandi studium, virtuti inimicum esse, lucroque materiali, praestantissima quaeque instituta subordinari. Non dimovit respectus hic S. Franciscum

Patriarcham a celebrandis Capitulis, qui ab Anno 1210 usque 1226, quo tempore Ordinem regebat, saepius Capitula Generalia celebravit. Oeconomiae quantum fieri potest consulendum eo modo, ut Capitulum non loco incommodo, verum in *Centrum Provinciae* cogatur; et cum Conventus a potiori occasione propria provisi forent, Fratres ad Capitulum convenire obligati dummodo a superfluis sumptibus faciendis abstineant, non magnas in itinerationem facient expensas, per longe praestantius emolumentum morale, ex triennali regulis Ordinis conformiter celebrando Capitulo redundaturum, abunde compensandum.

Sed neque consideratio manutenendae disciplinae pro motivo servit; ille enim qui pro triennio electus, scopo nefors eo, ut futuro triennio reeligatur, studio lucrandorum Animorum accuratam Disciplinae observantiam non urgeret; nec ad Sexennium electus, eodem motivo urgebit. Dein ratio ista latae est extensionis; si enim Disciplinae apud Religiosos conservandae stabilitas Superioris, opportunum est remedium, quare electio ad 12 Annos, aut dies vitae electi non extenditur; quod utique regulae, religioso item spiritui humilitatis adversaretur. — Demum quod stricte ipsam triennalem electionem commendare videtur est; quod mutatio frequentior faciat, ut plures inveniantur, qui bono communi consulere possint et velint, iique qui necdum super candelabrum positi sunt; ad lucendum digniores semet facere contendant.

§. 69. Praelatorum Regularium Praerogativae et Potestas.

In genere Regulares Ordines Virorum, pertinent ad *Hierarchiam Ecclesiasticam;* specialiter vero Praelati *omnes fere S. Ordinibus initiati*, referuntur ad Hierarchiam Ordinis et Jurisdictionis, eximiisque

praerogativis ornati habentur; quippe 1° Abbates, Praepositi et Generales Ordinum; non quidem jure Divino, sed ex privilegio ad Concilia etiam Universalia vocari consueverunt, cum jure suffragii. 2° In sibi subordinatos, jurisdictionem quasi episcopalem tam internam, quam externam exercent, et quidem *jure Ordinario*, seu vigore sui Officii [1]. — Hinc 3° possunt contra regulares suos subditos procedere non tantum per dispositionem et correctionem paternam; sed etiam per potestatem judicialem et jurisdictionalem.— 4° Censuris sibi subordinatos afficere [2]. 5° Subditis propriis professis, et non aliis, primam Tonsuram et Minores Ordines conferre [3]. Illi tamen Praelati unice hac facultate pollent, qui sunt Sacerdotes et solemniter benedicti [4]. 6° Abbates perpetui, infulati, prout et Praepositi, recepta Benedictione, Insignibus Pontificalibus utuntur, vestes, vasaque sacra, — ubi unctio non occurrit — pro usu suarum Ecclesiarum, juxta praescriptum ritum benedicunt. Usum tamen Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, *Decretum* S. Rituum Congregationis, habitae coram Alexandro PP. VII., die 27ª Septembris 1659 emanatum regulat, disponendo: „Ut super Altari septimam Candelam non apponant. Ad Ecclesiam accedentes, vel inde recedentes, ne Canonicos vel Monachos (ut mos est Episcoporum) sibi associari sinant. Mitram pretiosam, nisi cum expressa S. Sedis facultate, non adhibeant, sub mitra pileolo nigri coloris tantum utantur. Baculum Pastoralem albo velo appenso deferant, et a Pontificalibus etiam de Ordinariorum licentia extra Ecclesias sibi subjectas prorsus abstineant. Sacras Vestes ex Altari non sumant, nisi Pontificaliter Divinis vacaturi. Indulgentias impertiri non audeant absque S. Sedis indulto.

---

1) C. 21. de rescript. C. 10. de Major. et obedient. c. 2. 6. 8. de Statu Monach. — 2) C. 10. de major. et obed. — 3) Conc. Trid. Sess. 23. c. 10. de ref. — 4) C. 1. de Suppl. neg. Prael.

Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione, in Missis tantum Pontificalibus, nec non Vesperis et Matutinis Pontificaliter celebratis, licere sibi tantum meminerint. Per Ecclesiam incedentes etiam Pontificalibus induti, nisi expresse ipsis permissum fuerit, benedicere non praesumant. Praesente Episcopo, sine speciali Sedis Apostolicae permissione etiam Pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent: Concionatoribus, qui eorum subditis Verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non praesumant, sed Episcopis, quibus jus hujusmodi privative competit, omnino dimittant“ [1]. 7° Abbates et Praepositi, urgente necessitate, Administratorem vel Coadjutorem accipiunt [2]. Potest tamen Praelatus adjunctis pressus, Officium simpliciter resignare; quo in casu non eligitur Coadjutor, verum vacante per resignationem Praelatura, ad novi Praelati electionem Canonica et Ordinis Statutis congrua forma proceditur. 8° Ad audiendas suorum Regularium Confessiones, quasi Praelati facultatem tribuunt; imo Casus Conscientiae et Confessionis, — per Clementem VIII., *ad undecim restrictos* sibi respectu suorum subditorum reservare, et in nonnullis casibus dispensationes elargiri possunt. Qui idem Pontifex Clemens VIII., 1593 disponit: ut Superiores in singulis Domibus deputent duos, tres aut plures Confessarios pro Sacerdotum majori vel minori numero, iique sint docti, prudentes, ac charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio comittatur, quando casus occurrerit. 9° Abbates, Praepositi et Provinciales jus habent, imo obligantur, adminus semel decursu triennii Monasteria Canonice et Paterne visitare, ac quae ad Mores conservandos, Virtutem augendam,

---

1) Benedictus XIV. Const. Select. p. 1. pag. 117. — 2) Conc. Trid. Sess. 25. C. 7. de ref.

Oeconomiae et domesticum Ordinem manutenendum conducunt, constituere. 10° Circa temporalia praecipua iisdem competit potestas; quae tamen ad scopum per Fundatores praestitutum, et quidem sive per se, sive per constitutos e Regularibus idoneos, in spiritu religioso probatos Officiales, dispensare debent. — Apud Mendicantes, pluralitate votorum *Syndicus Apostolicus* constituitur, temporalia eorum negotia procurans; absque cujus influxu, Superiori locali, erogationes, adminus notabiliores facere integrum non est, imo eidem Rationes domesticas pro revisione et subscriptione substernere tenetur. Qui si ecclesiasticus sit eotum per alium saecularem, a probitate morum solertia, et aliis praeclaris qualitatibus insignem, *Vice-Syndicum* in agendis minoris momenti succolatur. Uterque tam Syndicus, quam Vice-Syndicus piis suffragiis regularium, sepultura intra Septa Monasterii, et aliis per Constitutiones Ordinis determinatis Privilegiis gaudent. Religiosi autem, ut C. 1. de Syndico exprimit — debent habere Syndicum, etiam si oportuerit constituto illi Salario.

§. 70. Obligationes Praelatorum.

Abbates et Praelati regulares obligantur: 1° Qua Pastores et Animarum sibi creditarum Directores praeclaro vitae exemplo caeteris praelucere, atque ad observanda vota et regulam Ordinis verbo et opere excitare [1]). 2° Ut disciplinae manutenendae et aliis officiis diligenter incumbere possint, inter suos commorari obligantur, nec secus nisi ex causis Canonicis pro tempore abesse audent. — 3° Suis de victu et vestitu regulis conformi debite prospiciant. 4° Litteras, Scientias, bonasque Artes inter suos omnimode promoveant. 5° Crebrius filios suos visitent, ad se vo-

[1]) Innocentius PP. XII. Constit. quae incipit: „Speculatores.“

cent, cum iis in lenitate agant, eos, dum opus est, consolentur, et pro iis orent. 6° Personarum absque specialibus meritis acceptationem evitent, animumque suum ab affectibus ignobilibus liberum conservent. „Praelatis religiosis injungimus, ut in exercendo sui Magistratus Officio proprios motus, scilicet rancorem et odia vel affectiones carnales non sequantur;“ ait Synodus Parisiensis 1212 celebrata. In P. Mauri Schenkl, Institutionibus Juris Ecclesiastici a Scheill editis t. 1° pag. 509 sub *) haec continentur: „Praeclare Superioris mores dotesque depingit libellus supplex Carolo M. porrectus a Monachis Fuldensibus contra Abbatem suum: — Optabamus veritatem et concordiam cum Abbate nostro habere, sicut cum anterioribus Abbatibus nostris habuimus; et misericordiam et familiaritatem, pietatem et modestiam in illo sentire; ut esset benignus, infirmis, propitius delinquentibus, affabilis fratribus, moestorum consolator, laborantium adjutor, benevolorum auxiliator, bene certantium hortator, lassorum refocillator, cedentium sustentator, cadentium restaurator: omnes fratres amaret, nullum odiret, nullum zeli vel livoris dolo prosequeretur: fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in judicio: non obstinatus in consilio; sed hilaris facie, laetus mente, discretus in opere, consentiens in utilitate, et quando aliquis de fratribus praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannica vindicta illum excruciaret, sed misericorditer disciplina corrigere festinaret, conversumque clementer susciperet, nec prava suspicione denuo illum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret. Exstat. t. 1. Conc. Germ. pag. 404.“ — Caeterum, dum ita de temporalibus commodis et aeterna etiam suorum Salute, sollicitus est Praelatus, quivis incola Domus Dei in eo, non tam Superiorem, quam Patrem veneretur, Actiones ejus sinistris suspicionibus non involvat, sed velut ad bonum commune directas su-

spiciat, cunctisque boni filii erga Patrem, subditi erga Superiorem obligationibus ad amussim satisfaciat. „Venire ad religionem, est perfectionem quaerere, non perfecte autem vivere, summa damnatio est.“ S. Edmundi specul. eccl. c. 1. „Si adhibenda est correctio, semper salva sit dilectio.“ S. Leo ep. 84. „Et lapsis nec censura desit, quae increpet, nec Medicina, quae sanet.“ S. Cyprianus. ep. 3.

§. 71. Sanctimonialium Superiores, et Regimen.

Conventus Monialium per Abbatissas, aut sicut in Hungaria vocantur, et vocari amant, per *Superiorissas*, Praefectas, diriguntur, ad quarum electionem, cunctae professae, tam *choristae* quam *laicae* et *conversae* concurrunt. Debent eligi in secreto scrutinio, duabus tertiis votorum, quorum numerus, dum absoluta Majoritas adest, per *accessum* compleri potest [1]). Relate ad modum electionis et passivam electionem Conc. Trid. disponit: „Abbatissa et Priorissa, et quocunque alio nomine Praefecta vel Praeposita appelletur, eligatur non minor Annis 40, et quae 8 Annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quodsi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni praeest, videatur, ex iis, quae in eodem Monasterio Annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint Episcopo, vel alio Superiore consentiente eligatur. Duobus vero Monasteriis nulla praeficiatur“ [2]). Episcopus, vel illius deputatus, qui electioni praeest, ante cancellorum fenestellam, vota singularum accipiat. — Praeterea cum Officium Superiorissae, regimen involvat, et quasi dignitas ecclesiastica reputatur; eligenda, legitimos natales ha-

[1]) C. 43. §. 1. de elect. in 6º. — [2]) Sess. 25. c. 7. de regul.

beat oportet. In reliquis singulorum Ordinum Constitutiones servandae praecipiuntur. Quae de libertate et effectibus Professionis supra recensita sunt, ea de Monialibus quoque sonant.

Monasteria Monialium non exempta Episcopi Visitationi *jure Ordinario;* exempta vero Sedis Apostolicae *delegata* Auctoritate subsunt [1]). Confessarium pro Sancti-Monialibus Episcopus adprobat et disponit, nisi hae *Superiori regulari* subordinatae sint; eotum enim Confessarius per Superiorem regularem ex Ordine eligitur. — Ast „praeter Ordinarium Confessarium, alius extraordinarius ab Episcopo et aliis Superioribus bis aut ter in Anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat [2]). Praeterea autem Benedictus XIV. disposuit, ut Superior regularis adminus semel per Annum Sacerdotem Secularem vel alterius Ordinis in Confessarium constituat.

Pro singulis Monasteriis adest *Syndicus Apostolicus* juribus et proprietati intendens; omnium autem Monasteriorum, etiam illorum, quae Superiori regulari subjecta sunt, Administrationis Rationes Episcopo quotannis substernendas, et infidelem Administrum ab officio amovendum Gregorius XV. constit. Inscrutabili disponit. Superiorissae, choro, pietati, disciplinae conservandae intendunt, Officia distribuunt, et implemento muneris invigilant; delinquentes corrigunt, bona temporalia administrant; verbo omnia, quae utilitas tum spiritualis tum temporalis, ac salutare regimen requirit, quasi quaedam Matresfamilias, cum auctoritate exequuntur.

§. 72. De Clausura Sanctimonialium.

S. Cyprianus Episc. et Martyr. de Virginibus loquens, dicit: „Quarum quo sublimior gloria est, ma-

[1]) Clem. C. 2. de Statu Monach. — Conc. Trid. Sess. 25. C. 9. de regul. — [2]) Idem Conc. ibidem C. 10.

jor et cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum Gratiae Spiritalis, ... illustrior portio Gregis Christi" [1]). Et reipsa, Ecclesia peculiarem semper impendit curam Virginibus purissimo Sponso Christo consecratis, ut seclusa omni occasione mali, pudicitiam, nitorem Virginalem, *etiam quoad Mentis affectum* conservarent. Cunctae quippe Moniales professae, tam stricte tenentur ad Clausuram, ut extra septa Monasterii sine gravi et manifesta causa, ac licentia Episcopi iisdem egredi, sub poena ipso facto incurrendae et reservatae excommunicationis, ac dictandae per Judicem privationis Officiorum, quae Superioritatem adnexam habent, — vetitum sit [2]). — Causae egrediendi graves sunt: Morbus gravis contagiosus aut epidemicus, in ipso Monasterio desaeviens; ita etiam magnum incendium, quod Monasterium vastat, et januas Monialibus aperit, ut vitam servare possint; item haereticorum vel aliorum hostium incursio; si aliqua eligatur in Superiorissam alterius Monasterii, vel correctionis causa ad aliud Monasterium transfertur, et aliae legitimae ab Episcopo adprobandae. — Caeterum, si Instituti regulae et scopus egressum e Monasterio admittant, per hunc Clausura non violatur, et neque poenae statutae incurruntur; quod obtinet apud Moniales Griseas curae infirmorum extraneorum deditas, quae ad infirmum ternae exeunt, ita, ut una pro cura infirmi remansa, duae domum redeant, stato tempore rursum pro commutatione iturae.

„Ingredi autem intra Septa Monasterii nemini liceat, cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena, ipso facto incurrenda. „Decernit idem Conc. cit. c. 5. Nullus

[1]) Com. Virgin. lectio IV. — [2]) Conc. Trid. Sess. 25. C. 5. de regul. — C. un. de Statu regul. in 6º — Const. Pii V. „Decori" item Gregorii XIII. „Deo Sacris."

itaque, nec Superior, nec Confessarius, Monasterium ingredi potest, extra casum necessitatis, exceptis puellis in Monasterio instituendis cum licentia Superioris. — Benedict. XIV. autem Inst. Eccl. 29. haec habet: „Porro siquidem frequentia colloquia etiam extra clausuram Monialium in Conclavi ad sermocinandum destinato Sanctimonialium quietem turbent, mentemque earum ad cogitationes mundanas deducant, ac eoipso clausuram respectu illarum violent; Alexander III. P. edixit: Monasteria Sanctimonialium si quisquam Clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare praesumpserit, per Episcopum arceatur; et si non destiterit, ab Officio Ecclesiastico reddatur immunis: si laici, excommunicationi subdantur, et a coetu fidelium penitus fiant alieni [1]). Communis opinio est, si Monasterium indigeat reparatione, curandae sint infirmae, aegris ministranda Sacramenta, instituenda Visitatio, has causas necessitatis esse ingrediendi Monasterium fabris, opificibus, ancillis servientibus, medicis, Confessario, Visitatoribus. — Clemens VII, editis die 5ª Januarii 1532 Litteris Apostolicis ingressum Monasterii Confessario concedit, cum de Morbis periculosis agitur, simul inviando, ut eodem tempore Eucharistiae Sacramentum ministretur, ne toties Sacra Monialium penetralia sint adeunda. Imo Episcopo Moniales accedenti Gregorius XIII. valde commendat, ut ipsum aliqui Regulares comitentur. Benedict. XIV. Inst. Eccl. 29. pag. 190.

Caeterum Virgines Sancti-Moniales, solatiis hujus mundi et splendori ac vanitati renunciantes, taliterque semetipsas abnegantes, vitam suam Deo et proximi bono immolant. Intensam quippe operam impendunt lucrando Coelo, sed una etiam de aliorum temporanea, aeternaque Salute sollicitantur. Exemplo suo praebent incitamentum ad virtutem, religio-

[1]) C. 1. 8. de vita et honest. Cl.

sam educationem promovent. Patientem humanitatem sublevant, et cuncta haec prompte exequuntur, amore sponsi sui, Jesu Christi, ac absque spe retributionis terrestris. Nulla, quantumvis horrorem secus excitante infirmitate terrentur, non illas contagionis aut mortis repellit a lecto morientis peccatoris metus; sed assistunt in ultima lucta constituto, atque ad spem consequendae aeternae Salutis erigunt. Unde vel ex hic attactis, Instituti Sancti-Monialium in Ecclesia Catholica florentis, et per multos, qui extra hanc etiam sunt, sat, superque recogniti, ac condignis encomiis celebrati utilitas, abunde patet.

Nota. Ex indultu Imperatricis et Reginae Mariae Theresiae candidati Ordinum Religiosorum virorum et Mulierum inferre possunt flnos 1500 titulo Dotis Monasterio. Interim tenuius fundatis Religiosis, qui cura infirmorum vel educatione juventutis occupantur, uti Piaristis, Misericordianis, Monialibus S. Ursulae, Salesianis, Elisabethinis 3000 flnos acceptare licet. Item 1715. art. 71. statutum est, eos, qui Ordinem Religiosum *bonorum possidendorum* capacem ingrediuntur, non plus inferre posse in Monasterium, quam decimam partem ratae suae, idque ita, ut si rata ejus valorem 50 millium florenorum superaret, eidem non plus, quam decimam partem 50 Millium, et quidem in pecunia, Monasterio inferre licitum sit.

CAPUT XI.

De Conciliis.

§. 73. Concilia Generalia.

Ecclesia Catholica Docens et Imperio Sacro praedita, est per totum orbem diffusa, gravissimis tamen adjunctis deposcentibus in unum convenire potest seu

Concilia celebrat quae a graeco, *Synodi* etiam nomine usu veniunt; atque voces hae, per Canones quoque eodem semper sensu et pro Synonymis sumuntur, ac Concilium Tridentinum eas pariter ita adhibet. Si auctoritate aut consensu summi Pontificis, Episcopi totius Christiani Orbis ad Religionis et Ecclesiae res tractandas convocentur accedente Confirmatione Pontificia, Concilium idmodi Generale dicitur; caetera Concilia particularia, et inter haec alia Nationalia, alia Provincialia, alia demum Dioecesana nominantur, prout videlicet vel alicujus Nationis, vel unius Provinciae Ecclesiasticae Episcopi congregati sunt, aut unius Dioecesis Clerus convenit. — *Concilia Generalia alio nomine Universalia*, *vel Oecumenica* gravissimis unice de Causis et calamitosa Ecclesiae epocha, dum exorta circa Doctrinam Fidei dubia et publicae disputationes totius Ecclesiae Docentis enunciationem deposcunt, celebrantur. Non quasi in Concilio Oecumenico nova Dogmata conderentur; verum Ecclesia collecta enunciat, quid Ecclesia dispersa realiter credat, et per Traditionem conservaverit. Huc referuntur in Conciliis adhibitae formulae: *Haec est Patrum traditio; haec fides Catholica; haec S. Litteris consonant; ita didicimus, ita credimus.* Id ipsum, prout et causas, de quibus hic agitur — celebratorum Conciliorum, exponit Vinc. Lirinensis: „Quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est Ecclesia, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur, quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur, quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur. Hoc inquam semper, neque quicquam praeterea, haereticorum novitatibus excitata Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod prius a majoribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per Scripturae chirographum consignaret, magnam rerum Summam paucis litteris compre-

hendendo, et plerumque propter intelligentiae lucem non novum fidei sensum novae appellationis proprietate signando" [1]). Conciliorum initia ad tempus Apostolorum sunt referenda, testantibus idipsum Act. Apost. c. 15. — Caeterum Concilia Oecumenica, Divina institutione attributo Infallibilitatis ornata esse et quorsum inerrantia haec extendatur, Dogmatici clare demonstrant.

E definitione Concilii Universalis seu Oecumenici patet, tria ad illud requiri, videlicet ut indicatur Auctoritate, aut consensu Summi Pontificis, qui per se ipsum, vel cumprimis si extra Urbem Romanam celebretur per Legatos eidem praeest. Dein, ut convocentur totius Orbis Catholici Episcopi. Demum, ut Acta Concilii a Pontifice confirmentur.

Jus couvocandi Concilia Generalia inter attributa Primatus refertur, et ad potestatem Clavium in universam Ecclesiam pertinet. Ex jurisdictione qua Papa in totam Ecclesiam et Episcopos pollet, jus convocandi Concilia Generalia. Dr. Ignatius Beidtel in suo opere „Das kanonische Recht" ꝛc. deducit et argumentatur, quod Episcopi citra facultatem Pontificis non possint e Dioecesi longiori tempore abesse; ac quod invitatio ad Concilium praesupponat jus mandandi cui vel parendum, vel Dispensatio expetenda est; id autem necessarium haud esset, si alter ad Concilium invitaret. Dist. 17. Qualiter vero Roma suam hac in parte ad Episcopos correlationem consideret, e Bulla Convocationis ad Consilium Trid. de Anno 1542. edita patet: „Omnes, omnibus ex locis, tam v. fratres Nostros Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos et dilectos filios Abbates, quam alios quoscunque, quibus jure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi, et sententias in eis dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes, admonentes, ac

[1]) Commonitorium adversus haereses c. 23.

nihilominus eis in vi juris jurandi, quod nobis et huic sanctae sedi praestiterunt, ac sanctae virtute obedientiae, aliisque sub poenis jure aut consvetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri, aut proponi solitis, mandantes arcteque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte justo retineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per suos legitimos procuratores, et Nuntios, sacro huic Concilio omnino adesse et interesse debeant." Idipsum in antiqua jam Ecclesia Pontifices et Concilia formaliter statuerunt. Ita refert Socrates, Pontificem Julium I. Anno 342. enuntiasse, existere canonem, quod particulares Ecclesiae contra opinionem Romani Episcopi conclusa facere non audeant; seu quod idem significat, in Synodis communes Determinationes ferre non possint [1]). Legati autem Leonis I. Papae in Synodo Chalcedonensi 451. desiderarunt Patriarchae Alexandrini Dioscuri depositionem ea de causa, quod citra consensum Pontificis generale Concilium convocare praesumpserit. Leo Magnus praeterea repetitim enunciavit, Concilium Generale per Pontificem, aut eo consentiente convocari debere. Quod principium recognitum fuit in primo Nicaeno Generali Concilio; et in 5. Lateranensi Conc. Sess. XI. solemniter enunciatum.

Antiquis temporibus quidem evenit, Concilia Generalia per Imperatores, quorum imperium ad omnes fere Catholicae Ecclesiae partes extendebatur, indicta fuisse; caeterum id non ex competente quopiam jure factum est, ast consulere volebant religioni et Ecclesiae contra exortas haereses, enatas dissensiones; et auctoritate Conciliorum scandalis obviare, praestitis etiam, dum opus erat, necessariis sumptibus; ejusmodi autem convocationi Pontifices prompte tribuerunt assensum et legatos ad Concilia direxerunt,

[1]) Hist. eccl. II. 17.

atque modalitate hac de legitima convocatione caverunt. Ita Leone Papa inconsulto indicta fuit per Marcianum Imperatorem Synodus Chalcedonensis; interim Papa, ne optimo Caesaris consilio contravenire videatur, statim in convocationem consensit, et legatos qui praesideant, eorsum misit.

Ex his iam facile deducitur et id, in Conciliis Generalibus, Summo Pontifici, qua Primati universae Ecclesiae, Centro unitatis, B. Petri Successori, jus praesidendi competere, nec per eos, qui Primati jura duntaxat honoris tribuunt, unquam controversum. Quo jure sive per se, sive per Legatos praesidendi constanter usi sunt Summi Pontifices. Imperatores Orientis praesedisse Synodis Generalibus dici possunt eo sensu, quod sederint primo honorifico loco, et aperuerint Synodum, pertractationes tamen dirigebant Pontificis legati; quod ipsum historici clare evincunt. Imo Patres Chalcedonenses confessi sunt Leonem Papam sibi praefuisse, quemadmodum Caput Membris praeest. Sicut proinde Caput necessarium est ad vitam corporis, ita Papa necessarius est Concilio Oecumenico. Praeerat autem Leo Papa Concilio per Paschasimum et Lucentium Episcopos ac Bonifacium Presbyterum.

Ad Concilia Generalia, in quibus tota Ecclesia docens repraesentatur, convocari debent omnes Episcopi Dioecesani, qua Ordinarii Doctores et Pastores Ecclesiae; quibus ligandi et solvendi potestate ornatis, et ad regendam Ecclesiam Dei vocatis, ex *Institutione Divina* unice jus suffragii competit; prout in Concilio Hierosolymitano Apostoli jus definitivi voti de facto exercuerunt, aliis ex Populo praesentibus a decisione exclusis. E consvetudine, et privilegio praeter Episcopos vocantur cum jure Suffragii ad Concilium, Cardinales, et quasi Episcopali jurisdictione gaudentes minores Praelati, uti Abbates, Praepositi, et Religiosorum Ordinum Generales; hi omnes nominantur Patres Concilii. Praeterea intersunt Conciliis Presbyteri etiam et Diaconi speciali eruditione semet distingventes, qui Consultationes doctis dissertationibus promovent, et haereticos refutant. Hi dicuntur „Doctores Concilii." — Principes quoque Civiles vel in Persona, vel per Legatos adesse consveverunt, ut praesentia sua omnes in officio contineant, libertati, et securitati Concilii consulant, atque eorum effectum procurent, quae a Concilio sancita fuerunt. — Quod Episcopi ad Concilium comparere, aut ex sonticis causis a Pontifice veniam impetrare teneantur, ex natura rei, et clare e praemisso fragmento Bullae Convocationis ad Concilium Tridentum indictum patet, ubi diserte dicitur, ut in virtute S. obedientiae, et sub poenis in jure expressis, ipsimet, nisi forte justo retineantur inpedimento, certe per suos legitimos procuratores, et Nuncios interesse debeant. Vessenberg asserit, in Concilio Tridentino praeter Archi-Episcoporum Coloniensis, Trevirani, Moguntini, et Salisburgensis item Episcopi Herbipolitani, alios procuratores admissos non fuisse; [1]) interim assertum hoc non subsistit. Si enim Vessenberg intelligit praesentiam procuratorum, seu deputatorum in Concilio, hos ex Hispania, Gallia et aliis Regnis copiosos adfuisse, Historia Concilii Tridentini per Pallavicinum conscripta docet. Si autem de Suffragiis judicum loquitur, etiam a vero recedit. Quamvis enim quaestio haec iterato fuerit agitata, nunquam tamen optato pro Procuratoribus cum effectu, prout id videre est apud praelaudatum Pallavicinum, ubi haec habentur „revera semel fuisse latum judicis suffragium a Procuratore Archi-Episcopi Salisburgensis aetate Pii, sed ex errore; eaque revocatione postmodum ab ipso cognita, non amplius id ab eodem tentatum." [2]) lib. autem 21. c. 1.

---

[1]) Die großen Kirchenversammlungen. 1. 4. — [2]) l. 6. c. 2.; l. 18. c. 4; l. 20. c. 17.

n. 10. quaestio: „an Procuratoribus ex Jure deberetur in Synodo Judicum Suffragium? ubi non deberetur, an Consiliariorum? Num saltem locus in Generalibus Conventibus? — negative decisa, „De tribus— inquit—prioribus Articulis convenerunt ex jure communi pro parte negante.“ Si legitime convocatum sit Concilium, quotnam sub praesidio Primatis universae Ecclesiae praesentes esse debeant Episcopi, id nec praxis nec lex determinat. In Concilio Tridentino 1545° aliquo tempore decem duntaxat Episcopi collecti erant, successive numero eorum aucto. Ipsa nunc memorata Synodus Tridentina et Episcopi congregati jurium suorum conscii Sess. 24. cap. 21. de reform. declarant: „Cupiens S. Synodus, ut ex decretis *ab ea editis* nulla unquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa posita in decreto publicato, — Sess. 17 . . . quae proponentibus Legatis ac praesidentibus, ad horum temporum levandas calamitates . . . apta et idonea ipsi sanctae Synodo videbuntur, explicando declarat, mentis suae non fuisse, ut ex praedictis verbis solita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam, praeter id, quod a Sacris Canonibus, vel Generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur, vel detraheretur.“ Jam autem in Generalibus Synodis, nuspiam fuit determinatus Numerus Episcoporum quotnam requirantur, sed jam plures, iam pauciores intervenerunt. Occurrunt casus, quod in Conciliis in Oriente celebratis unicus Romanus Pontifex per Legatos, nullus autem Episcoporum Occidentis praesens fuerit; Concilia tamen haec pro Generalibus, Oecumenicis, semper recognoscebantur. Id certum est jure Divino competere Episcopis suffragium, quorum suffragiis voto Papae accedente, omnia decreta, et Sententiae Conciliorum vim et robur plenum obtinent. — Caeterum in Conciliis Oecumenicis praestituitur praevie ordo observandus; per

preces et religiosas Solemnitates, pro dignitate Actus animi praeparantur, atque precationes in toto Orbe Catholico instituendae disponuntur. In consessu Patres potissimum in forma Circuli locum capiunt, post quemvis autem Episcopum in ejus comitiva existens Presbyter sedet. In medio Reliquiae Sanctorum, S. Scriptura, Collectiones decretorum, et Canonum exponuntur. Usque Concilium Constantiense exclusive, votisatio singillative per capita instituebatur; in Concilio hoc, metu ne plures Praelati Italiae praepondium habeant, contra veterem morem, inducta est votisatio juxta quinque Nationes, utpote; Italicam; Gallicam; Germanicam; Anglicam; et Hispanicam. In Concilio vero Basiliensi, cujus Oecumenicitas in dubium trahitur, eo processum fuit, quod praesentes, semet in quatuor Deputationibus constituerint, nempe Fidei, Pacis, Reformationis, et communium objectorum. Quaelibet Deputatio sub proprio Praeside ter per septimanam Sessionem servavit, et si in conclusum quodpiam minimum tres Deputationes consenserunt, tale sub Praesidio Concilii in communi Sessione, qua Synodale Conclusum publicabatur. Basiliensis Concilii hunc Negotia Synodalia concludendi Modum, universae Ecclesiae Primati praejudiciosissimum esse, prima fronte patet; praeter alia quippe, Primas Ecclesiae, cui Praesidium, et praecipua Pars in Concilio competit, practice omni prorsus ad conclusa influxu privatus, unice pro conclusis publicandis ad Praesidium honoris restringitur quod Anti-Catholicum esse nemo negabit. Sed nec modus Suffragiorum Concilii Constantiensis, quem Nicolaus Joan. Cherier, in Enchiridio Juris Ecclesiastici tom. 1. pag. 199. defendit, sustineri potest. Nam Episcopi in Systemate Catholico non possunt considerari qua repraesentantes alicuius Nationis, aut Populi Christiani; verum stricte debent assumi qua Episcopi, Divina institutione Jurisdictionis attributo ornati. Dein praecitatum En-

chiridion supponit, ante Generale Concilium particulares Synodos clebrari debere quorum conclusa Episcopis ad Generale Concilium euntibus, pro norma serviant. Haec interim quod ad repraesentativum Systema ducant facile perspicitur. Episcopi ad Concilia singillative vocantur, et Deo suaeque Conscientiae responsabiles sunt; in hoc autem Systemate responsabiles forent particulari Concilio, a quo in ocurrentibus quaestionibus instructionem petere obligarentur taliter ad Classem Mandatariorum redigendi. Dein si Concilium quodpiam decursu plurium Annorum durare contingat, Consultationes ad multa objecta semet extendunt, semperne particulares Synodos celebrare oportebit, ut Episcopi in Concilio praesentes mentem suorum quasi Commitentium exploratam habeant? id quidem sicut impracticabile, ita in Consequentiis suis perniciosum foret. Ad Instructiones dandas Synodi particulares non consveverunt celebrari ante Concilium Generale, sed omnino celebranturterminato Generali Concilio scopo latos Canones et decreta promulgandi ac ad realem effectum deducendi.—Caeterum in Conciliis, ad debite elucubranda objecta possunt praeparatoriae Consultationes iniri; atque ita paratum objectum—quod in Concilio Tridentino usu venit — in Generali Sessione substernitur, et concluditur.

Demum ut legitimum, et Oecumenicum Concilium dici possit, necesse est illud per Summum Pontificem confirmari. „Uniuscujusque Synodi constitutum, — scribit Gelasius Papa — quod universalis Ecclesiae probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem prae caeteris oportet, quam primam, quae et unam quamque Synodum sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit." [1])Historia docet, Concilia quibus sive in toto, sive in parte Sedes Apostolica Confirmationem denegavit, per Catholicos aut totaliter, aut in parte illa in qua Confirmationem non

[1]) Epist. 13. ad Dardanos.

obtinuerunt, pro Oecumenicis non haberi, cujus manifestum praebent exemplum Concilia: Pisanum, Constantiense, Basiliense. — Concilii Tridentini Patres, jurium suorum, ut vel ex praeattactis colligitur, — secus tenacissimi, Sessione 25ª petunt a Romano Pontifice Confirmationem omnium, quae in S. Synodo hac decreta et definita sunt. — Alioquin ex illo principio, quod Concilium Generale sine Papa existere non possit, sequitur et id, interea donec Romanus Pontifex, Primas Ecclesiae, conclusa Concilii non acceptavit, et non confirmavit, Concilium pro Oecumenico haberi non posse. Caeterum Concilia Generalia supremae in Ecclesia Catholica Auctoritatis esse, post plurimos Patres docet Gregorius Magnus Papa Epist. ad Joan Episc. Constant. „Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, et venerari me fateor: Nicaenum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense; quia in his velut. quadrato lapide, Sanctae fidei structura consurgit; et cujuslibet vitae et Actionis existat, quisquis eorum Soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, extra aedificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror. — Cunctas quas praefata Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere, quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit anathema sit." [1]) Synodis Generalibus unice, et non aliis particularibus competit Elogium. *Sancta Synodus, vel Sanctum Concilium.*

Nota. In Synodo Nicaena 1ª Constantinus qua Praeses non potest considerari, quia teste Sozom. hist. eclest. l. 19. ad Synodum tardius comparuit, adeoque Synodus debebat jam tunc habere Praesidem. Dein quia juxta Socrat. hist. ecclesiast.

[1]) Dist. 15. c. 2.

1. 8. ad Synodum comparens, ex reverentia erga congregatos, non prius consedit, quam nutum Episcoporum accepisset. Dum querulosa scripta Episcoporum mutuo se accusantium eidem exhibita fuissent, illa comburi jussit declarando: inconveniens esse, ut Is de Presbyteris judicium ferat. Finaliter dicit Eusebius vita Const. 3. 13. Imperatorem finito sermone, Praesidibus vocem reliquisse. Quae omnia denotant Constantinum Imperatorem, esto magnum influxum in hocce Concilium exeruerit, Praesidium tamen stricte dictum, eundem neutiquam gessisse.

Nota. Canonista Joannes Devotus lib. 1. pag. 30. haec habet: Tridentini Patres, cum hanc in Romano Pontifice Auctoritatem manifesto deprehenderent, dederunt operam, ut quae in Concilio decreta fuerant, a Pio VI. confirmarentur. Pontifex igitur Concilii decreta confirmat, atque iis etiam recte derogat, quod imprimis fit saepissime in impedimento Cognationis intra quartum gradum, quod est inductum a Concilio Lateranensi IV.

Nota. De Concilio Basiliensi memorabilis est locus ex Pii PP. II. Comment. Lib. VI. Francof. 1614 p. 159. „At durante divisione, — ait Pius II. — et sedente Concilio, cum Auctoritas quae quondam Episcoporum suevit esse, non Abbatibus tantum, sed Praepositis, Prioribus, canonicis, simplicibus presbyteris et vilibus Monachis communicaretur, multa illic Decreta praeter bonum et aequum edita sunt ad enervandam Romanae primaevae Sedis eminentiam, sicut in multitudine consuevit, quae semper inimica principi popularem asserit libertatem. Aderant ex Gallia, Germaniaque multi inferioris gradus homines ecclesiastici, qui cum non potuissent culpa sua in Romana Curia crescere, eo se contulerant, atque ingentibus odiis Apostolicam Sedem prosequebantur. Aderant et nonnulli Episcopi propter scelera suis ejecti sedibus: qui duces plebis in Concilio facti, condendarum legum auctores fuere, ea suadentes quae maxime grata multitudini viderentur, et Romani Pontificis potestatem, dignitatemque restringerent." Kirchenrecht von Georg Philipps. 4. Band, pag. 452.

Pius PP. II. Anno 1458 Pontificatum conscendens, sub nomine gentilitio quod gerebat, Aeneae Sylvii Piccolomini notus, dum in minoribus constitueretur, Concilio Basiliensi intererat, qua occulatus proinde testis rite novit, e qualibus elementis Concilium conflatum fuerit. In Concilio hoc, caracteris et vitae intaminatae Eugenius PP. IV. injuriosis et illegalibus postulatis subscribere renuens, contra omne fas et nefas depositus, ac loco illius Princeps Sabaudiae Amadeus, qui nomen Felicis V. assumpsit, electus est; nunquam tamen per Ecclesiam pro tali recognitus.

§. 74. De Concilio Tridentino.

Inter Concilia Generalia postremum erat Concilium Tridentinum, quod per Paulum III. Papam indictum, die 13. Decembris 1545 initium cepit; dein 1548 prorogatum, sub Julio III. 1ª Maji 1551 reassumtum, duravit usque Mensem Aprilem 1552; hoc enim tempore per proditionem Electoris Saxoniae Mauritii, fiducia et benevolentia Caroli V. Imperat. abusi, inito cum Gallia, et Statibus Protestanticis foedere, bello contra Austriam, et Status Catholicos Germaniae excitato interrumpi debebat, et primum post effluxum fere Annorum 10. seu 18ª Januar. 1562 reassumi poterat, 4ª Decembris 1563 solemniter terminatum; subscribentibus illud 270 Praelatis, e qui-

bus erant: 4 Cardinales Legati, 2 alii Cardinales, 3 Patriarchae, 25 Archi-Episcopi, et residui Episcopi. Subscripserunt insuper: 7 Abbates, et quidem 1 Clarevallensis; 4 Congregationis de monte Cassino, 1 Cluniacensis, et 1 Villabertrandensis ex Hispania; demum 7 Generales Ordinum Regularium. Est autem Concilium Tridentinum illud, quo nullum e praecedaneis Conciliis sedulitate in rebus discutiendis accuratius, nullum tam magnis encomiis ab ipsis inimicis vel invitis celebratum, et nunc quoque per ipsos eruditos Protestantes in respectu habitum; plurimas, Ecclesiae Catholicae, et toti Christianitati saluberrimas, ac maxima maturitate deliberatas Constitutiones tum Articulos Fidei, tum morum reformationem concernentes complectitur; dicique merito possit copiosissima penus, promptuarium uberrimum, et ditissimus thesaurus eorum, quae ad fidem et Sacram disciplinam pertinent. Certe si conferatur utriusque temporis nimirum ante et post Concilium hocce Sacrarum functionum dignitas, ecclesiastici ritus coordinatio et observatio, cultus et decor in templis, circa ea quae ad impedimenta et Matrimonio assistentiam pertinent dispositio, licentiae omnis generis compressio, leges de residentia, disciplina Cleri, sublatum in puniendo Clero arbitrium, jurium et officiorum quibus Clerus obstringitur circumscriptio, aetas, doctrina, virtus in ordinandis, ac denique pietas quae inde in populum diffunditur; si inquam omnia haec considerentur, innegabile est, a nullo unquam Conventu tantum utilitatis et beneficii in Moralem hominum Statum dimanasse. Atque ideo, jure merito illud legitimum et Oecumenicum „ab omnibus Orthodoxis habendum, colendum, et suscipiendum esse“, praeter alios, solida scientia ostendit in hist. Ecclesiast. Natalis Alexander. Concilium Tridentinum legum feracissimum, absolvitur Sessionibus 25, et continet enucleationem singularium Dogmatum, Canones adversus haereticos

et novatores latos, item decreta disciplinam Ecclesiasticam concernentia. Plurimae autem Sessiones habent sic dictum: „Decretum de reformatione. Sessio 24, post canones de Sacramento Matrimonii latos, continet decretum de reform. Matrimonii in decem Capita divisum; tum aliud de reformatione generatim, e 21° capite consistens. Sessio 25ª praeter alia reformationis capita complectitur decretum „de Regularibus et Monialibus“ quod in 22° capita dispescitur. — Quoad Articulos fidei est infallibilis Auctoritatis, et ab omnibus Christianis ubique recipi et constanter retineri debet. Quoad decreta et reformationes, pollet Auctoritate legali, et jus novissimum constituit. Unde id quod per nonnullos dici solet, Concilii quippe hujus partem eam quae ad Dogmata et fidem pertinet, ubique locorum acceptari debuisse, ast Decreta unice a receptione vim suam habere; de facto verum est, interim fundamento destituti, et ex politicis finibus procedentes obtutus, juri communi praejudicare nequeunt; ac ubi non receptum dicitur, quaestio est, an tali loco fuerit aliquando debite promulgatum; et an non receptio potius corruptela vocari non debeat, quam jus?

Postquam Concilium isthoc per Pium IV. confirmatum, et obligativa ejus vis solemniter decreta fuisset; conclusa illius, Catholici Status Europae uti Portugallia; — Respublica Veneta, ubi Decreta Concilii Tridentini in Basilica S. Marci sub Missarum Solemniis publicata fuerunt; tum Hispania, Belgium, Polonia etc. absque restrictione acceptarunt. Maximilianus II. Imp. promulgavit illa in suis Statibus 1564, et reliqui Germaniae Catholici Status eadem in comitiis Imperialibus 1566. Augustae asservatis receperunt. Synodi Provinciales laudabili emulatione ducebantur, in promulgando, et in effectum deducendo Concilio Tridentino, singulari exemplo praelucente Cardinali S. Carolo Boromaeo, Mediolanensium Archi-

Praesule. — In Gallia propter Hugonottas receptioni Decretorum disciplinarium impedimenta ponebantur; verum et haec per Episcopos in data Anno 1615. declaratione, semet ad eadem acceptanda in Conscientia obstrictos, enunciantes, publicata, ibidem vim legis nacta fuerunt. Definitionibus Concilii hujus innixa sunt Concordata, cum Sede Apostolica inita.

Quoad Hungariam notanda veniunt sequentia: e Regno hoc praesentes erant in Concilio Tridentino Georgius Draskovits Quinqueecclesiensis Episcopus secus etiam qua Ferdinandi I' pro Hungaria Legatus, et Orator. Joannes Kolosvary antea Dominicanus Csanadiensis et Andreas Dudits Tinniniensis Episcopi. Posteriores hi duo in Synodo Tyrnaviae 1561, sub Nicolao Olaho Archi-Episcopo Strigoniensi celebrata electi; ubi et repartitio Sumptuum inter Episcopos, Abbates, et Praepositos habetur [1]). Quare autem plures non interfuerint explicat historia ex vicissitudinibus illorum temporum. Causas Duditsius in Oratione VIII. Idus Aprilis 1562. habita recenset; Turcarum nempe incursiones; Lutheri Doctrinae propagationem; fractas plurium Episcoporum vires; et exhaustam ac tenuem eorum rem familiarem. — Objicitur passim Decreta Concilii Tridentini in Hungaria nunquam fuisse publicata, quamvis publicationem ubiquequam fuisse publicata, quamvis publicationem ubique terrarum institui Pius IV. Papa praeceperit. Interim cum certum sit Anno 1564. per Nicolaum Olahum Archi-Episcopum Strigoniensem et Primatem Regni, Synodum Tyrnaviae celebratam fuisse; esto Acta ejus nuspiam reperiantur; verosimile tamen est in hacce Synodo publicationem Decretorum Tridentinorum institutam esse; cum serius celebratae Synodi ad Decreta Tridentina, tamquam publicata provocent. Ita in Synodo Tyrnaviensi 1611. sub Cardinale Fran-

[1]) Péterfy Concilia t. 2. pag. 133. — Episcopus Nitriensis concurrit in aureis 66; Capitulum Nitr. in aureis 8.

cisco Forgách Archi-Episcopo Strigoniensi celebrata, nihil quoad essentialia constituitur, quod praeter Decreta Synodi Tridentinae fuisset, facta crebro Concilii hujus Mentione, imo eo addito hoc aut illud in Concilio Tridentino esse decisum [1]). Dein in Synodo Nationali 1653. sub Cardinale Primate Petro Pázmán et alia 1648. sub Primate Georgio Lippai utraque Tyrnaviae asservata, ut Decreta Concilii Trid. religiosissime observentur, et in occursuris casibus adplicentur inculcatum; manifesto Argumento, illa esto tempus promulgationis doceri non possit, publicata fuisse, et in usum ut oportebat abivisse. Pro Concilio hoc zelabant Status Regni Hungariae; in Comitiis quippe 1548' Art. 13. „Supplicant Ordines et Status Regiae Majestati, Domino eorum Clementissimo, ut tam sua quam S. Majestatis Casareae Auctoritate agat apud SS. Dominum Nostrum, quo Sanctitas sua Generale Concilium, pro complanandis omnibus differentiis, variisque Opinionibus de religione, sine diuturniori mora celebrare dignetur.“ Hic de Concilio Tridentino, morte Pauli III. interrupto Sermonem esse, dubio caret. — Item in Comitiis 1550. celebratis Articulo 16° decernitur, Episcopis, et Religionis Ministris quoad ea, quae Deum et Religionem respiciunt, obedientiam praestandam venire; ea vero quae in disputationem vocari possent, Concilio (Tridentino) dirimenda relinqui oportere; *interim autem veteribus S. Ecclesiae Catholicae institutis innitendum esse,* neque quocunque demum sub praetextu ab iisdem desistendum fore. Postquam 1563° Concilium Tridentinum definitum fuisset; plura ad normam Decretorum Concilii hujus, in Comitiis constituta sunt, quod ipsum clare demonstrant Articuli 102, 1647; 60,1715' et alii complures indubitatum reddentes, Decreta Concilii Trid. in Hungaria semper legis vigorem habuisse. — Haec de Con-

[1]) Ib. pag. 200. et seqq.

cilio Tridentino in specie attingenda erant propterea, quod usus illius sive in Judiciis, sive in Statutis condendis sit amplissimus; et cum in Jure Ecclesiastico saepius ad illud provocatio fieri debeat, operae pretium videbatur quaepiam de eo hic adnotare.

Historiam Concilii hujus primus conscripsit Frater Paulus Sarpi ex Ordine Servitarum, Vir ingenii quidem facilis, sed ad suspiciones excitandas, turbas fovendas et ciendas proni; una tamen potestatis Ecclesiasticae osor, et accerrimus impugnator. Opus hoc tradidit Apostatae Archi-Episcopo Spalatensi Marco Antonio de Dominis, per hunc 1619. Londini, sub nomine Petri Svavis Poloni, Italica lingva, typis vulgatum; praemissa dedicatione Regi Britanniae Jacobo, a sacris Catholicis alieno. — Huic opposita est, vera Oecumenici Concilii Tridentini Historia, quam ex originalibus fontibus concinnavit P. Sfortia Pallavicini S. J. dein Cardinalis; et edidit 1656. aeque lingva Italica; in latinum per P. Joannem B. Giattini Panormitanum ejusdem Societatis Jesu Sacerdotem, translata primum 1670, publicae luci donata.

§. 75. De Conciliis Nationalibus et Provincialibus.

Inter particularia Concilia primum locum sibi vindicant Synodi Nationales, ad quas sub Praesidio Patriarchae aut Primatis, unius Regni Archi-Episcopi, et Episcopi conveniunt. Synodos Nationales jus convocandi competit Regni cujuspiam Ecclesiastico Capiti, Patriarchae, vel Primati. — A Conciliis Nationalibus probe distingvenda sunt Concilia Mixta, ad quae Status Ecclesiasticus et Saecularis fine pertractandorum ecclesiasticorum et Civilium Negotiorum convocabatur. Frequentissima idmodi Concilia occurrunt in Gallia; ad quorum Normam in Hungaria quoque sub primis Regibus signanter S. Stephano, S. Ladislao; Colomano, Synodi Mixtae celebrabantur, et

harum conclusa vim legis obtinuerunt, nomine legum insignita, ac Corpori juris inserta. Synodi Nationales in Hungaria per Primates Regni non infrequenter convocabantur; convocationi huic faventibus etiam Patriae legibus, signanter Art. 41, 1559, ubi haec habentur: „Statutum est praeterea, quod juxta Constitutiones Superioris Conventus, Anni 1557, et etiam aliorum, Domini Praelati — — Synodos celebrent: — — 1. ac tempore Synodi, vel convocationis Generalis sive particularis, teneantur omnes Plebani et Presbyteri qualescunque pro accipienda salutari Doctrina sine omni renitentia convenire.“ — Temporibus his et ex post signanter in vim Decretorum S. Concilii Tridentini plures Nationales, Provinciales et Dioecesanas Synodos in Hungaria celebratas fuisse, contextus illarum Synodorum, quas P. Carolus Péterfy, e S. J. collegit extra dubium locat. — Post praelaudatam Regni Diaetam, mox 1561° Tyrnaviae Synodus asservata fuit, convocante Nicolao Olaho Archi-Episcopo Strigoniensi, Primate Regni, qui una Archi-Episcopatum Colocensem ab obitu Francisci Frangepan fere viginti annis vacantem, moderabatur. Synodus quidem haec nominatur apud Péterfy Dioecesano-Provincalis; verum hic per Dioecesim intelligitur, — quod eotum usu venit, — Regio, Districtus, ad unius Patriarchae, vel Primatis Jurisdictionem spectans. Sub Petro Pázmán praeter alias Synodos, Nationalis bina celebrata fuit 1630, et 1633. Praeterea in Collectione Péterfyana ocurrit mentio. Synodi Nationalis sub Georgio Lippay Primate et Archi-Episcopo 1648. asservatae; cujus Acta ad praesens typis non sunt vulgata. Synodus Anno 1638. per Emericum Lósy Primatem et Archi-Episcopum Strigoniensem convocata, quam Péterfy Provincialem appellat, erat Nationalis; nam in Actis secundae diei continetur, quod absentis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Colocensis; item Reve-

rendissimi Domini Episcopi Zagrabiensis excusatoriae perlectae sint; dein in calce inter subscriptos comparet Episcopus Varadinensis et Transylvaniensis; quos Decessor Emerici Lósy Cardinalis Pázmanus, apud eundem Péterfy tomo 2. pag. 266, inter suffraganeos Archi-Episcopi Strigoniensis non numerat. — Demum ibidem describitur Synodus Nationalis, quam Primas et Archi-Episcopus Georgius Szelepchényi 1682. indixit.

§. 76. De Concilio Nationali Posoniensi: sphaera item Conciliorum Nationalium.

A temporibus his celebratae Nationalis Synodi, nullum deinceps vestigium occurrit usque ad Annum 1822, quo Synodus Nationalis Posonium collecta fuit, de qua in Compendio sequentia adnotare juvat. — Postquam irreligiositas et immoralitas torrentis instar propagaretur; Regnorum suorum saluti intenta Francisci I[i] Imperatoris et Regis sollicitudo, eo omnimode connitebatur, ut in dies magis et magis invalescenti morum corruptelae efficaciter obvietur, atque prisca apud Clerum et populum, ac contagione mali infectam ipsam Scholasticam juventutem, disciplina revehatur. In horum itaque malorum fontes indagandi, et qualiter corruptelae obviandum sit, remedia proponendi, provinciam commisit Archi-Episcopo Agriensi; et Episcopis Veszprimiensi, ac Albensi, — qui posterior sucessu temporis e Cathedra Magno-Varadiensi, Nitriam translatus erat, — Josepho Vurum, Viro ingenii praeclari, judicii experientia rerum defaecati et animi integerrimi. Quorum una congregatorum ea concors fuit sententia, „rem tanti momenti, omnibus Dioecesibus communem, communi omnium Praesulum in unum cogendorum opera, communibusque Consiliis tractandam esse." Interea Alexandro Rudnay ex Episcopo Transylvaniensi, ad Principem Dignitatem Primatis, et Archi-Episcopi Strigoniensis evecto, dum in eodem merito sensa Illius deposcerentur, Idem prompto animo celebrandae Synodi Nationalis idaeam complexus est. Factae hoc in merito Alba-Carolina dd[o] 4[ae] Novembris 1819. Repraesentationis, nonnulla ponderosa momenta isthic subnectuntur: „———Si recta ratio svadet, ipsaque rei indoles exposcit, ad priscam Fidem Pietatemque, morum disciplinam restaurandam prisca a Patribus tradita, longo saeculorum usu probata, ac confirmata adhibenda esse remedia: nullum profecto malis, quibuscum conflictamur a cervicibus nostris depellendis medium opportunius cogitari potest Synodo Nationali, id est: Conventu totius Regni Episcoporum, qui et vulnera longe lateque serpentia facilius detegere, ac causis eorum remotis, fontibusque obstructis, salutarem in curandis adferre valeant medicinam. — Haec fuit sive nutantis disciplinae firmandae, sive collapsae erigendae Patribus Nostris inde ab incunabulis Regni usitata Methodus. Hac potissimum peregrini, atque a Sacratissimis Institutis devii mores, qui in Gregem Dominicum, atque in ipsos Gregis Arietes irrepserant, retundebantur. Hac Methodo Vigor, Sanctitas, publica existimatio Ordini Sacerdotali conciliabatur." *Recensentur nonnullae Synodi Nationales in Hungaria asservatae, et subjungitur:* „quae eo Successu, eoque Ecclesiae Hungaricae emolumento celebratae fuerunt, ut invalescentem successivis temporibus Morum corruptelam, intermissae Synodorum Nationalium celebrationi, tamquam unicae, aut saltem praecipuae causae adscribendam putem. Habent enim Synodi Nationales prae aliis particularibus quibuscunque sanctionibus id commodi, quod earum vigor atque Auctoritas, non tantum in fidelem Populum, aut inferioris Ordinis Clericos, sed in Episcopos etiam se exerat, qui si vitio naturae humanae forte a recto tramite deflexerint, aliorum Confratrum salutaribus monitis, ac exemplis, gravibusque Constitutionibus

edendis, in viam ac officium revocari valeant; in quorum deinde vitam, ad Canones Synodales exactam, tamquam in speculum secundi Ordinis Sacerdotes, aliique Clerici intuentes, id omni virium contentione agant, ut praeteritae vitae sordibus desertis, fiant forma Gregis sibi crediti ex animo, parent Domino plebem perfectam, Populumque suae Curae commissum verbo non minus atque exemplo Principi Pastorum acceptabilem, et sectatorem bonorum operum efficiant." *Exponuntur tractanda in Synodo et concluditur:* „Quae omnia cum sint ejusmodi, ut mutuis Episcoporum Consiliis, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, facillime discuti, ac tutissime determinari possint ac debeant: Majestatem Vestram Sacratissimam homagiali devotione oro, atque obtestor: ut mihi . . . . postquam Regni Hungariae Primatis munus auspicatus fuero, Synodi Nationalis indicendae, omniumque ad Sacram Coronam Regni Hungariae pertinentium Episcoporum, Praepositorum, item Capitularium Antistitum, Religiosarum Familiarum, utpote Benedictinorum, Praemonstratensium, Cistercitarum, Provincialium item Piaristarum, Dominicanorum, Carmelitarum, Minoritarum, Franciscanorum et Capucinorum, convocandorum, quantum ad Reipublicae rationes spectat, potestatem facere dignetur. Nihil est, quod a Sacro hoc Conventu Respublica metuat, est potius quod de praeclaris inde promanaturis emolumentis sibi blandiatur. . . . Nihil agemus, quod non praedicetur super Tecta, totumque opus Deo propitio absolvendum B. Majestatis Vestrae Sacratissimae obtutui ea cum filiali fiducia substernemus, ut qui Ecclesiam fortasse in hac temporum iniquitate non audierint, Regia Auctoritate ad Officium redigantur."

Postquam Regiae Majestatis die 23ª Martii 1821. Decretum emanasset, Primas Regni eodem cum Universis Episcopis, et ad quos pertinebat communicato, una provocavit, ut pertractanda in Synodo Nationali Negotia, praevie Domi tum privatim, tum in Synodis Dioecesanis discutiantur, et Acta Synodalia eidem tempestive submittantur. — Praeliminaribus omnibus etiam circa hospitia, vecturas, et quoad posteriora quidem interventu Cancellariae Regiae, superatis, dimisso die 1ª Junii 1822. Indictionis Decreto, Dominis Archi-Episcopis, Episcopis, Vicariis Capitularibus, Abbatibus, Praepositis, Metropolitanarum item, Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum Capitulis, Religiosarum Familiarum Praepositis-, Prioribus-, ac Ministris-Provincialibus ad Sacram Regni Hungariae Coronam pertinentibus, omnibus denique, ad quos praesentes Nostrae specialiter pertigerint, qui utpote Jure Primatiae, et Legationis S. Sedis Apostolicae per Nos, ad Synodum Nationalem convocari possunt, ac debant——" sonante, praelaudata Synodus pro Dominica 15ª post Pentecosten, in diem 8ªm Septembris incidente 1822. convocata fuit, sequentibus punctis in pertractationem assumendis:

„1° De Mediis revehendae collapsae Moralitatis, signanter de disciplina Cleri saecularis et regularis, ipsiusque studiosae juventutis restauranda.

2° De doctrinae non secus ac Methodi uniformitate in Lycaeis Episcopalibus ubique introducenda.

3° De litibus inter Professores Theologiae in Regia Universitate vigentibus, componendis.

4° De Statutis religiosorum Ordinum, ad praesentem Ecclesiae Statum accomodandis.

5° De nova Bibliorum hungaricorum versionis Káldianae optima quaque ratione, adornanda editione.

6° De ampliori fundo Instituti Viennensis sublimioris Presbyterorum Educationis, ad rationem decem Hungarorum Presbyterorum conflando.

7° De Missarum olim penes abolitos religiosos Ordines fundatarum, cum ingenti Fundi Religionis

iniquitate temporum exhausti non secus, ac Curati Cleri onere, conjunctarum reductione.

8° De Sedium Spiritualium, ac judiciorum ecclesiasticorum uniformi, et ad finem magis exacta, salvis caeteroquin eatenus Patriae legibus, coordinatione."

In Synodo hac primum *Deputationes* fuerunt ordinatae ad elaboranda singula objecta, cujuslibet autem Operatum in Generali Sessione referebatur et pertractabatur. Per tempus quinque Septimanarum duravit, et conclusa Suae Majestati substrata fuerunt. Quamvis vero Acta Synodi hujus, per extensum publice vulgata non fuerint, complura tamen ibidem Statuta, jam per Praesules, jam etiam via Dicasteriali, effectum sortita sunt.

Binae Quaestiones a longo imo immemoriali tempore vertuntur inter Archi-Episcopum Strigoniensem, qua tamen Regni Primatem ac Legatum Natum, et inter Archi-Episcopum Colocensem. Prima concernit Processus a Metropolitano Foro Colocensi, ad Forum Primatiale, quorsum e Foro Metropolitano Agriensi in via graduali deducuntur, appellandos. Quod quidem relate ad ipsam Archi-Dioecesim Colocensem in eo est anomalum; quia Causantes ejates nisi duo Fora habent; ipsum quippe Metropolitanum, qua Forum primae instantiae, et aliud Forum Pontificium. Cum interim diuturna sit haec Consvetudo, Privilegiis Pontificiis lapsu temporis pereuntibus; et ut recte monuit S. Augustinus epist. 54. ad Januarium: „*Ipsa Mutatio consvetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat*", immemoriales praeterea Consvetudines Ecclesiarum, Concilium Tridentinum pluribus Decretis salvas enuntiat; accedente huc legitima Praescriptione; quaestio haec non secus quam Altissimae Ecclesiasticae Jurisdictionis interventu decidi potest, eo magis, quod Consvetudo haec, ejusdem supremae Auctoritatis, Sedis quippe Apostolicae, Appellationes

idmodi ad se deductas, semper ad praesens usque acceptantis, facto probata sit.

Alia quaestio, quae magis ad hunc tractatum pertinet, concernit Jus Archi-Episcopi Strigoniensis, qua Regni Primatis et Legati Nati, Metropolitam Colocensem ejusque Suffraganeos ad Nationalem Synodum obligative cogendi. In tota retro antiquitate Archi-Episcoporum Colocensium ad Synodum Nationalem Convocationis et comparitionis duo dumtaxat casus ocurrunt, nempe: sub Francisco Forgách Cardinale, qui ad celebratam 1611. Synodum Nationalem, Archi-Episcopum Colocensem evocavit; relate ad quem Péterfy tomo 2. pag. 202. ex Actis Synodi sequentia desumpsit: „Reverendissimus Dominus Demetrius Napragi Archi-Episcopus Colocensis, Administrator Ecclesiae Jaurinensis, coram Synodo solemniter protestatus est: se quidem quatenus Jaurinensi Ecclesiae praeest, Concilio huic Provinciali ad Mandatum Illustrissimi Cardinalis Metropolitani sui interfuisse, velleque legibus ac praeceptis Synodi, eos, qui ad Ecclesiam Jaurinensem spectant, subjectos esse: quatenus tamen Archi-Episcopali Dignitate fulget, se suosque Suffraganeos, ad petitionem Illustrissimi Cardinalis ad Synodum Provincialem accessisse: nec eo facto sibi, suisque successoribus ac Suffraganeis quidquam praejudicare velle. . . . Illustrissimus quoque Cardinalis Archi-Episcopus Strigoniensis declaravit: Salvis per omnia juribus Archi-Episcopatus Strigoniensis Reverendissimum Archi-Episcopum Colocensem, ac ipsius Suffraganeos ad hoc Concilium, Suam Illustrissimam Dominationem rogando, non jubendo ita convocasse, ut nullum hac in parte praejudicium Colocensi Archi-Episcopatui creare intenderit." — Alter casus occurrit in Synodo 1630. per Petrum Pazmany convocata; verum et hic protestatione usus est Joannes Telegdy, Archi-Episcopus Colocensis, et Administrator Nitriensis Ecclesiae; de hoc in

Memoria Episcopatus Nitriensis per Josephum Vurum Episcopum typis vulgata pag. 355. sequentia notantur: „Quum Anno 1630. a Pazmano Tyrnaviae Synodus celebraretur Telegdius, ad eam vocatus comparuit, verum cum omni lenitate et mansvetudine declaravit, se quidem ad praesentem Synodum celebrandam ab Illustrissimo Domino Cardinali invitatum convenisse: nihilominus de praerogativa sua Archi-Episcopali, quam sibi, Successoribusque suis conservatam vellet, eandem facere intendere protestationem, quam Praedecessor illius Demetrius Napragi Archi-Episcopus Colocensis in Actis Synodi Provincalis Anno 1611. celebratae fecerat. Sed productis ab Archi-Episcpo Strigoniensi rationum momentis, iisque per delegatos Episcopos examinatis, quum constaret Illustrissimum Dominum Cardinalem non Archi-Episcopatus, sed Primatiae jure dictum Dominum Archi-Episcopum Colocensem, quam Suffraganeos ejusdem ad Synodum convocare potuisse, id ipsum visum est Synodo, cui etiam tandem Illustris. Dominus Colocensis aquievit ac omni deinceps protestatione supersedit. In Synodo nihilominus quam Anno 1638° 13ª Junii Emericus Lósy post Pazmanum ad Metropolim Strigoniensem translatus, celebraverat, Telegdius non comparuit. Archi-Episcopus Lósy ut in Actis refertur, interrogavit Synodum, an Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Colocensis Archi-Episcopi adducta aegritudinis ac aetatis senilis ratio, sit sufficiens excusatio absentiae? ruminata re, decrevit eadem Synodus, „rationem quidem aegritudinis, si ea subsitat, ac aetatis senilis sufficiens pondus habere; vicinitas tamen loci videbatur: ocasionem veniendi praebere potuisse. Nec enim inter Nitriam et Tyrnaviam majus, quam dimidiae diei spatium intercessit, nec ille plures quam 64 Annos habuit."

In Synodo Posoniensi leniori, ac factae praeparationes portendebant, modalitate quaestio haec est superata. Primas quippe et Archi-Episcopus mox in prima publica Sessione declaravit: se gaudere Corona hac Dominorum Episcoporum, et aliorum convocatorum, peculiari tamen imprimis Solatio sibi esse, quod in Synodo videat Dominum Archi-Episcopum Colocensem, qui postpositis omnibus Anterioribus controversiis, Synodo huic interesse voluit; se proinde declarare, quod per factum hocce, salvis Juribus Archi-Episcopatus Strigoniensis, nullum praejudicium Ecclesiae Colocensi ac Suffraganeorum Juribus, pro praesenti, aut futuro enatum sit. Quam Declarationem Arhi-Episcopus Colocensis, salvis suis juribus cum Gratiarum Actione excipiendo; a remedio juris sustentativo, protestatione quippe praescidit. Ad integritatem horum addendum venit et id, quod Péterfy P. 2. pag. 35. memorat: Dum quippe Nicolaus Olahus Archi-Episcopus Strigoniensis, in consultatione die 2ª Decembris 1559. asservata, Episcoporum Consilia de indicenda Synodo expetiisset, Paulus Abstemius Episcopus Transylvaniensis, et electus in Commendam Episcopatus Nitriensis, praehabita Solemni protestatione declaravit, se non locuturum ad Propositionem Archi-Episcopi Strigoniensis tamquam Episcopum Transylvaniensem, sed dumtaxat, ut electus seu nominatus in Commendam Episcopatus Nitriensis; volens hac ratione Metropolitae Colocensis Jura servare intacta. Quaestionis hujus decisionem ad Sedem Apostolicam pertinere, innuit ipse Pazmanus Archi-Episcopus, dum occasione praeattactae Controversiae declarat se paratum fore ad totam hanc rem Sedis Apostolicae Judicio submittendam; Telegdio interim deinceps a protestatione desistente, ab omni ultro passu supersessum est.

De caetero esto Synodus Nationalis magnae sit Auctoritatis; sphaera tamen agendorum illius est limitata. Objectum quippe discussionis ad mutationem instituendam nequeunt esse non tantum Articuli Do-

gmatici, sed nec Disciplina quatenus universam Ecclesiam respicit, uti Abstinentia, Jejunium, Coelibatus Clericorum, universaliter vigentes ritus liturgici et plura alia. Inferior enim de lege Superioris non judicat; et per quas causas quid nascitur, per easdem dissolvi debet. Hinc etiam est, quod lex in Synodo Nationali contra commune jus lata non obligat. Secus autem, intra sphaeram Activitatis in Synodo Nationali latae et debite promulgatae legi, quilibet Regni illius sive Clericus, sive laicus, in conscientia obsequium praestare tenetur, et quidem sub reatu peccati.

Juri ad Synodum convocandi, correlata est obligatio comparendi. Unde ii Praelati, et inferioris etiam Ordinis, ac Officii Clerici, qui de Jure et Consvetudine ad Synodum Nationalem vocantur, inomisse convenire debent, nisi aut per grandem aetatem, aut corporis infirmitatem excusentur; quo in casu, absentiae Motiva scripto deducenda, et si notoria non sunt, documentis comprobanda ac Praesidi substernenda veniunt; sine cujus annutu, praesentes etiam Synodum ante plenariam conclusionem deserere non audent. — In Synodo Nationali Votum decisivum de jure competit omnibus Episcopis Dioecesanis; Vicariis Capitularibus, et aliis Praelatis Jurisdictione externa gaudentibus; caeteri Clerici, qui ob singularem eruditionem, experientiam, aut tractandorum Negotiorum habilitatem convocantur, consultationes Synodales promovent, munere Officialium in Synodo funguntur, ast voto decisivo non gaudent. — Demum Acta Synodi Nationalis ante promulgationem S. Sedi Apostolicae subjiciuntur, quae eadem Congregationi Concilii tradit, per hanc expendenda et recognoscenda. Acta celeberrimae Nationalis Synodi, — cujus jam supra mentio injecta est, — Anno 1560. sub Primate Nicolao Olaho convocatae Sedi Apostolicae substrata fuisse, conclusio innuere videtur, ubi sequentia continentur: „Haec vero praemissa omnia et singula per

Nos Statuta judicio Sanctae Romanae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae, cujus Auctoritatem in omnibus integram observari volumus, debita cum reverentia, et obedientia, humiliter submittimus.“ Péterfy tomo 2. pag. 127.

Synodi Nationalis ad emendandos mores, disciplinam alacriter et strenue observandam influxum, ac ejusdem relate ad Ecclesiam non minus quam Civitatem ingens emolumentum, praeattacta Primatis et Archi-Episcopi repraesentatio, brevibus, sufficienter tamen adumbrat.

Nota. In foederatis Statibus Americae Septemtrionalis celebratum 1849. Concilium Provinciale, repraesentavit Summo Pontifici utilitatem Auctoritate Sedis Apostolicae asservandi Concilii Nationalis. Pius IX. annuit precibus, et cum in foederatis Statibus, nec Primas, nec Pontificius Legatus existat, Archi-Episcopum Baltimorensem potestate instruxit Nationale Concilium convocandi, et huic qua Deleg. Sedis Apostolicae praesidendi. Pro 9ª Maji 1853. indictum fuit Concilium hoc cui 6 Archi-Episcopi; 27 Episcopi; 12 Superiores Ordinum religiosorum; 42 Theologi, et incirca 100 alii Presbyteri intererant; numero certe tali, qualis a temporibus asservati Concilii Tridentini non occurrit; omnes per Catholicas Familias Baltimore hospitio prompte excepti. 8ª Maji dato in universis Ecclesiis Campanarum pulsu Episcopi convenerunt, denominaturi Officiales Concilii, et una Ordinem servandum stabilituri. Simul electae sunt 6 Commissiones, Decreta praeparaturae. — 9ª Solemnem Missam celebravit Archi-Episcopus Baltimorensis, et pro Concione dixit Archi-Episcopus Neo-Eboracensis. Die 13ª celebrata est Missa de requiem pro Episcopis ab ultimo Concilio defunctis. Die 16ª fuit 3ª publica Sessio in Ecclesia Cathedrali asser-

vata, et Episcopus Pittsburgensis de Primatu Pontificis sermonem habuit. Die 20ª Concilio est finis impositus; post solemnem Missam et Concionem, decantato hymno „Veni Creator.“ Decreta legebantur et per Episcopos in Ara Majori subscribebantur; quae Episcopus Vandeveldensis fine Confirmationis Suae Sanctitati Romam detulit. Vid. Berichte der Leopoldinen Stiftung. XXV. Heft. 1853.

§. 77. De Synodis Provincialibus.

In Sacro jure crebrius de *Provincialibus* quam *Nationalibus* Synodis agitur. De Synodis Provincialibus Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. Cap. 2° haec disponit: „*Provincialia Concilia*, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, Controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis, renoventur. Quare Metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior intra Annum adminus a fine praesentis Concilii, et deinde quolibet saltem triennio post Octavam Paschae Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more Provinciae non praetermittat Synodum in Provincia sua cogere; quo Episcopi omnes, et alii qui de Jure, vel consvetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur“ [1]). — Convocatio Concilii Provincialis est jus Personale Metropolitae, cui tamen illud ante acceptum Pallium, per quod plenitudo jurisdictionis confertur, exercere integrum non est. Metropolita impedito, aut Sede Archi-Episcopali vacante, jus hoc transit in omnium, non aetate, ast dignitate Episcopali seniorem Suffraganeum. Locum asservandi Concilii determinat Convocans, spectata Suffraga-

[1]) Legitime excusantes absentiae causae sunt: grandior aetas; infirmitas; gravis necessitas. Dist. 18. c. 5. 10. 12.

neorum commoditate, et aliis adjunctis in considerationem sumptis, maxime accomodum. Provincialis Synodus ordinarie convocari deberet omni triennio; emergentibus tamen extraordinariis adjunctis etiam ante effluxum triennii. Olim in conclusione unius Synodi, terminus pro futura asservanda praestituebatur, et publicabatur; cui mori S. Carolus Borromaeus Metropolita Mediolanensis, decus et paradigma Antistitum semet conformavit, semper in ipsa Synodo, pro nova celebranda diem et locum praefigendo. Consvetudinis hujus in Hungaria quoque observatae vestigium reperitur in Synodo sub Cardinale Archi-Episcopo Francisco Forgách 1611° convocata, ubi idem Archi-Episcopus indicit, et denunciat proximam sequentem Synodum Provincialem, in eadem Urbe, eodem loco Anno 1613°, Dominica 3ª post Pascha celebrandam esse; intimatque, ut omnes conveniant, si tamen quis legitimo impedimento detineretur, unum ad se excusandum atque ad id impedimentum probandum mittat, facultate provisum omnia suo, et Ecclesiae suae nomine recipiendi, quae in Synodo decreta et constituta fuerint [1]). — Porro ad Synodum Provincialem convocandi sunt cuncti Suffraganei Episcopi, prout et ubi existunt nulli Metropolitae subjecti, seu exempti Episcopi, qui dispositioni Concilii Trid. praememoratae Sessionis 24. c. 2. de reform. conformiter, libere, ast pro perpetuo accesserunt, ad capiendam partem in Synodo Provinciali; dein Episcopi confirmati, etsi Consecrationem necdum recepissent; tum Sede Episcopali vacante Vicarii Capitulares; Praelati Minores jurisdictione quasi Episcopali gaudentes, quorsum etiam Ordinum religiosorum Provinciales referuntur; demum Capitula, quae medio unius aut duorum procuratorum seu deputatorum comparent. De Capitulis Innocentius III. haec decernit: „Provinciae Senonensis Capitula Cathedralium

[1]) Péterfy t. 2. pag. 202.

Ecclesiarum ad nos querimoniam transmiserunt, quod Archi-Episcopus Senonensis et ejus Suffraganei, procuratores eorum nuper ad Provinciale Concilium convocatos, ad tractatum eorum admittere noluerunt: Visum fuit Nobis, et fratribus Nostris, ut Capitula ipsa ad hujusmodi Concilia debeant invitari, et eorum Nuncii ad tractatum admitti, maxime super illis, quae ipsa Capitula contingere dignoscuntur." [1]) Hujus tamen in obversum Benedictus XIV. opinatur, Capitulorum deputatos, Concilio Provinciali non interesse tamquam Judices, seu eosdem voto decisivo non gaudere. [2]) In Hungaria Deputatos Capitulorum Judicis Suffragio olim gavisos fuisse, Péterfy Conciliorum Collectio indubitatum relinquit; secus enim nec in Synodo 1611, et nec in alia 1648 celebrata, Synodum qua Consentientes subscribere potuissent. — Insuper prout in genere ad omnia Concilia, ita hic etiam Theologi Scientia eminentes, et alii Sacerdotes in Cura Animarum versati, ac practici, in Consortium consultationum vocantur. Sed in regula nec Procuratores Episcoporum habent judicis Suffragium, nisi aut contraria consvetudo vigeat, aut Concilium annuat; ita Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana lib. III. c. 12.— „Etsiquidem quod a majori parte conclusum est, iam habet vim legis totam obligantis Provinciam; etiam illi, qui caeteroquin dissenserunt, coguntur aliorum acquiescere judicio, ac Synodalia Statuta acceptare, suaque corroborare subscriptione: quamquam iis, qui se gravatos sentiunt suppetat remedium appellationis ad Sedem Apostolicam" [3]). Si Metropolita Numero paucos Suffraganeos numerat; in respectu asservandae Synodi Provincialis, opportune semet alteri vicino Metropolitae junget, quin propterea suae independentiae detrimentum patiatur.

---

[1]) C. 10. de his quae fiunt a Prael. fine cons. Capit.—[2]) De Synodo Dioec. — [3]) Benedictus XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 2. N. 4. l. 13. c. 2. 6. et 7.

Quantum ad Objecta pertractationis; generalia principia iam supra in Synodis Nationalibus adducta, ad Concilia Provincialia etiam adplicanda veniunt, e quibus Sphaera Agendorum facile eruitur. Caeterum S. Synodus Tridentina, Conciliorum Provincialium celebrationem saltem omni triennio sub poenis Canonicis disponens, plurium Objectorum discussionem et definitionem ad Concilia Provincialia relegavit. Idmodi objectum est erectionis et coordinationis Seminariorum, dum Ecclesiarum Praelati remissi sunt; aut „aliquae Ecclesiae tanta paupertate laborent, ut Collegium in aliquibus erigi non possit" [1]). Mutationes intuitu formae Concursualium examinum ad Beneficia consequenda „Licebit etiam Synodo Provinciali, si quae in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendave esse censuerit, providere" [2]). Uniones Dioecesium „Quoniam pleraeque Cathedrales Ecclesiae tam tenuis reditus sunt et angustae, ut Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum necessitati sufficiant, examinet Concilium Provinciale, quas propter angustias, tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat" [3]). Superinspectio num ea quae de Regularibus statuta sunt, observentur. [4]) Minores criminales causae Episcoporum in Concilio Provinciali, vel a deputandis per Concilium cognoscuntur et terminantur [5]). Necessitatis visitandae per Metropolitam Dioecesis-suffraganeae, causae in Concilio provinciali cognoscuntur, et probantur. [6]) In Synodis Provincialibus publicae controversiae et querelae, quae inter Personas majores vigent, deciduntur; ea item quae ad disciplinam Ecclesiasticam revehendam, praecepti Ecclesiae vigorem restituendum, mores corrigendos, abusus tollendos *universim in Provincia* pertinent, di-

---

[1]) Sess. 23. C. 18. de reform. — [2]) Sess. 24. C. 18. de ref. — [3]) ib. C. 13. de ref. — [4]) Sess. 25. C.22. de regul. — [5]) Sess. 24. C. 5. de ref. [6]) ib. C. 3. de ref.

ponuntur; [1]) quae enim particularem Dioecesis cujuspiam statum attinent, objectum Synodi Dioecesanae efficiunt. Saepe etiam, e Synodo Provinciali Sedi Apostolicae et Imperanti Civili, Postulata ac Preces substernuntur. Cujus vestigium in Synodo Provinciali Tyrnaviae 1611. celebrata, apud Péterfy occurrit.

Olim in Synodis Provincialibus *Testes Synodales* constitui consveverunt praecipiente Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Anno 1216. celebrato; ubi praemisso eo, ne Metropolitani cum suis Suffraganeis Concilia provincialia celebrare intermittant: „in quibus de corrigendis excessibus, et moribus reformandis praesertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum; Canonicas regulas maxime, quae statutae sunt in hoc Generali Concilio relegentes, ut eas faciant observari, debitam poenam transgressoribus infligendo. „Subjungitur:" Ut autem id valeat efficacius adimpleri, per singulas Dioeceses statuant personas idoneas, providas videlicet et honestas, quae per totum annum simpliciter et de plano, simpliciter absque ulla jurisdictione solicite investigent, quae correctione vel reformatione sint digna, et ea fideliter perferant ad Metropolitanum et Suffraganeos et alios in Concilio subsequenti, ut super his et aliis, prout utilitati et honestati congruerit, provida deliberatione procedant" [2]). In coactis in specie per S. Carolum, Provincialibus Synodis, e singula Dioecesi duo, in Dioecesanis vero septem ab Episcopo deligebantur Synodales Testes. — Interim quod relate ad Testes Synodales, per praecitatum Canonem dispositum fuit id nunc explent Vice-Archi-Diaconi et Parochi, qui in Conventu Ecclesiastico Districtuali, adminus in Dioecesi Nitriensi ter per Annum collecti, de irrepentibus vitiis et abusibus relationem praestant, et pro medela Ordinariatui substernunt.

[1]) Quoad modum mores Corrigendi, invalescentia vitiorum semina tollenda, ac salutarem disciplinam revehendam, paradigmatis instar deserviunt acta Conciliorum Mediolanensium, signanter habita per S. Carolum ad Patres Concilii Provincialis 1. et 2. allocutio.—

[2]) C. 25. de accusationibus.

Quaestio adhuc occurrit: num Decrceta Concilii Provincialis, antequam promulgentur S. Sedi Pontificiae pro revisione et adprobatione substernenda sint, necne? Febronius arctis limitibus coarctare cupiens, Sedem Pontificiam statuit per *Octo et novem saecula* haud requisitam fuisse adprobationem. Van Espen adstruit Decreta Concilii Provincialis pro approbatione substernendi consvetudinem novitiam et saeculis posterioribus introductam esse [1]). Sed quam precario id asseratur, sufficit in Gallia Concilium Arelatense Anno 314. celebratum adducere, ubi Patres represso Schismate Donatistarum Synodalem Epistolam ad Sylvestrum Papam miserunt, in qua inter alia habentur: „Attamen non solum Materiam, propter quam congregati eramus tractandam existimavimus, sed etiam plures Canones observandos edidimus; *atque juxta antiquam consuetudinem tibi potissimum competere credidimus, ut statutos promulges, cui maxima regiminis ecclesiastici pars concredita est.* Huc refertur, quod Pontifex Benedictus XIV. lib. 13. c. 3. de Synod. Dioec. tradit: Antiquioribus Ecclesiae saeculis coactorum Conciliorum Provincialium, in quibus „recens subortae haereses interdum damnabantur" Acta per Synodalem Epistolam ad Romanum Pontificem fuisse transmissa, *ut accedente primae Sedis, et Jesu Christi in terris Vicarii approbatione, quod in illis particularibus Episcoporum Coetibus fuerat deliberatum tamquam Fidei Dogma ab omnibus reciperetur Orthodoxis.* Nunc autem esto in Conciliis Provincialibus decreta unice disciplinam respicientia condantur, eapriusquam promulgentur Sixtus V. ad Sacram Congregationem Concilii Tridentini Interpretum trans-

[1]) Jus ecclesiast. univers. P. 1. tit. 21. C. 4. et 5.

mitti jussit disponendo: „Quoniam Concilio Tridentino decretum est Synodos Provinciales tertio quoque Anno, Dioecesanas singulis Annis celebrari debere, id in executionis usum ab iis, quorum interest, induci eadem Congregatio providebit. *Provincialium* vero, ubivis terrarum illae celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendet, etrecognoscet" [1]). Caeterum ut ex tenore Constitutionis hujus, sed etiam ex usu patet, adprobationem hanc magis negativae, quam positivae indolis esse; tenore enim illius, ut in Provincialibus Conciliis Mediolanensibus videre est, declaratur, in Decretis Concilii Provincialis nihil reperiri, quod communi juri adversum esset. Decreta Synodi Provincialis obligant unice Provinciae respectivae Clerum et Populum, etiam per Romanum Pontificem confirmata, quia Confirmatio dat robur, sed non extendit actum confirmatum.

In reliquo modum asservandorum Conciliorum Ceremoniale Episcoporum [2]) et Pontificale Romanum sub titulo: „Ordo ad Synodum" praescribit: Praeterea autem Metropolita vel Senior Episcopus, Objecta pertractationi et decisioni Synodali substernenda, Episcopis et iis, qui de jure vel consvetudine ad Synodum vocantur tempestive ad notitiam perfert eo scopo, ut illa Domi primo, sive in Synodo Dioecesana, sive vocatis in Concilium viris Ecclesisaticis, discutiantur. In ipso Concilio *Congregationes a Sessionibus* distinguuntur. Congregationes in Residentia Metropolitae asservari solitae objecta examinant, cognoscunt, et discutiunt. Sessiones vero in Ecclesia Ordinarie tres, summum quatuor, cum praescriptis Solemnitatibus Ecclesiasticis celebrantur, et pro publicandis Decretis Synodalibus deserviunt. Congregationes iterum aliae sunt *privatae* aliae *publicae seu generales.* Sessioni praemitti solet una privata et publica Congregatio, ubi ordinantur *Deputationes*, quarum singula ex uno vel duobus Episcopis, aliquot Theologis-Canonistis consistit, et inter quas objecta pro praeliminari discussione distribuuntur. In hac Congregatione praeterea, Procuratores acceptas Credentionales substernunt; dein fit Officialium denominatio, et Programmatis Synodalis distributio. Porro Episcopi interrogantur, num in Dioecesi quispiam non reperiatur, qui ex Jure vel Privilegio votum decisivum praetendere posset. — Sessio prima prisco mori et dispositioni Conc. Trid. Sess. 25. c. 2. de reform. conformiter incipit a Professione Fidei et Sponsione obedientiae Canonicae Romano Pontifici; tum Decretum de modo vivendi eorum, qui in Synodo praesentes sunt; de praejudicio non afferendo. Quorum intuitu pro paradigmate per Canonistas commendantur Concilia Provincialia sub S. Carolo Boromaeo celebrata. Ad publicas Congregationes praeter Episcopos, Procuratores Episcoporum et Capitulorum ac quos Concilium admittit, conveniunt, ubi ea, quae in privatis Congregationibus pertractata sunt, perleguntur et discutiuntur. In Sessione vero ultima, Decreta jam publicata subscribuntur, et praescriptae preces absolvuntur. — Synodum Provincialem pro publicatione Actorum necessario sequitur Synodus Dioecesana c. 25. de accusat. Concilium interim Provinciale non debet de necesse praecedere Synodum Dioecesanam.

1) Constitutio quae incipit „ImmensaAeterni Dei" dt. 22ae Januar. 1587 dimissa. — 2) lib. 1. c. 31.

Nota. In Gallia, Provincia Ecclesiastica Rhemensi Mense Januario 1853. asservata fuit Synodus Provincialis. Objecta sequentia pertractabantur: De Studiis litterariis; de Philosophia; de quibusdam pravis opinionibus Auctoritatem Sanctae Sedis Apostolicae detrahentibus; de quibusdam Consvetudinibus; de Sacramento Poenitentiae; de piis Fundationibus; de Ordinibus Monasticis, et

piis congregationibus; de Scriptoribus Catholicis; de charitatis et Misericordiae operibus; de quibusdam piis exercitiis, et confraternitatibus; de cultu Sacratissimi Cordis Jesu, de cultu immaculati Cordis Mariae. Praeterea novum Concilium Provinciale pro 1856. indictum habetur. Acta autem Concilii hujus pro adprobatione S. Sedi Apostolicae substrata sunt.

§. 78. De Synodis Dioecesanis.

Mox in primitiva Ecclesia, Presbyteri unum corpus efficiebant; quo Episcopus veluti Corona cingebatur. Corporis hujus permagnam Auctoritatem fuisse, discimus ex epistolis S. Ignatii Martyris, qui constanter fideles instruit quali reverentia et obedientia erga Episcopos primum, dein erga Presbyteros duci debeant; discimus ex S. Cypriano, qui plane in Ordinationibus, Clericorum Presbyteros consulebat, et mores ac merita Ordinandorum communi consilio ponderabat. Quamquam autem magna fuerit Auctoritas Presbyterorum, semper tamen subordinata erat Episcopis. Ipse S. Ignatius Martyr, qui maxime attollit Presbyteros, dum Smyrnenses hortatur: „Episcopum sequimini, ut Christus Patrem; Presbyterum ut Apostolos; Diaconos ut Dei Mandatum", instituta comparatione, designat summum Dignitatis culmen, in quo Episcopus constituitur. Imo Presbyteris non licuit injussu Episcopi Sacris operari; „Non licet sine Episcopo, nec offerre, nec Sacrificium immolare, nec Missas celebrare." Honorate Episcopum, dicit idem S. Ignatius, tamquam Principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem, Principatum secundum Deum, Sacerdotium vero secundum Christum, solum natura Principem Sacerdotum. „Est enim Episcopus, ut Thomassinus ait, veluti imago vivens imperii Patris, et Sacerdotii Filii, qui solus natura Pontifex est." S. Paulus Apostolus, regimen Ecclesiae ad Episcopum pertinere, diserte enunciat. „Attendite vobis — inquit — et universo Gregi, in quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam aquisivit Sangvine suo" [1]). Ipse incestuosum Corinthium, jure proprio judicavit, et poena affecit. Qualitates Ordinandorum praescribit [2]), itidem jure proprio dispositiones faciendo. — Ex adverso interim, ut jam supra attactum est vetera S. Patrum monumenta, testatum reddunt, Episcopum, quoties de rebus arduis decernendum erat, Clericos Civitatis, et eos qui per Dioecesim titulis ruri affixi erant, semper ad consultandum convocasse [3]); et hi consessus subin Synodi Dioecesanae nomen sortiti sunt; unde vel ex his patet, Synodos Dioecesanas, si res spectetur, inter antiquissima Ecclesiae Instituta habendas. Synodus, cujus convocatio olim ab arbitrio Episcopi pendebat, successu temporis, bis quotannis celebranda praecipiebatur. Concilii Lateranensis sub Innocentio III. asservati tempore, Synodi Episcopales, *annuatim*, seu semel per annum celebrabantur [4]); — quod etiam Decreto Concilii Tridentini Sess. 24. c. 2. de reform. dispositum habetur: „Synodi quoque Dioecesanae *quotannis* celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen Parochialium, aut aliarum saecularium Ecclesiarum etiam annexarum, debeant illi, qui illarum Curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse." In Hungaria Synodorum celebrationem plane lege Comitiali adursam fuisse, jam supra de Conciliis Nationalibus dictum est. Praeterea, ut Decretum Concilii Tridentini de Synodis celebrandis, plenum effectum sortiatur, in Synodo Provinciali 1611. celebrata,

---

1) Act. c. 20. 29. — 2) 1. Timoth. c. 3. — 3) Cau. 16. q. 1. c. 7.; Cau. 15. q. 7. c. 6. Dist. 24. c. 6. — 4) C. 25. de accusat.

cap. I. statuebatur: „Saluberrimus usus Synodorum Provincialium ac *Dioecesanarum* in usum est revocandus.“ In ea vero, quae 1638. asservata fuit, de Synodis Dioecesanis quotannis habendis fusius agitur, una vero Objecta pertractationis recensentur [1]).

Synodum Dioecesanam cogendi jus competit exclusive Ordinario; qui si est Archi-Episcopus, illud non prius exercere potest, quam accepto a Sede Apostolica Pallio, Episcopus autem adminus beneficium Confirmationis receperit est necesse. Vicarius Episcopalis, nisi cum positivo Episcopi indultu; Sede autem vacante Vicarius Capitularis jure Ordinario Synodum indicit. Nunc interim dum Synodi Dioecesanae penitus in desvetudinem abierunt, gravissimorum Virorum judicio, Vicarius Capitularis, exercitium juris hujus futuro Episcopo provide relinquet. Episcopus Synodum cogere potest, in quacunque Dioecesis suae parte; si tamen nullum secus obstet impedimentum, expedit, ut ad locum Cathedrae Episcopalis indicat; prout declaravit S. Congregatio Concilii die 17ª Maji 1636. his verbis: „Posse Episcopum etiam in dicto Oppido Dioecesanam Synodum congregare; sed satius esse ut illam apud suam Cathedralem celebret [2]). — Quinam vocandi sint ad Synodum Dioecesanam e principiis juris et usu determinatur. *Capitulum* quod juxta Concilium Tridentinum est *Senatus Ecclesiae* [3]) *ut Episcopum opera et officio juvaret;* penes tam solemne jurisdictionis Episcopalis exercitium, ab Episcopo separari non potest, sed vocari debet. Item Honorarii Canonici omnes. Porro ad Synodum Dioecesanam vocantur, et comparere debent, cuncti intra Dioecesim existentes Abbates et Praepositi saeculares; quia hi nulli Capitulo Generali subduntur; et quidem vocantur tam Reales, quam et

1) Péterfy, P. II. pag. 364. — 2) Benedict. XIV. de Syn. Dioec. l. 1. c. 5. — 3) Sess. 24. c. 12. de reform.

Titulares, in quantum sua Bona, aut Titulos in Gremio Dioecesis sub Dioecesana Jurisdictione habent; secus si ad aliam Jurisdictionem Dioecesanam pertinent, ad concernentem Dioecesanam Synodum convocantur. Relate ad Regulares Benedictus XIV. haec habet: „Si Abbates una cum Monasteriis quae regunt, sunt omnino ab Episcopi jurisdictione exempti, non ideo tamen sunt statim liberi pronuntiandi ab obligatione interveniendi Synodo Episcopali: sed considerandum est, an simul cum aliis sui Ordinis Monasteriis coalescant, in unum corpus seu conficiant unam Communitatem, cujus singula membra subdantur *Capitulo Generali ejusdem Ordinis*; vel potius Monasteriis praeficiantur quorum quodlibet solitarium est, nullam nimirum habens cum aliis Ordinis Monasteriis conjunctionem, nullum societatis et mutuae communicationis vinculum; atque ideo *eorumdem Monasteriorum Praelati, nullum Superiorem Generalem agnoscunt, cujus Capitulo subjiciantur;* cujus generis Monasteria non pauca extra Italiam reperiri exploratum est omnibus. Primi non coguntur accedere ad Episcopi Synodum; *Secundi omnino accedere debent;* illos siquidem et non istos exemit Tridentinum Sess. 24. c. 2. de reform. (ut supra). Cum enim exceptio firmet contrariam regulam pro non exceptis, manifestum inde fit, Regulares Generali Capitulo non subjectos, nulla ratione posse se a Synodo subducere.“ De Synod. Dioec. lib. III. c. 1. n. 8; ultro autem ibidem n. 10. Decretum S. Congreg. Conc. in causa Regularium die 19ª Novembris 1604. latum, subjungit: „Esse injungendum *omnibus Regularibus*, *qui vel Capitulis Generalibus non subduntur*, vel Curam Animarum exercent, ut ad Synodos Dioecesanas accedant sub poena privationis vocis activae et passivae, ipso facto incurrendae, atque aliis poenis arbitrio Episcoporum imponendis, etiam excommunicationis; adeo ut jus declarandi atque poenas imponendi ad Episcopos, non

obstante quacunque exemptione, pertineat, eisdemque Episcopis jus sit, praedictos Regulares, qui nullis Capitulis subduntur, absolute cogere, ad Dioecesanae Synodi observationem.“ Praeterea Regulares, tametsi Parochiam aliquam non administrent, qui tamen ad audiendas fidelium Confessiones jurisdictionem ab Episcopo accipiunt, et Sacramenta dispensant, vocati ad Synodum comparere debent. — Theologiae Professores duos vocandos esse, communis fert opinio.

Curatores Animarum, inter hos Vice-Archi-Diaconi nomine Decanorum in Canonibus et apud Benedictum XIV. compellati, et alii e singulis Districtibus unus alterve, qui citra detrimentum Curae Animarum abesse possunt, ex respectu momentosi eorum Muneris, utpote qui pro credito sibi fideli Populo, Deo et Episcopo suo responsabiles, legis ecclesiasticae observantiam adurgere, causas laxatae disciplinae detegere, et hujus reducendae media suggerere obligantur; ex ipsa natura rei ad Synodum vocari et convenire tenentur; quod ipsum etiam Concilium Tridentinum in supra allato Decreto diserte jubet. Sed utique Dioecesanas Synodos a prima earum Origine potissimum ex Parochis fuisse conflatas, et ratio svadet, et antiquissimi Ecclesiae Canones docent. — De obtinentibus Beneficia Simplicia, caeterisque Presbyteris Dioeceseos, Benedictus XIV. haec habet: „obtinentes Beneficia simplicia tunc solum Synodo adesse debere, cum legitima consuetudo ad id eos obstringit; et tam ipsos, quam caeteros e Clero, generatim ad Synodum compelli posse, cum autem de morum disciplina restauranda, aut de re ad omnes Clericos pertinente, agendum est.“

Novissimis temporibus, dum necessitas Synodorum magis, ac unquam antea ventilabatur, recruduit quaestio illa, num ad Synodos Dioecesanas, saeculares etiam vocandi sint? Reperti sunt, inter ipsos etiam Viros Ecclesiasticos, qui affirmativam Sententiam tue-

bantur, et quidem quod Laici jam tempore Apostolorum, ad consortium electionis in locum praevaricatoris Judae Iscariotis, item pro eligendis Diaconis vocati sint [1]). S. Cyprianus epist. 5ª de se ipso loquitur: „A primordio Episcopatus mei statui, nihil sine consilio Vestro, et sine consensu plebis mea privatim Sententia gerere.“ Et quod idem Cyprianus, dum de iis, qui sub Persecutione Decii lapsi sunt, iterum recipiendis ageretur, Populum quoque in unum collegerit. — Interim adducta loca S. Scripturae, de electionibus Ecclesiae Ministrorum sonant, et longe aliam considerationem subeunt, quam ut ad Synodos Dioecesanas trahi possint. Id vero quod S. Cyprianus de *consensu plebis* loquitur, est Personale ejusdem factum, et qua singulare, nec consvetudinem facit, nec jus tribuit. Quantum lapsorum receptionem attinet; miserandum eotum Ecclesiae statum ipse S. Cyprianus adumbrat: „Infesta, inquit, tempestas, quae plebem nostram ex maxima parte prostravit, hunc quoque addidit nostris doloribus cumulum, ut etiam Cleri portionem sua strage perstringeret.“ Epist. 5. Clerus autem Romanus, Sede Pontificia vacante, data ad S. Cyprianum epistola scribit: „Aspice totum Orbem pene vastatum, et ubique jacere dejectorum reliquias et ruinas, et idcirco tam grande expeti consilium, quam late propagatum videtur esse delictum [2]). Summe proinde deploranda, et extraordinaria eotum erant adjuncta; agebatur de poena lapsis irroganda, et iis, qui a fide non defecerunt, pro eorum constantia distingvendis; „Quibus et ipsis — ait idem Cyprianus epist. 13. — pro fide et timore suo honor habendus est.“ Non constat autem num haec receptio et poenae irrogatio, in Synodo proprie dicta contigerit; quod etsi factum fuisset, id in consequentiam trahi nequit. — Neque plus ponderis habet illud Argumentum,

[1]) Act. c. 16. — [2]) Epist. 31. inter Cyprianicas.

quod convocati ad Synodum Dioecesanam Laici, ferendae legi, obsequium promptius sint praestituri; et quod omnes tangit debet ab omnibus approbari [1]). Nam idea haec duceret ad Systema repraesentativum, quod ab instituto Divini Statoris Ecclesiae alienum est. Si de obsequio agitur, illud fideles legitimae Superioritati Ecclesiasticae in conscientia praestare obligantur. Item e Spiritu Ecclesiae Catholicae, et S. Canonum dispositione, Laici ad regimen Ecclesiae et jurisdictionem Ecclesiasticam exercendam admitti non possunt; ideo etiam historice certum est, quod postremis tribus saeculis, Laici ad Synodos Dioecesanas, qua harum commembra, nullibi sint admissi. Imo S. Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, in Causa Oriolen. Synodi interrogata: „An Episcopus possit vocare ad Synodum Laicos, si eorum Consilio uti velit: respondit: Episcopum non posse." Demum etiam si Convocatio Saecularium Juri communi et Consvetudini non adversaretur, quis determinaret, quinam illorum, dum Dioecesis plura centena Millia fidelium numerat, sint vocandi? An non uno vocato, alter aeque Catholicae Ecclesiae filius de neglectu ac sui postpositione jure merito querulari posset. Quod si Episcopus Laicorum Consilio indigeat, commode etiam extra Synodum eos consulere potest.

§. 79. Objecta Synodi Dioecesanae.

Antiquioribus Saeculis, in Synodis Dioecesanis potissimum pertractatae fuerunt querelae, primum Clericorum, dein Laicorum ad Dioecesim pertinentium, quae sine formalitatibus forensibus decidebantur. Unde etiam quoad Laicos facile explicatur, quarenam Synodis Dioecesanis antehac intervenerint. In Hungaria quoque Synodos Dioecesanas Contentiosum

---

[1]) C. 29. de reg. juris in 6°.

Forum constituisse, patet ex Colomani Regis Decretis [1]). A temporibus interim illis, ex quo ad lites sopiendas, querelas decidendas distincta Judicia, et Tribunalia forensia constituta habentur; querelae Personales objectum pertractationis Synodalis esse desierunt. — In genere juxta S. Canones, „in Synodo Dioecesana non est aliquid statuendum, quod Canonicis obviet institutis" [2]). In specie objectum pertractationis Synodalis nequeunt esse ea quae ad fidem, item Universalem Ecclesiae disciplinam pertinent, nisi in quantum observantia adurgenda esset. „Debet Episcopus, — inquit Benedictus XIV. — in sua Synodo constituere, quae ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, et Ecclesiasticam disciplinam aut restituendam, aut fovendam necessaria et utilia esse judicaverit" [3]). — In Synodo Dioecesana oportune proponitur circa libros catecheticos et precatorios, num peregrini quipiam non irrepserint, qui non tam ad fideles instituendos, quam ruinam iis parandam tendunt? Super religioso-morali institutione Scholasticae pubis Consilia ineuntur; quoad abusus in Processionibus, et Peregrinationibus Sacris tollendos; Sanctificationem dierum Domini et Festorum promovendam; Populum a pravorum librorum lectione abstrahendum, atque de eo, qualiter utilium libellorum lectio inducenda esset; item quid agendum ut Institutum temperantiae Stabiles radices figat; turpis et homine Christiano indigna blasphemandi consvetudo exstirpetur; in medium consultationes fiunt, si Populus vitio cuipiam deditus est, qua ratione illud exterminandum; siquidem vita Cleri sit speculum Populi; et recte dicatur: qualis Populus talis Sacerdos; ideo eorum observantia, quae de vita et morum honestate S. Canones praescribunt, serio

---

[1]) L. 1. c. 2. 5. 8. 9. — [2]) C. 9. de major. et obed. — [3]) De Syn. Dioec. l. 6. c. 1.

inculcanda, et examinandum, num speciale quodpiam delictum in Clero non regnet; id si detectum fuerit, statuta Sanctione, medela ferenda. Dein in Synodo Dioecesana utiliter revidentur antiqua Statuta, cumve non omnia omnibus temporibus congruant, temporum adjunctis accomodantur; et quae exoleverunt, resecantur [1]). Non enim in Multitudine legum, sed illarum observantia salus consistit. His addere juvat, quod Paulus Tito praecepit: „Admone illos Principibus et Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse [2]). Item ex oratione, quam S. Carolus Boromaeus in 11ª Dioecesana Synodo habuit:“ Hic consultantur ea quae ad Spirituale regimen pertinent, cum his qui administrationis participes sunt; hic uniformitas deliberatur in executione legum praeteritarum; hic abusus qui vigent in Populo disquiruntur, et oportuna eis adhibenda remedia statuuntur, ac quam quisque in hac re diligentiam adhibeat, cognoscitur. Hic demum praeterita tempora cum futuris conferentes, et utriusque Decreta, ac Constitutiones jam editas applicantes, culpas quidem praeteritas deflemus, emendare vero imposterum deliberamus.“ Qualiter autem Synodus intra Sphaeram suam manere debeat, indigitat Benedictus XIV. „imprudenter, inquit, ageret Episcopus, si in sua Synodo aliquid decerneret, quo Jurisdictionem sibi olim jure communi attributam recuperare tentaret; rem siquidem impossibilem aggrederetur, et sine ulla Ecclesiae utilitate graviter apud Principem offenderet“ [3]). Demum disponente Conc. Trid. Examinatores singulis Annis in Dioecesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario adminus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, et ab ea probentur“ [4]). Examinatores hi *Synodales* dicuntur etiam nunc, esto vigore facultatum Apostolicarum, per Episcopos extra Synodum eligantur, et probentur.

[1]) Dist. 14. c. 2. — [2]) C. 3. — [3]) De Syn. Dioec. l. 9. c. 9. n. 12. — [4]) Sess. 24. c. 18. de reform.

§. 80. Praeparatoria ad Synodum Dioecesanam et ejus asservandae forma.

Optatum effectum Synodi Dioecesanae, multum adjuvat debita ad hanc praeparatio. Episcopus quippe Synodum convocans, praevie et tempestive, ea quae in Synodo agenda statuit, cum Capitulo suo, Abbatibus Religiosis, Districtibus Vice-Archi-Diaconalibus et aliis Sacerdotibus, utiliter communicabit, atque ab iis scripta responsa deposcet, ut ita Cleri sui mentem jam ante Synodum, exploratam habeat. Opus praeterea multum facilitabitur, si ante Synodum, convocatis, — dum commode fieri possit, — Vice-Archi-Diaconis, oraliter — secus vero scripto, relationem exegerit, et genuinas notitias de Statu Cleri et Populi, gravaminibus, et postulatis utriusque, in quantum ad sphaeram pertinent, sibi procuraverit. „Ut autem — svadet Benedictus XIV. [1]) — Episcopus facilius remedia parare valeat, quae ingravescentibus in Dioecesi morbis medendis sint apta, expedire videtur, ut ante Synodum a Vicariis Foraneis, Parochis Civitatis, Monialium Confessariis, aliisque probis et prudentibus Viris sciscitetur, quaenam eorundem judicio in Dioecesi, praecipue quoad Administrationem Sacramentorum, verbi Divini praedicationem, dierum Festorum Cultum, et observationem videantur corrigenda, et emendanda; in Congregationibus vero quae Synodo praemitti solent, Theologos et Canonistas, doctrina et pietate ac prudentia praeditos, de modo consulat, quo inolescentes abusus svaviter, simul et efficaciter eradicari possint.“ Caeterum cum sine Dei Numine, nihil sit in homine; uno Mense citius ante Synodum

[1]) L. 6. c. 1.

preces indicuntur, singuli Presbyteri in Missa collectam de Spiritu Sancto assumunt, Populus diebus Domini et Festis coram exposito SS. Sacramento, pro felici successu Orationes ad Deum fundit; ii vero cuncti, qui ad Synodum comparent, per Sacramentum Poenitentiae Conscientiam emundent, atque intentione pura, conscientia recta, summo cum Moderamine, studio unice Gloriam Dei et utilitatem Proximi promovendi, ac vero Spiritu Ecclesiastico animati, deposito omni ignobili affectu, in charitate non ficta, ad Synodum Dioecesanam accedant; regulam illam auream Doctoris Ecclesiae S. Augustini epist. ad Januarium c. 2. prae oculis habentes: „*In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.*"

De forma et modo celebrandi Synodum Dioecesanam, uberius agit Gavantus in opere „Praxis Synodi Dioecesanae." Speciales dispositiones autem in Pontificali Romano et Caeremoniali Episcoporum continentur. Synodus juxta veterem morem durat tribus diebus, cui tempori conformatus est etiam Ordo in Pontificali Romano; ab arbitrio tamen Episcopi pendet, eam abreviare, aut pro ratione objectorum ultra triduum, una aliave die protrahere. Sicut in Synodo Provinciali, ita et hic distingvuntur Congregationes a Sessionibus; priores pro ineundis Consiliis in Residentia Episcopi, posteriores pro asservandis Concionibus, et Constitutionibus in Ecclesia publicandis deserviunt. In Congregatione destinatur *Promotor*, qui curet, ut omnia celeriter et fructuose perficiantur. Eligitur Synodi *Secretarius*, quem monente Gavanto c. 29. decet esse aliquem ex Canonicis Cathedralis Ecclesiae, qui in Coadjutorem sibi adsciscit alium, sub nomine *Lectoris*. Leges nomine Canonum insigniri nequeunt, sed *Constitutiones* dicuntur; ipsa autem Synodus attributo *Sancta Synodus*, uti non potest, cum illud Conciliis duntaxat Oecumenicis competere, per S. Congregationem declaratum sit. Constitutiones Synodales alterari vel tolli nisi via Synodi Dioecesanae possunt; et eaedem mox facta in Synodo Promulgatione vim obligativam nanciscuntur. Illa autem quae fideles concernunt, Parochi Domum reduces ex Ambone promulgant.

E Systemate Ecclesiae et principiis Juris, perfacile deducitur, in Synodo Dioecesana, unicum Judicem, et leges ferendi potestate gaudentem esse, Episcopum, aut Vicarium Capitularem, vel Episcopi auctoritate ad Synodum cogendam instructum Vicarium, Synodi enim celebratio eminenter ad regimen Dioecesis adeoque ad *Potestatem Jurisdictionis* pertinet, quae unice Episcopo competit. Hinc etiam Benedictus XIV. determinate enunciat: „In Synodo Dioecesana solus Episcopus est Judex, et Legislator, ipse suo nomine decreta facit, et promulgat, et quamvis adstantium Consilium exposcat, non tamen cogitur illud sequi" [1]). Id ipsum Catholici Canonistae, etiam illi, qui Hierarchiam Jurisdictionis ad sphaeram tenuiorem redigere contendunt, uti Van Espen, fatentur, clare asserentes: Synodos Dioecesanas auctoritatem et vim obligandi ab Episcopis mutuare. Unde si ubi in more est, post perlectas in Synodo Constitutiones, praesentibus quaestionem ponere: „Placentne Vobis? et illi respondent: Placent"; responsum hoc, Consensum et adprobationem non importat; sed per id Clerus contestatur promptitudinem Constitutiones Synodi effectui mandandi, atque ad hoc praestandum, semet coram Deo, qui corda et renes scrutatur, et coram Episcopo, ac Fratribus solemniter obstringit.

Decursu Anni hujus in nonnullis Monarchiae Austriacae Dioecesibus, partim Cleri Dioecesani Conventus, partim Synodi Dioecesanae coactae sunt. In specie Synodum Dioecesanam convocavit in Lombardia Episcopus Laudensis (Lodi) Cajetanus Benaglia,

1) De Syn. Dioec. l. 3. c. 12. n. 7.

— Suffraganeus Archi-Episcopi Mediolanensis, — cujus Dioecesis in 105 Parochias divisa, fidelium 160 millia numerat. Convocatoriarum dd° 28ae Junii 1854. Litterarum Episcopalium tenor est sequens:

„Quum jam, tota Dioecesi perlustrata, in clericorum vitam et honestatem atque in fidelium mores inquisiverimus: quumque ex appositis notitiis, per Adm. RR. Vicarios Foraneos et urbis Parochos suppeditatis, quae remedio indigeant diligenter adnotaverimus, istud etiam inter episcopalia munera sane gravissimum praetereundum non esse arbitrati sumus, ut quae vel decernenda sunt vel confirmanda, eadem maturius, Deo juvante, per synodalia Comitia praestaremus. Praeter eas enim utilitates, quas cursim super attigimus, synodales congressus hoc sibi vindicant comodum peculiare, ut quae multorum judicio et consensu sancita fuere, alacriori animo, impensiori studio et zelo magis incenso excipiantur et in usum revocentur. Episcopus et Clerus in eodem Dei spiritu congregati, iisdemque sanctis affectibus devincti, secum mutuo communicant charitatis igniculos et ardor exinde vividius deflagrans legibus, quae uno animo constituuntur vel instaurantur, vigorem subdit, reverentiam adjicit, atque perpetuitatem tuetur.

Quum igitur, ope et consiliis spectabilium virorum, quos ex Capitulo potissimum Ecclesiae Nostrae Cathedralis et ex urbis Parochis atque Vicariis Foraneis delegimus et iteratis vicibus apud Nos congregavimus, jam omnia fere quae ad rem exposci videbantur praejacta et disposita sint, non nostris quidem viribus sed Domini Nostri Jesu Christi virtute confisi, Dioecesanae Synodi celebrationem vobis annuntiamus, spemque haud dubiam corde fovemus, vos, Venerabiles Fratres et filii dilectissimi, ad haec incepta diu exoptata mutuam operam impigre collaturos.

Diebus itaque 29., 30. et 31. mensis Augusti proxime adventuri Octavam Dioeceseos Nostrae Sy-

nodum in Ecclesia Cathedrali hisce Nostris indicimus celebrandam. Quapropter singulis ecclesiasticis etiam Regularibus in civitate vel dioecesi degentibus, qui nostrae jurisdictioni sive de jure, sive de consvetudine subjiciuntur, quibusque jus fasque est synodalibus comitiis interesse, praecipimus sub poenis a canonica Lege inflictis ut ad praenuntiatam Synodum conveniant atque assiduo, usque dum ea absoluta fuerit, singulis intersint congregationibus. Aderit idcirco in primis Ecclesiae Cathedralis Capitulum, quod veluti singulare episcopalis nostri regiminis praesidium studiose et peramanter invitamus: convenient insuper Vicarii Foranei et omnes animarum Rectores, ex quorum concessione ipso rerum usu innixa multum adquirent roboris synodalia decreta: neque demum deesse patiemur quotquot inter presbyteros Beneficium aliquod etiam simplex quovis nomine obtinent, neve Clericos qui sint in sacris ordinibus constituti. Qui autem ex hisce omnibus hujusque recensitis gravi aliqua causa prohibentur, quominus ad Synodum confluant, monitos esse volumus ut eam tempestive Nobis vel Vicario Nostro Generali exponant, ne Nos ecclesiasticis legibus obstricti cogamur ab eis tamquam a negligentibus petere socordiae poenas. Optamus denique ut caeteri sacerdotes, quos strictum jus non compellit, ubi nullo praepediantur obstaculo interesse et ipsi satagant, ut plenissimo omnium suffragio cuncta definiantur ac decernantur.

Quicunque Synodo sunt adfuturi, talarem vestem induant et superpelliceum cum bireto deferant: Parochi autem, praeter probata quibus donantur insignia, stolam et Vicarii Foranei pluviale addant rubri coloris. Omnes insuper, quo puriores accedant, infra triduum primam Synodi diem praecedens, Sacramentali Confessione propriam expient conscientiam, Sacerdotes sacra peragant, Clerici Sacram Synaxim suscipiant.

Interim vero non est, cur ulterius cunctemur Dei omnipotentis opem, sine quo nihil salutaris ipsi cogitare aut efficere possumus, humillimis precibus exorare. Hujus rei gratia omnes sacerdotes, a quo die hae Nostrae literae fuerint promulgatae usque dum Synodus ad exitum deducatur, adnectant in Sacro collectam de Spiritu Sancto. Rectores porro animarum semel atque iterum, Dominicis diebus ipsius Synodi convocationem immediate praeeuntibus, Sanctorum Litanias alternatim cum populo recitabunt. Congruis etiam institutionibus fideles edoceant de gravissimo, ad quod accingimur, opere, eosque hortentur ut quotidianis precibus Dominicam Orationem et Salutationem Angelicam semel saltem contexant. Atque ut eos efficacius ad Nobis suppetias pro communi animarum salute ferendas adducant, Plenariam Indulgentiam ipsis proponant, quam, auctoritate a Summo Pontifice Pio IX. impertita, iis omnibus concedimus, qui confessi ac sacra Communione refecti, Ecclesiam parochialem visitaverint, ibique aliquas preces fuderint, ut Synodus Nostra fructus uberrimos referat.

Ut autem quae edicimns, omnibus, quorum interest, certo et facile innotescant, has Literas Nostras de more promulgari et ad valvas Ecclesiae Cathedralis et omnium Ecclesarum Parochialium, vel in earum sacrario affigi mandamus, volumusque, ut eamdem vim sortiantur, ac si singulis, ad quos attinet, seorsim fuerint denunciatae [1]). —

Nota. Pro memoria aliquid subjungitur de Synodo Dioecesana, quam Antonius Episcopus Nitriensis, de reducenda apud Clerum et Populum suae Dioecesis disciplina sollicitus, Anno 1494. Nitriae coegit. Constitutiones Synodi hujus, Paulus Abstemius, Episcopus Nitriensis Administrator, per se adauctas, publicavit, et Anno 1560. edidit, apud Péterfy P. 1. pag. 244. et seqq. recensitas. *Paulus Episcopus*, in Littera Pastorali memoratis Constitutionibus praemissa, exponit desiderium et opinionem, quae de celebrandis Synodis Dioecesanis, animum suum occupaverit, hunc in modum: „Sanctissimorum Patrum Sanctissimis Constitutionibus in Generalibus antiquis Conciliis statutum esse scimus Fratres in Christo Nobis dilecti, ut singulis quibuscunque Annis Synodum pro Officio Pastorali in sua quisque Episcoporum Dioecesi celebraret, atque de moribus Cleri reformandis, nec non de Animarum Cura salutaria documenta daret. Verum quia ab aliquot jam Annis, proh dolor, talis Synodus in Ecclesia Nitriensi celebrata non fuit, cujus rei causam Vobis bene notam putamus, ideo nos, quantum in Nobis erit, omni studio ac paterna sollicitudine constituimus Dioecesanam Synodum, Divina favente Gratia convocare; idque cum primum a Sede Apostolica confirmationem Commendae hujus Ecclesiae Nostrae Nitriensis, quemadmodum futurum brevi speramus, obtinuerimus, sine qua huic Nostro desiderio satisfacere minime possumus.“

Hujus Synodi momentosae Constitutiones semet ad Sacramentorum Administrationem, Cultum Divinum, Vitam Clericorum et Laicorum extendentes, sequentibus Capitibus comprehenduntur:

C. 1. De Baptismo. C. 2. De Confirmatione. C. 3. De Poenitentia. C. 4. De Eucharistia. C. 5. De Extrema Unctione. C. 6. De Ordine. C. 7. De Sacramento Matrimonii. C. 8. De Interdictis. (seu sacratis temporibus, quae tunc praeter Adventum, erant a Dominica Septuagesimae; item a Dominica ante Rogationum dies, usque Dominicam

[1]) Salzburger Kirchenblatt № 34; 1854.

Trinitatis.) C. 9. De Nuptiis. C. 10. De Banno Matrimonii. (seu Promulgationibus). C. 11. De Custodia Sacramentorum. C. 12. De celebratione Divinorum Officiorum. C. 13. De Simonia. C. 14. De Sepulturis. C. 15. De Decimis et Poena. C. 16. De Sententia Excommunicationis C. 17. De Habitu Clericorum. C. 18. De Clericis Concubinariis, et Poena. C. 19. De Clericis Negotiatoribus. C. 20. De Divinis in Ecclesia peragendis. C. 21. Quales sint promovendi ad Ordines Sacros. C. 22. De Usurpantibus jura Ecclesiae. C. 23. De poena non confirmatorum in Beneficiis. C. 24. De poenis non residentium in Beneficiis. C. 25. Contra Absentes. C. 26. Qualiter testamenta fiant. C. 27. Quod relicta ad pias causas, male ablata infra sex Menses executioni mandentur. C. 28. De excommunicatis vitandis. C. 29. De casibus reservatis. C. 30. De Religiosis Mendicantibus (quaestuariis). C. 31. De Officio Archi-Diaconorum. C. 32. De Comessationibus. C. 33. De Usurariis. C. 34. De Usurpatoribus Ecclesiarum. C. 35. Interdictum contra illos, qui pueros suos infra Octo dies baptisari non faciunt. C. 36. De Festivitatibus colendis; quarum series subjungitur.

Sub Antistite hoc pro Synodis zelante, Synodum unam aliamve subseque celebratam fuisse credibile est eo magis, quod hujus certa vestigia occurrant. Ita in Actis Parochiae Szkalensis, asservatae per Episcopum Josephum Vurum Canonicae Visitationi insertis, occurrit mentio, Synodi Dioecesanae Nitriae 1671° sub Paulo Abstemio celebratae, in qua Deputati Synodales Judices erant: Petrus Zerdahelyi; Georgius Lovchan,us et Georgius Rezniczay, Canonici Nitrienses.

De Episcopo Joanne Telegdy e historicis monumentis certo constat, eundem anno 1633. Nitriae Synodum cum suo Dioecesano Clero habuisse; Acta interim illius, quamvis solerte opera perquisita, reperiri non possunt. — In Hungaria Dioecesanas Synodos fuisse frequentatas, Péterfy et alia monumenta perhibent. Synodi Dioecesanae Quinqueecclesiensis etiam Benedictus XIV. in celebrato opere suo, de Syn. Dioec. meminit.

§. 81. Causae diuturno tempore non celebratarum Synodorum in genere.

In Hungaria, non obstante lege Tridentina, gravi Sanctione munita, jam Saeculo 17° ob gravissima temporum adjuncta, celebratio Synodorum subin intermitti debebat. „Duo de quinquaginta anni, narrat Péterfy P. 2. pag. 190. — ab ultima Synodo, dum anno 1611° Cardinalis et Archi-Episcopus Strigoniensis Franciscus Forgach, Synodum agendam susciperet, fluxerunt.“ Metropolitae reditus et Auctoritas pene subruta, fundi in rapinam deducti, Aerarium exhaustum, longo tempore vacans princeps sedes, velut totidem causae intermissarum Synodorum adducuntur. Ipse Cardinalis et Archi-Episcopus in suis Convocatoriis ingemiscit, quod variis temporum difficultatibus, fluctuantisque Patriae Motibus praepeditus, non sine magno Numinis metu, et assiduo Animi moerore Concilii Provincialis publicationem differre debuerit. — Subseque etiam, grassantibus porro usque ad victricia Leopoldi Magni arma Turcis, succedentibus dein intestinis dissensionibus, raro nonnisi fieri poterat, ut Concilia cogantur. Sed et Generales Regni Conventus, et quasi Synodi mixtae, in quibus cum Consensu Episcoporum, etiam leges ecclesiasticae ferebantur, erant pariter Origo et causa intermissorum Conciliorum. Dein postquam Fora Judiciaria coordinata fuissent, non existimabatur, Synodos tam crebro, quemadmodum Superioribus temporibus, dum in iis querelae componi sveverunt, celebrari debere. Interea, arduis cumprimis

temporibus, sub finem Saeculi 18[i] ad Ecclesiae jura, quibus diminutio intentabatur defendenda, frequentes universorum Episcoporum, sub Praesidio Primatis Regni Conventus asservabantur; quod ipsum fiebat et Saeculo 19°; Archi- et Episcopi quippe, in Comitiis Regni congregati, adscitis saepe et Abbatibus ac Praepositis Regularium, non secus et Capitulorum Ablegatis, super difficillimis Ecclesiae adjunctis et negotiis decernebant, iterato, gravissima pericula et damna ab Ecclesia avertentes, et rebus Cleri ac Populi in quantum temporum circumstantiae admiserunt, consulentes, modalitate hac, de celebrandis Synodis Canonum dispositioni satisfaciebant. — Novissimis autem temporibus anno 1850. Mense Augusto, sub Praesidio Principis Primatis et Archi-Episcopi, Strigonii Archi- et Episcoporum Conferentia asservata fuit; e qua Suae Majestati Sacratissimae series gravaminum et postulatorum optato cum effectu substrata; ad Clerum autem universum, Encyclica Littera, disciplinae Ecclesiasticae revectionem pro scopo habens, dimissa est. Similes Conferentiae Episcoporum initio anni 1849, primo in Bavaria Herbipoli, sub Praesidio Primatis Germaniae Archi-Episcopi Salisburgensis; dein eodem anno serius, tum anno 1850. Viennae Archi- et Episcoporum Austriae, sub Praesidio ejusdem Archi-Episcopi, protunc Cardinalis Principis a Schvarzenberg asservabantur. — Praeterea Morum collapsorum emendationi, per Visitationes, dimissas frequentius Litteras Pastorales, studebatur. Demum accedit, Dioecesium amplitudo, ita quod Clerus Curatus, partim ob tenuem provisionem, partim ob viarum difficultatem ardue Synodum adire possit. Haec velut totidem causae erant, intermissarum Synodorum. Interim disciplinae Ecclesiasticae zelantissimus Pontifex Benedictus XIV., dum l. 1. c. 3. ad illorum, ut se exprimit, retundendam Audaciam, qui non veriti sunt scribere, Dioecesanas Synodos esse prorsus inutiles,

Synodorum utilitatem pluribus demonstrasset; universos Archi- et Episcopos, ad eorum observantiam, quae quoad celebrandas Synodos per Concilium Tridentinum disposita habentur, l. 2. c. 6. graviter revocat.

§. 82. Quid novissimis temporibus quoad celebrationem Conciliorum Provincialium et Synodorum Dioecesanarum enunciatum?

Gravissimi eventus, anno 1848° totam pene Europam pervadentes, complures in sphaera Ecclesiastica mutationes post se traxerunt. Ecclesiae quippe Catholicae, signanter in Haereditariis Ditionibus, ubi plane obtutu Sacramentorum Administrationis, — praetereo hic Matrimonium — fere ex integro ad dispositionem Potestatis Civilis pertractum, per copiosas Ordinationes, in operando libertas nimium coarctata fuit; summe proinde necessarium, et Statui etiam Publico maxime exoptabile erat, ut Correlationes inter Ecclesiam et Civitatem in basi juris et justitiae coordinentur. In Hungaria rebus adhuc perturbatis existentibus; Episcopatus Haereditariarum Provinciarum Viennae 1849° pro Conferentiis consedit. Praesentes aderant: Cardinalis et Princeps Archi-Episcopus Salisburgensis Fridericus Princeps a Schvarzenberg, die 29[a] Aprilis unanimiter in Praesidem electus; tum 4[or] Archi-Episcopi, et 24 Episcopi, inter quos et Episcopus Quinque-Ecclesiensis Joannes, nunc Cardinalis et Princeps Primas, — unicus ex Hungaria — legitur, demum aderant absentium Archi- et Episcoporum 6 Procuratores. Pertractatio duravit usque 17[am] Junii 1850[i] et ea super quibus conventum fuit, Caesareo-Regio Ministerio substrata sunt. Objecta Consultationis erant: 1° Regimen et Administratio Ecclesiae, Ecclesiastica Officia et Beneficia, Patronatus, Concursuale examen, ac Cultus Divinus. 2. Ju-

risdictio Ecclesiastica. 3. Institutio Scholastica. 4. Status Regularium. 5. Quaestiones circa Matrimonium. 6. Fundus Religionis et Studiorum; 7. Proprietas rerum ad Ecclesiam pertinentium. — Quantum autem ad Synodos attinet; in Conferentia congregati Archi- et Episcopi declararunt: quod per S. Canones celebrari praescripta Concilia Provincialia, in vitam revocaturi sint. — Relate ad Synodos Dioecesanas enunciant: harum a pluribus saeculis in desvetudinem abeuntium, annuam celebrationem Concilium Tridentinum frustra ad cursum ponere contendisse. — Illos praeterea, qui Synodi Dioecesanae revectionem urgentissime et clamorose postulant, aliud aliquod Institutum, quam per Ecclesiam probatum fuit, prae oculis habere. Interim haec haud impedimento fore, quin Conventus idmodi Spiritu bono animati, bonum semen disseminare possint. Finaliter concluserunt, quod Synodorum celebrationem, in quantum singularium Dioecesium adjuncta admiserint, iterum in vitam inducere velint [1]). — In Conferentia Archi- et Episcoporum Hungariae 1850. Mense Augusto Strigonii asservata, relate ad Synodos enunciatum: quod Synodos S. Canonibus praescriptas, consultantes Episcopi pro exigentia Circumstantiarum, et ad mentem Summi Pontificis non sint intermissuri convocare, eo observato: se vigilaturos ut inviolata custodiantur jura Episcoporum, qui soli sunt in Synodo Dioecesana Judices et Legislatores, suoque, non vero adstantium nomine faciunt ac promulgant decreta; et quamvis adstantium expetant Consilia: non tamen coguntur illa sequi. — Justitiae Studio animatus, doctissimus Minister Cultus et Publicae Institutionis, Comes Leo a Thun in sua connexe cum Viennensi Conferentia Episcoporum, Suae Majestati Sacratissimae dd° 7^{ae} Aprilis 1850 ut infra substrata

---

[1]) Actenstücke, die bischöfliche Versammlung zu Wien betreffend. Vien. 1850.

Propositione quoad Provincialia Concilia et Dioecesanas Synodos haec habet: quod Regimen Austriacum celebrationem Provincialium Conciliorum et Dioecesanarum Synodorum nunquam prohibuerit, eo minus posset de praesenti impedire, ne Conventus hi forma per Ecclesiam praescripta asserventur. Neque eapropter hac in parte opus esse legis provisione; unice quod Suae Majestatis Sacratissimae Regimen desideret, et jure exspectet, ut Determinationes juxta quas Convocatio fiet, Eidem notitiae dentur; tum ut Concilii Provincialis et Synodi Dioecesanae Constitutiones, in quantum externos effectus post se trahunt, aut publicari debent, Jurisdictioni Civili communicentur. — Ex his patet, si quae etiam impedimenta Synodorum celebrationi obstitissent, illa amplius non existere, et sublata esse.

Caeterum erga Propositionem Ministerii, Sua Majestas Sacratissima, Populorum sibi Divinitus creditorum Saluti intentus, feliciter regnans Augustissimus Imperator et Rex Franciscus Josephus libertati Ecclesiae faventem dd° 18. et 23^{ae} Aprilis 1850 edidit Benignam Resolutionem, quae velut in Jure Ecclesiastico magni momenti, praemissa praememorata Ministeriali Propositione, per extensum isthic subnectitur.

Allergnädigster Herr!

„Unter den vielen wichtigen Fragen, deren Lösung bei der Neugestaltung Oesterreichs — der schweren aber erhabenen Aufgabe der Regierung Euerer Majestät — nicht umgangen werden kann, ist die Frage von dem Verhältnisse des Staates zur Kirche eine der allerwichtigsten, denn sie berührt die religiösen Ueberzeugungen, das unantastbare Heiligthum des Einzelnen, und zugleich die gewaltigste und nachhaltigste von allen Mächten, welche den Entwickelungsgang von Völkern und Staaten bestimmen. Einem Zustande innerer Auflösung gehen Völker und Staaten entgegen, wo die religiösen Ueberzeugungen ihre Macht auf die Gemüther verloren haben. So lange sie aber Macht üben, wirken die kirchlichen Angelegenheiten vielfach eingreifend und unabweislich zurück auf das bürgerliche Leben. Staat und Kir-

che haben es mit denselben Menschen zu thun. Die Kirche bestrebt sich, durch den Einfluss der Religion dem Gewissen eine Richtschnur zu geben. Die Staatsgewalt hat das ernste Amt empfangen, die Rechtsordnung nöthigen Falls durch Anwendung äusseren Zwanges zu schirmen. Doch wenn das Pflichtgefühl ihren Anordnungen nicht zur Stütze dient, so ist ihre Macht gelähmt. Anderer Seits bedarf die Kirche auch äusserer Hülfsmittel ihrer Thätigkeit, und spricht bei Erwerbung und Bewahrung derselben den Schutz der Staatsgewalt an. Von allen Seiten her, kommen daher Staat und Kirche mit einander in Berührung. Eben desshalb muss jede grosse Bewegung, welche auf dem Gebiete des einen Theiles vor sich geht, ihre Rückwirkung in den Bereich des andern erstrecken, und in der Stellung, welche sie zu einander einnehmen, Aenderungen hervorbringen. Auch von der Bewegung, welche Oesterreich ergriffen hat, konnte das Verhältniss des Staates zur Kirche nicht unberührt bleiben. In den Tagen der Gährung wurden von verschiedenen Seiten her Stimmen laut, welche in völlig entgegengesetzter Absicht Trennung des Staates von der Kirche forderten, und sie sind noch nicht ganz verstummt. Allein die Regierung Euerer Majestät, welche in dem grossen Augenblicke, als sie Oesterreichs neue Verfassung ins Leben rief, alle die mannigfachen Wünsche und Bestrebungen mit ruhiger Umsicht zu wägen verpflichtet war, durfte nicht daran denken, auf eine Gestaltung einzugehen, welche in einem durchgebildeten Staatsleben niemals und nirgends zur Wahrheit geworden ist. Wohl gibt es Länder, wo eine regelmässige Verbindung nur zwischen der Kirche und den Gemeinden, nicht aber zwischen der Kirche und der Regierung besteht, wo vielmehr jede Berührung zwischen diesen beiden sorgfältig vermieden wird, und es fehlt nicht an Vertheidigern dieser Einrichtung, ob sie gleich die Probe der nach Jahrhunderten rechnenden Geschichte noch nirgend bestanden hat. Mit der geschichtlichen Entwicklung und den gegebenen Zuständen Oesterreichs steht sie aber jedenfalls in einem Widerspruche, welcher ihre Durchführung zur Unmöglichkeit macht. Die Beziehungen der Regierung zur Kirche in Oesterreich könnten nur scheinbar für aufgehoben erklärt werden, aber keine Macht der Erde wäre im Stande, diese Aufhebung in Wahrheit zu verwirklichen. Wohl aber würde schon eine solche Erklärung einerseits die religiösen Angelegenheiten der Völker Oesterreichs namenloser Verwirrung Preis geben, während sie andererseits unvereinbar wäre mit der Aufrechthaltung wohlerworbener Rechte seiner Regenten, auf welche zu verzichten die Regierung Euerer Majestät niemals rathen könnte Das begründete Verlangen, dass die freiere Bewegung, die

auf allen Gebieten zu gewähren Bedürfniss und Nothwendigkeit war, auch der Kirche nicht versagt werde, musste daher beachtet werden, ohne doch vorschnell mit der Vergangenheit zu brechen und Unausführbares zu verheissen. Das Patent vom 4. März 1849 verbürgte durch §. 2 jeder gesetzlich anerkannten Kirche und Religionsgesellschaft das Recht, ihre Angelegenheiten selbstständig zu ordnen und zu verwalten, so wie das Recht der gemeinsamen öffentlichen Religionsübung, und das Vereinsgesetz entband die Versammlungen, welche die Ausübung eines gesetzlich gestatteten Kultus zum ausschliesslichen Gegenstande haben, von den Beschränkungen, welche für Volksversammlungen aufgestellt wurden; aber derselbe §. 2 des obigen Patentes sprach zugleich aus, dass jede Kirche im Besitze und Genusse der für ihre Kultus-, Unterrichts- und Wohlthätigkeitszwecke bestimmten Anstalten, Stiftungen und Fonde verbleibe, und wie jede Gesellschaft den allgemeinen Staatsgesetzen unterworfen sei. Dadurch war gesetzlich festgestellt, dass die Staatsregierung die Kirchen und Religionsgesellschaften als solche anerkenne und schützen werde. Es ist die Entwicklung der kirchlichen Verhältnisse auf Grundlage ihres faktischen Bestandes und ihrer rechtlichen Beziehungen zur Staatsregierung gewahrt.

Nachdem aber Euere Majestät durch den §. 13 des erwähnten Patentes vom 4. März 1849 Allerhöchst Ihren treugehorsamsten Ministerrath beauftragten, zur Durchführung der Bestimmungen desselben bis zum Zustandekommen organischer Gesetze provisorische Verordnungen zu entwerfen und Euerer Majestät zur Sanktion vorzulegen, so handelte es sich darum, diesem Allerhöchsten Auftrage auch hinsichtlich der im §. 2 enthaltenen Zusicherungen nachzukommen. Der treugehorsamste Ministerrath erkannte die Nothwendigkeit dabei, vor Allem seine Aufmerksamkeit auf die Angelegenheiten der katholischen Kirche zu lenken, welche die grosse Mehrzahl der österreichischen Staatsbürger zu ihren Bekennern zählt, und im ganzen Reiche für die sittliche Grundlage des Volkslebens von der höchsten Bedeutung ist. Die kirchlichen und politischen Beziehungen waren durch die frühere Gesetzgebung vielfach in einander verschmolzen; sollten nicht bedenkliche Störungen eintreten, so mussten die durch §. 2 aufgestellten Grundsätze auf das Einzelne der dadurch berührten Verhältnisse mit sorgsamer Umsicht angewandt werden. Ueberdiess war durch die Stellung, in welcher die katholische Kirche kraft §. 2 anerkannt ist, die Nothwendigkeit gegeben, die Neugestaltung ihres Verhältnisses zum Staate im Wege der Vereinbarung durchzuführen. Die Regierung Euerer Majestät glaubte daher den Auftrag, welcher ihr durch §. 13 des Allerhöchsten Patents

vom 4. März geworden ist, hinsichtlich der katholischen Kirchenangelegenheiten nicht erfüllen zu können, bevor sie sich nicht mit den gesetzmässigen Vertretern der katholischen Kirche darüber ins Einvernehmen gesetzt habe, und erliess am 31. März v. J. an die Bischöfe der Länder, für welche die am 4. März gewährten allgemeinen Bürgerrechte kund gemacht wurden, die Einladung sich nach Wien zu begeben, damit das Ministerium zur Berathung der Stellung, welche die katholische Kirche auf Grundlage jener gesetzlichen Bestimmungen künftig im Reiche einnehmen werde, mit denselben in unmittelbaren Verkehr treten könne. Es wurde der Einladung mit Bereitwilligkeit entsprochen, und die versammelten Bischöfe hielten am 30. April bis zum 17. Juni Berathungen, deren Resultat sie dem Ministerium unter dem 30. Mai und dem 6., 13., 15. und 16. Juni mittheilten. Bevor sie die Versammlung schlossen, erwählten sie ein Komité, welches aus dem Kardinal und Fürst-Erzbischof von Salzburg, den Fürstbischöfen von Sekkau und Laibach, dem Feldbischofe und dem Bischofe von Brünn besteht, und laut der am 17. Junius gemachten Mittheilung die Bestimmung hat, über die von der Versammluug behandelten Gegenstände mit der Regierung Euerer Majestät zu verkehren. Die schriftlichen Aesserungen, welche die Versammlung dem Ministerium vorlegte, haben zum Gegenstande:

1. Eine einleitende Erklärung.
2. Die Regierung und Verwaltung der Kirche, die geistlichen Aemter und Pfründen, das Patronatsrecht, die Pfarrkonkursprüfung und den Gottesdienst.
3. Die geistliche Gerichtsbarkeit.
4. Den Unterricht.
5. Das Klosterwesen.
6. Die Ehefrage.
7. Den Religions-, Studien- und Schulfond.
8. Das Pfründen- und Gotteshaus-Vermögen.

Schon aus diesen Andeutungen erhellt, wie reichhaltig der Inhalt ist, und wie viele und wichtige Verhältnisse derselbe berührt. Die bischöfliche Versammlung hat, während sie die Ansprüche der Kirche mit Eifer vertrat, in anerkennenswerther Weise das Streben beurkundet, die Geltendmachung der kirchlichen Rechte mit den wesentlichen Interessen des Staates in Einklang zu setzen. Demungeachtet unterliegt die Erledigung ihrer Eingaben manchen Schwierigkeiten.

Die Angelegenheit der Religionsstudien und Schulfonde bedarf umständlicher Erhebungen, welche noch im Zuge sind; die neue Regelung der Verwaltung des Kirchenvermögens und der Patronats-Verhältnisse ist durch die auf anderen Gebieten vor sich gehenden Reformen bedingt. Das Klosterwesen wünschen die Bischöfe in einer den Bedürfnissen der Zeit entsprechenden Weise seiner kirchlichen Bestimmung gemäss zu beleben und zu ordnen, und die Uebelstände, welche daraus erwachsen, dass aus vielen Orden der Geist ihres Institutes entwichen ist, können jenes Bestreben nur wünschenswerth erscheinen lassen. Die voraussichtlichen nächsten Wirkungen desselben, und die Schwierigkeiten, welche sich daraus ergeben dürften, machen es jedoch nothwendig, diese Angelegenheit noch weiterer Verhandlung vorzubehalten. Hinsichtlich der Ehefrage werden von den katholischen Bischöfen nicht ohne Grund Aenderungen in der bisherigen Gesetzgebung in Anspruch genommen. Auch die Superintendenten und evangelischen Vertrauensmänner, welche die Regierung Euerer Majestät gleichfalls zu einer Berathung über die Angelegenheiten ihrer Glaubensgenossen eingeladen hat, haben in ihren vorliegenden Eingaben Wünsche ausgesprochen, welche sorgfältige Berücksichtigung erheischen. Die Regierung Euerer Majestät hat die dadurch angeregten wichtigen Fragen, die einer gemeinsamen Erledigung bedürfen, bereits einer gründlichen Prüfung unterzogen. Sie behält sich vor, darüber mit dem Ausschusse der Bischöfe demnächst in nähere Verhandlung zu treten, welche ihrem Abschlusse jedoch nicht ohne ein Einvernehmen mit dem päpstlichen Stuhle zugeführt werden kann. Auch noch in anderen Beziehungen stellt sich die Nothwendigkeit eines solchen dar.

Die Statt gehabte Versammlung war keine kirchliche Synode, und konnte daher nicht ihren Mitgliedern und noch weniger den Nachfolgern derselben eine Rechtsverbindlichkeit zur Beobachtung der gefassten Beschlüsse auflegen. Hinsichtlich derjenigen Angelegenheiten, deren zweckmässige Neugestaltung durch Zusicherungen von kirchlicher Seite bedingt ist, und wo auch von der bischöflichen Versammlung entsprechende Zusicherungen gegeben worden sind, wird daher gleichwohl die Bürgschaft vermisst, dass die gefassten Beschlüsse überall und dauernd zur Richtschnur der bischöflichen Verfügungen dienen werden. Diese Bürgschaft wird nur durch ein Einvernehmen mit dem päpstlichen Stuhle erzielt werden können, abgesehen davon, dass einige Fragen eine unmittelbare Verhandlung mit demselben erfordern.

Mehrfache Rücksichten missrathen jedoch jede Erledigung in der kirchlichen Angelegenheit so lange zu vertagen, bis für alle darin begriffenen Gegenstände die Vorbedingungen definitiver Entscheidung erfüllt sind. Alle, welche an der katholischen Kirche lebhaften Antheil nehmen, harren mit Ungeduld einer baldigen Verwirklichung der in

dem Patente vom 4. März enthaltenen Zusagen, und so sehr der eingetretene Aufschub durch die Sachlage gerechtfertiget wird, so müsste doch eine längere Verzögerung das Vertrauen in die Absichten der Regierung beeinträchtigen. Zudem wirkt der Zustand von Unentschiedenheit lähmend auf das innere Leben der Kirche, dessen kräftige Entwicklung ein immer allgemeiner gefühltes Bedürfniss ist, während es den Staatsbehörden überall, wo die alte Ordnung mit den neuen Principien nicht im Einklange steht, und durch deren Verkündung erschüttert ist, an festen Regeln für ihr Benehmen in Betreff kirchlicher Angelegenheiten gebricht.

Der treugehorsamste Ministerrath ist daher nach reiflicher Erwägung der Sachlage der Ansicht, dass ohne weiteren Verzug vorläufig alle diejenigen von der bischöflichen Versammlung angeregten Fragen erledigt werden sollen, deren Erledigung bereits möglich ist, hinsichtlich der übrigen aber die Verhandlungen mit dem Ausschusse der Bischöfe fortgesetzt und die nöthigen Vorbereitungen für ein Konkordat mit dem päpstlichen Stuhle, in so weit ein solches erforderlich ist, getroffen werden, und erbittet sich hierzu in tiefster Ehrfurcht die Ermächtigung Euerer Majestät.

Die versammelten Bischöfe haben in ihrer einleitenden Erklärung vom 30. Mai v. J. sich zuvörderst im Allgemeinen über die Stellung ausgesprochen, welche die katholische Kirche in Anspruch nimmt, und die Ueberzeugung ausgedrückt, dass die Regierung Euerer Majestät, während sie andern Religionsgesellschaften neue Rechte verleiht, die alten wohlerworbenen Rechte der katholischen Kirche anerkenne und zu schützen bereit sei.

Euere Majestät dürfen den treugehorsamsten Minister des Kultus und des Unterrichtes zu der Erklärung ermächtigen, dass die Bischöfe sich in diesem Vertrauen nicht täuschen. Die Regierung Euerer Majestät ist von dem Grundsatze ausgegangen, dass die Ueberzeugungen, welche den Menschen mit einer höhern Welt verknüpfen, dem heiligsten Bereiche der Freiheit angehören, und enthielt sich auf dieselben auch nur mittelbar einzuwirken, unter der Voraussetzung, dass es sich um wahrhaft religiöse Ueberzeugungen, also um solche handle, welche den Pflichten, ohne deren Heilighaltung ein wohlgeordnetes Staatsleben unmöglich ist, zur festen Stütze dienen. Desswegen wurden die bürgerlichen und politischen Rechte von dem Religionsbekenntnisse unabhängig gemacht, und hinsichtlich der Rechte, welche §. 2 des mehrerwähnten Patentes vom 4. März zusichert, alle gesetzlich anerkannten Kirchen- und Religionsgesellschaften einander gleichstellt. Dadurch sind aber die besonderen Rechtsverhältnisse, welche sich zwischen Oesterreichs Herrschern und der katholischen Kirche seit

Jahrhunderten entwickelt haben, weder aufgehoben noch in Frage gestellt. Auch muss die Regierung Euerer Majestät sich aufgefordert fühlen, während sie jeder Religionsgesellschaft die gesetzlich zugesicherte Freiheit gewährt, der Kirche, von welcher eine so grosse Mehrzahl der Staatsbürger für so wichtige geistige Interessen Befriedigung erwartet, stets besondere Berücksichtigung zuzuwenden.

Die versammelten Bischöfe haben ferner den Zusatz jenes §. 2, dass die Kirchen und Religionsgesellschaften, wie jede Gesellschaft den allgemeinen Staatsgesetzen unterworfen seien, zum Gegenstande einer Erläuterung gemacht, und sie beziehen ihn ganz im Sinne des Gesetzgebers auf die Erfüllung jener allgemeinen Bürgerpflichten, welche den Wirkungskreis der Kirche nicht beeinträchtigen, sondern vielmehr durch das Sittengesetz, welches sie verkündigt, geheiliget werden. Die katholische Kirche ruht übrigens auf dem festen Grunde der Ueberzeugung, dass sie nicht nur ihre Glaubens- und Sittenlehre, sondern auch die Grundzüge ihrer Verfassung durch göttliche Offenbarung empfangen habe, sie kann daher nicht wie andere Gesellschaften ihre eigenen Gesetze willkürlich ändern. Jede Staatsgewalt, die eine Verständigung über ihre Beziehungen zur katholischen Kirche wünscht, muss demnach jene Gesetze anerkennen und die Regierung Euerer Majestät hat diese Nothwendigkeit niemals verkannt.

Bei den in den weiteren Eingaben der bischöflichen Versammlung angeregten Fragen handelt es sich zunächst darum, diejenigen bisher gültigen Gesetze und Vorschriften, welche der Verwirklichung der im §. 2 des Allerhöchsten Patentes vom 4. März 1849 der Kirche angewiesenen Stellung entgegenstehen, zu beseitigen, und durch neue Bestimmungen zu ersetzen.

Der treu gehorsamste Ministerrath erlaubt sich zu dem Ende die beiliegende Verordnung der Allerhöchsten Genehmigung Euerer Majestät ehrfurchtsvoll zu unterbreiten.

Zur Erläuterung und Begründung ihres Inhaltes geruhen Euere Majestät dem ehrerbiethigst Unterzeichneten nachstehende Bemerkungen zu gestatten:

Der Verkehr mit dem päpstlichen Stuhle war durch die bisherige Gesetzgebung mit gehäuften Vorsichtsmassregeln umstellt.

Jeder päpstliche Erlass — nur die Lossprechungen der Pönitenziarie ausgenommen — unterlag dem landesfürstlichen *Placet*; es wurde nur jenen Erlässen ertheilt, die durch Vermittelung der in Rom aufgestellten k. k. Agentie erwirkt waren, und diese durfte sich nur in Angelegenheiten verwenden lassen, welche durch die Staatsbehörden, oder mit deren Bewilligung an sie geleitet wurden.

Der Verkehr der Bischöfe mit ihren Diöcesen unterlag eingreifenden Beschränkungen. Kein bischöflicher Erlass durfte ohne Regierungs-Bewilligung gedruckt, und jene Hirtenbriefe und Kreisschreiben, in welchen irgend eine Verbindlichkeit aufgelegt wurde, mussten nicht nur der Landesstelle vorgelegt, sondern von dieser mit ihren allfälligen Bemerkungen der politischen Hofstelle eingesendet werden.

Die versammelten Bischöfe haben in ihrer beiliegenden Eingabe vom 16. Juni die Voraussetzung ausgesprochen, dass durch §. 2 der Grundrechte die Hemmnisse, welche ihrem Verkehre mit dem heiligen Stuhle bisher im Wege standen, vollkommen gehoben seien, und weder für sie, noch für die ihnen unterstehenden Gläubigen fernerhin eine Schwierigkeit obwalten werde, sich in geistlichen Dingen an den Papst zu wenden, oder die Anordnungen und Entscheidungen desselben zu empfangen. Sie drücken ferner die zuversichtliche Erwartung aus, dass in Folge der zugesicherten Selbstständigkeit der Kirchenverwaltung ihnen stets werde gestattet sein über Gegenstände ihrer Amtsgewalt an ihre Gemeinden ohne vorläufige Genehmigung der Staatsbehörden Ermahnungen und Anordnungen zu erlassen.

Die Fortdauer der bisher bestandenen Beschränkungen ist, nach dem Erachten des treugehorsamsten Ministerrathes, in der That nicht länger zulässig. Sie sind Bestandtheile einer Gesetzgebung, die in den Verhältnissen der Zeiten, in welchen sie sich entwickelte, ihre Erklärung findet, aber unvereinbar ist mit den wesentlich geänderten Zuständen der Gegenwart. Jene Gesetzgebung war bestimmt, durch eine consequente Bevormundung auf allen Gebieten des geistigen Lebens jedem Missbrauche freier Selbstthätigkeit vorzubeugen. Ihre Wirksamkeit beruhte eben auf ihrer Allseitigkeit. Es war folgerecht, sie auch der Kirche gegenüber in Anwendung zu bringen. Aber die der Kirche gesetzten Schranken allein, hätten nie staatsgefährlichen Missbrauch zu verhüten vermocht, und sie haben sich immer ohnmächtig erwiesen, wo die Träger der Kirchengewalt sie missbrauchen wollten, und die politischen Ereignisse dazu Gelegenheit boten, während sie unter andern Verhältnissen zu nutzlosen Förmlichkeiten herabsanken. Immer lähmten sie aber auch die heilsame Selbstthätigkeit, die überall nur aus dem Gefühle selbstständiger Verantwortlichkeit entspringt, und nährten jenen Geist des Misstrauens und Argwohnes, der der Kirche wie dem Staate Nachtheil bringt. Diesen unerfreulichen Geist haben Euere Majestät aus der österreichischen Gesetzgebung verbannt. Ihn nur der Kirche gegenüber festzuhalten, wäre der Regierung Euerer Majestät eben so unwürdig, als unvereinbar mit den

im §. 2 des Allerhöchsten Patentes vom 4. März 1849 verbürgten Rechten.

Dagegen verlangt es die innige Verbindung, welche zwischen dem österreichischen Staate und der katholischen Kirche besteht, und welche auch die Bischöfe nicht gelöst zu sehen wünschen, dass sie auch fernerhin, im Einvernehmen mit der Regierung handeln, und dass daher jene bischöflichen Erlässe, welche äussere Wirkungen nach sich ziehen, oder öffentlich kund gemacht werden sollen, gleichzeitig den betreffenden Regierungsbehörden mitgetheilt werden. Wenn übrigens die Bischöfe nicht mehr gezwungen werden, sich im Verkehr mit dem päpstlichen Stuhle ausschliesslich des k. k. Agenten in Rom zu bedienen, so ist es doch sehr wünschenswerth, dass sie sich seiner in Parteisachen aus eigener Wahl auch künftighin bedienen, um dadurch die Unzukömmlichkeiten zu vermeiden, welche mit der Benützung gewinnsüchtiger Privat-Agenten häufig verbunden sind.

Die versammelten Bischöfe haben angezeigt, dass sie die Provinzial-Konzilien wieder ins Leben zu rufen gedenken, und ihre Absicht angedeutet, die Diözesan-Synoden unter gewissen Bedingungen zu erneuern. Die österreichische Regierung hat die Abhaltung von Provinzial-Konzilien und Diözesan-Synoden niemals verboten; um so weniger könnte sie gegenwärtig hindern, dass diese Versammlungen unter den durch das Kirchengesetz vorgeschriebenen Bedingungen wieder statt finden. Es ist sonach in dieser Beziehung kein Anlass zu einer gesetzlichen Anordnung vorhanden; die Regierung Euerer Majestät hat jedoch Grund zu wünschen, und ein Recht zu erwarten, dass die Bestimmungen, nach welchen die Einberufung geschehen soll, ihr bekannt gegeben, und dass die Anordnungen, welche von dem Provinzial-Konzilium oder auf der Diöcesan-Synode getroffen werden, den Regierungsbehörden in so weit, und in derselben Weise, wie die bischöflichen Erlässe mitgetheilt werden.

Geruhen Euere Majestät zu genehmigen, dass diese Erwartung in der Erledigung der bischöflichen Eingaben ausgesprochen werde.

Die geistliche Gerichtsbarkeit erfuhr in Oesterreich Hemmungen, in Folge deren sie thatsächlich beinahe aufgehoben wurde. Die Gränzlinie ihrer Zulässigkeit wurde in der Unterscheidung rein geistlicher Angelegenheiten im Gegensatze zu rein bürgerlichen oder gemischten gesucht.

Da aber alle Gegenstände kirchlicher Gesetzgebung in dem Masse ihrer Wichtigkeit auch eine Rückwirkung auf das Staatsleben äussern, so musste durch jene Unterscheidung die Kompetenz der geistlichen Gerichte fast gänz-

lich verschwinden. So wurde die Disciplinargewalt über die Diener der Kirche fast ganz der gemeinschaftlichen Amtshandlung weltlicher und geistlicher Behörden zugewiesen.

Mit den Kirchenstrafen verband die ältere Gesetzgebung bürgerliche Nachtheile. Hievon nahm man Veranlassung, die Verhängung von Kirchenstrafen von dem Ermessen der Staatsbehörden abhängig zu machen, und an dieser Beschränkung wurde auch dann festgehalten, als die Gesetze, welche mit den Kirchenstrafen bürgerliche Folgen verknüpften, ausser Kraft gesetzt waren.

Die versammelten Bischöfe haben in ihrer Zuschrift vom 16. Juni erklärt, dass, wenn die Lebensthätigkeit der Kirche sich kraftvoll erneuern solle, sie auch hinsichtlich der geistlichen Gerichtsbarkeit wieder in die Uebung ihres Rechtes eintreten müsse, und sich über die Stellung, welche sie in dieser Beziehung in Anspruch nehmen, in folgender Weise ausgesprochen: „Ueber die Rechte und Verbindlich„keiten, welche den Mitgliedern der katholischen Kirche ent„weder als solchen, oder kraft eines von denselben übernom„menen Kirchenamtes zustehen und obliegen, hat die Kir„chengewalt nach Richtschnur der Kirchengesetze zu ent„scheiden. Wenn das Mitglied einer Gesellschaft die Pflich„ten, die ihm als solchem obliegen, nicht erfüllet, so kann „es auch nicht verlangen, an den Vortheilen, welche die „Gesellschaft gewährt, Theil zu nehmen. Wenn der Beamte „einer Gesellschaft dem erhaltenen Auftrage zuwider han„delt, so kann er unter Bedingungen, welche durch die Ge„sellschafts-Verfassung näher zu bestimmen sind, seines Am„tes und der damit verbundenen Vortheile beraubt werden. „Die katholische Kirche, welche eine so erhabene und se„genreiche Sendung zu erfüllen hat, kann um so weniger „auf Befugnisse verzichten, welche ihr mit jeder gesetzlichen „Gesellschaft gemein sind. Die geistliche Gewalt hat also „das Recht, Kirchenglieder, welche die ihnen als solchen ob„liegenden Verbindlichkeiten verletzen, ganz oder theilwei„se von dem Genusse der kirchlichen Wohlthaten auszu„schliessen, und diess geschieht durch den grösseren und „kleineren Bann. Da die Kirchenstrafen eine Rückwirkung „auf bürgerliche Rechte nicht mehr üben, so fällt der Grund „hinweg, auf welchen die Staatsgewalt sich berief, als sie „die Verhängung kirchlicher Strafen mehr oder minder von „ihrer Zustimmung abhängig machte. Was namentlich die „kirchlichen Feierlichkeiten des Begräbnisses betrifft, so steht „es der Kirche allein zu, darüber zu verfügen, und zwar „nicht bloss in Folge ihrer Strafgewalt, sondern auch, weil „ihr allein zusteht, kirchliche Gebete und Segnungen an„zuordnen. Doch verkennen die versammelten Bischöfe nicht, „dass die Kirchenstrafen, wenn sie ihrem Zwecke gemäss

„den Ernst des christlichen Lebens und den Eifer der „christlichen Gemeinde fördern sollen, mit weiser Berück„sichtigung der gegebenen Verhältnisse angewandt werden „müssen, und machen es sich zum Gesetze, ihre Strafge„walt stets mit umsichtiger Klugheit zu üben.“

„Die geistliche Gewalt allein hat das Recht, jene, wel„che die Kirchenämter nicht der übernommenen Verpflich„tung gemäss verwalten, in der durch das Kirchgesetz be„stimmten Form zu suspendiren, oder abzusetzen, und ih„nen die mit dem Amte verbundenen Einkünfte zu entziehen. „Die versammelten Bischöfe setzen voraus, dass die Staats„gewalt zur Durchsetzung von Urtheilen, welche die kirchli„chen Gerichte inner dem angedeuteten Bereiche und mit „Beobachtung aller gesetzlichen Erfordernisse fällen, ihre „Hülfe nöthigen Falles nicht versagen werden.“

Der treu gehorsamste Ministerrath ist des ehrfurchtsvollen Erachtens, dass auch in diesen Beziehungen die bisherige Gesetzgebung nicht länger haltbar sei. Wohl ist es sehr wünschenswerth, dass die Kirche und die Staatsgewalt in ihrer Amtshandlung nie die Untrennbarkeit ihrer beiderseitigen Interessen unbeachtet lassen. Auch im Familienleben begibt sich aber Vieles, was auf den Staat mittelbar einen mächtigen Einfluss übt, und was er doch seiner Entscheidung nicht vorbehalten kann, ohne sowohl alle Freiheit zu vernichten, als auch etwas schlechthin Unmögliches anzustreben. Dasselbe gilt von der Kirche. Ohne mit dem §. 2 des Allerhöchsten Patentes in Widerspruch zu gerathen, kann der Kirche nicht länger verwehrt werden, sich selbstständig der Strafgewalt zu bedienen, die sie aus der ihr inwohnenden Macht zu schöpfen, und ohne Anwendung äusseren Zwanges zu üben vermag. Wenn sie aber ihre Erkenntnisse durch äussere Zwangsmittel vollzogen wissen will, so darf die Staatsgewalt ihr den weltlichen Arm nicht leihen, ohne Bürgschaft zu haben für den gerechten Vorgang der geistlichen Gerichte. Die versammelten Bischöfe bemerken hierüber: „Da bei dem gerichtlichen Verfahren „auf die Gewohnheiten und Bedürfnisse der christlichen Län„der Rücksicht zu nehmen, in ihren Diözesen aber die Ent„wicklung des diesfälligen Gewohnheitsrechtes durch die „vieljährige Unterbrechung der geistlichen Gerichte ge„hemmt worden sei, so würden alle Einleitungen getroffen „werden, um auf gesetzlichem Wege die nöthigen Näherbe„stimmungen zu erzielen.“ Die Regierung Euerer Majestät muss wünschen, dass diese Einleitungen so sehr als es die Verhältnisse gestatten, beschleunigt und die Ergebnisse ihr mitgetheilt werden. Vorläufig muss sie sich aber vorbehalten, wofern die geistliche Behörde eine Unterstützung von Seite der Staatsgewalt anspricht, in die Untersuchungsak-

ten Einsicht zu nehmen, und sich die Ueberzeugung zu verschaffen, dass der Vorgang den Kirchengesetzen, auf welche es dabei allein ankömmt, vollkommen entsprechend sei. Je mehr Freiheit aber der Kirche gewährt ist, in dem Gebrauche ihrer eigenen Macht, desto wichtiger ist es für den Staat, dass diese Macht nicht Händen anvertraut werde, die sie in einer der bürgerlichen Gesellschaft gefährlichen Weise missbrauchen. In so fern ein solcher Missbrauch die Natur eines Verbrechens oder Vergehens annimmt, verfällt der Schuldige dem weltlichen Strafgerichte. Allein dem Diener der Kirche sind Befugnisse eingeräumt, durch deren Missbrauch er, auch ohne eben den Strafgesetzen zu verfallen, dem Staate gefährlich werden kann, und keine Regierung darf solchen Missbrauch dulden, ohne der Pflicht untreu zu werden, die ihr als Hüterin der Ordnung obliegt.

Die versammelten Bischöfe haben im Geiste der Kirche, welche sie vertreten, es ausgesprochen, dass geistlicher Aemter und Pfründen nur Solche würdig seien, welche geeignet sind, wie in jeder christlichen Tugend, so auch in Erfüllung der Pflichten gegen die bürgerliche Obrigkeit der christlichen Gemeinde mit Wort und Beispiel vorzuleuchten. Die Regierung Euerer Majestät glaubt darauf vertrauen zu dürfen, dass die Vorsteher der katholischen Kirche diesen Grundsatz sowohl bei Kandidaten von geistlichen Aemtern, als auch bei schon angestellten Geistlichen durchführen und jederzeit die Hand bieten werden, um Geistlichen, welche ihren heiligen Wirkungskreis auf eine dem Staate gefährliche Weise missbrauchen, unschädlich zu machen. Unter dieser Voraussetzung glaubt sie es durch die der katholischen Kirche schuldige Achtung geboten, dass, wenn solche traurige Fälle sich ereignen, stets zunächst im Einverständnisse mit dem betreffenden Bischofe, oder beziehungsweise mit dem päpstlichen Stuhle gegen die Pflichtvergessenen vorgegangen werde.

Geruhen Euere Majestät demgemäss allergnädigst anzuordnen, dass, wenn ein Geistlicher seine Stellung und die ihm in derselben für kirchliche Zwecke zustehenden Befugnisse zu anderen Zwecken in der Art missbraucht, dass seine Entfernung vom Amte sich der Regierung als nothwendig darstellt, die weltlichen Behörden sich desshalb vorerst mit seinem kirchlichen Vorgesetzten in's Einvernehmen zu setzen haben.

Die bischöfliche Versammlung hat es mit Recht für angemessen erkannt, dass, wenn ein Geistlicher von den weltlichen Gerichten wegen Verbrechen oder Vergehen verurtheilt wird, der Bischof in die Möglichkeit versetzt werde, bevor er eine geistliche Strafe verhängt, den Grad der Schuld, welche der Verurtheilte der Kirche gegenüber

auf sich geladen, selbsständig zu beurtheilen. Dass er zu dem Ende vor Vollzug der Strafe von der Verurtheilung in Kenntniss gesetzt werde, ist bereits durch die bestehenden Gesetze angeordnet. Die versammelten Bischöfe haben den Wunsch ausgedrückt, dass auch die Mittheilung der Verhandlungs-Acten, wenn sie verlangt wird, nicht verweigert werde. Euere Majestät dürften sich bewogen finden, allergnädigst zu genehmigen, dass diese Mittheilung der Acten, obgleich sie auch bisher nicht verweigert wurde, den Gerichten ausdrücklich zur Pflicht gemacht werde.

Die Gegenstände, welche ihre gemeinsame Erledigung in der anliegenden Verordnung finden, sind insgesammt solche, hinsichtlich welcher es sich nur um Beseitigung der durch die bisherige Gesetzgebung aufgerichteten Schranken handelt.

Die anderen gegenwärtig zu erledigenden Punkte der bischöflichen Eingaben verlangen abgesondert behandelt zu werden. Der ehrfurchtsvoll Unterzeichnete erlaubt sich die Unterrichtsfrage einem eigenen allerunterthänigsten Vortrage vorzubehalten, über die übrigen Gegenstände aber Nachstehendes zu bemerken:

Die versammelten Bischöfe haben in ihrer Zuschrift vom 30. Mai v. J. erklärt: „dass sie alle Rechte ehren, wel„che die Staatsgewalt der Kirche gegenüber ansprechen „kann, sowohl jene, welche aus der Natur der Staatsgewalt „hervorgehen, als auch jene, welche der Monarch kraft be„sonderer Rechtsgründe erworben hat. Dieser Erklärung ge„treu, zollen sie auch dem landesfürstlichen Rechte, die Per„son des zum Bisthume zu erhebenden zu bezeichnen, ihre „Anerkennung; doch halten sie dafür, dass dies Recht als „ein rein persönliches müsse betrachtet werden, und glau„ben durch die politischen Verhältnisse sich aufgefordert, „die ehrfurtsvolle doch dringende Bitte zu stellen: Euere „Majestät wollen Sich bereit erklären, das erwähnte Recht „nicht ohne Beirath katholischer Bischöfe zu üben, und die „Bischöfe der Kirchenprovinz, welcher der erledigte Sitz „angehört, dabei niemals zu übergehen,“

Unstreitig ist dies wichtige Recht von dem persönlichen Verhältnisse abhängig, in welchem der katholische Landesfürst zur katholischen Kirche steht; denn einem nicht katholischen Landesfürsten ist es niemals und nirgends zuerkannt worden. Auch liegt es am Tage, dass es zu zweckmässiger Uebung desselben von grossem Nutzen sei, sich des Rathes von Bischöfen zu bedienen, und dass die Bischöfe der Kirchenprovinz, wo das Bisthum erlediget ist, mit den zu beachtenden Verhältnissen in der Regel am besten bekannt seien. Euere Majestät dürften sich daher bewogen finden, dem Ausschusse der bischöflichen Versamm-

lung in dieser Beziehung eine beruhigende Erklärung ertheilen zu lassen.

Ueber die Form, in welcher diese Ernennungen künftig zu geschehen haben, stellen sich nähere Bestimmungen als wünschenswerth dar. Diess gilt auch von den Rechten, welche dem Landesfürsten in Betreff der Besetzung anderer kirchlichen Aemter und Pfründen zustehen. Euere Majestät dürften daher anzuordnen geruhen, dass über die Form, in welcher die landesfürstlichen Rechte in Betreff der Besetzung kirchlicher Aemter und Pfründen künftig geübt werden sollen, eine Verhandlung eingeleitet und in so weit es erforderlich ist, im Einvernehmen mit dem päpstlichen Stuhle herbeigeführt werde.

Dieses Einvernehmen dürfte sich auch auf die Regelung des Einflusses zu erstrecken haben, welcher der Regierung Euerer Majestät gewahrt werden muss, um von geistlichen Aemtern und Pfründen, zu welchen nicht Euere Majestät ernennen, Männer ferne zu halten, deren Wirksamkeit der bürgerlichen Ordnung Gefahr drohen würde.

Ueber die Befähigung zu Domherrnstellen haben die versammelten Bischöfe erklärt; „Damit die Dom-Kapitel „ihrem Zwecke genügen, und ihre bevorzugte Stellung in „würdiger Weise behaupten können, sei es nothwendig, die „Bürgschaften für die vorzugsweise Befähigung ihrer Mit„glieder nicht zu vermindern, sondern zu vermehren. Sie „erkennen daher die Heilsamkeit der bestehenden Anordnung, „in Folge derer zu Erlangung von Domherrnstellen eine „zehnjährige kirchliche Dienstleistung erforderlich ist, und „versprechen die nöthigen Einleitungen zu treffen, um diese „von der Staatsgewalt erlassene Bestimmuug auf das kirch„liche Gebiet zu übertragen.“ Der Regierung Euerer Majestät kann es nur wünschenswerth sein, dass eine Verfügung, durch welche man dem Verdienste und der Erfahrung den Vorzug zu sichern strebte, die kirchliche Anerkennung erhalte.

In demselben Geiste haben die versammelten Bischöfe sich dahin geäussert: „Die katholische Kirche sei stets von „dem Grundsatze ausgegangen, dass bei Verleihung von „kirchlichen Aemtern und Pfründen nur auf Frömmigkeit, „Kenntnisse und Verdienste Rücksicht zu nehmen sei; sie „wünschen daher und werden dahin wirken, dass auch jene „Domherrnstellen, zu deren Erlangung noch adelige Ab„stammung gefordert wird, an den würdigsten ohne Rück„sicht auf seine Geburt verliehen werden; doch solle diess „auf gesetzlichem Wege, und ohne Verletzung von bereits erworbenen Rechten geschehen.”

Sie fügen hinzu: „Nicht nur um die Lücken auszufül„len, welche durch das allmählige Erlöschen der Domicel„lar-Kanonikate in den Wahlkapiteln zu Salzburg und Olmütz „entstehen werden, sondern auch um der Wahl grössere „Würde zu geben und den Zusammenhang der Bischöfe mit „dem Metropolitan-Sitze fester zu knüpfen, stelle es sich als „wünschenswerth dar, dass die Bischöfe der Kirchen-Pro„vinzen Salzburg und Olmütz das Stimmrecht bei Erwäh„lung des Metropoliten erhalten. Um die Wähler auf eine „grössere Zahl, — allenfalls auf fünfundzwanzig — zu brin„gen, würde es zweckmässig sein, einer entsprechenden „Zahl von Ehrendomherren das Wahlrecht zu verleihen.“

Der Regierung Euerer Majestät kann es nur willkommen sein, wenn ein Grundsatz, an welchem bei Verleihung von Staatsämtern stets festgehalten wird, auch in Bezug auf kirchliche Würden volle Geltung erlangt. Auch die Bestimmungen, welche die versammelten Bischöfe bei der Wahl der Erzbischöfe von Salzburg und Olmütz eingeführt zu sehen wünschen, erscheinen als vollkommen zweckmässig.

Geruhen Euere Majestät allergnädigst zu genehmigen, dass den Bischöfen zur Durchführung dieser Bestimmungen die kräftigste Unterstützung der Regierung, in so weit sie dazu mitzuwirken berufen ist, zugesichert werde.

Das Kirchengesetz verordnet, dass zur Besetzung erledigter Pfarren ein Konkurs ausgeschrieben, und die Befähigung der Bewerber durch dazu bestellte Examinatoren geprüft werde. Diese zweckmässige Massregel ward in Oesterreich von der politischen Gesetzgebung gänzlich in ihren Bereich gezogen.

Staatsverordnungen regelten die Art und Weise der Prüfung, so wie die Verbindlichkeit, sich derselben zu unterziehen, und die Zeit für welche die mit Erfolg bestandene Prüfung Geltung hatte; vom Staate waren die Professoren der theologischen Lehranstalt als Examinatoren aufgestellt, nur der Examinator aus der Dogmatik blieb dem Bischofe zur freien Auswahl überlassen, an die Landesregierung hatte man sich um Dispens von der Konkursprüfung zu wenden.

Die versammelten Bischöfe haben das Recht, die Befähigung zur Uebung der Seelsorge zu beurtheilen, für die geistliche Gewalt in Anspruch genommen, und die Staatsgewalt kann ihr im Hinblick auf §. 2 des Allerhöchsten Patentes vom 4. März 1849 dieses Recht nicht streitig machen. Allein auch für den Staat ist es von Wichtigkeit, dass die Befähigung von Männern, welche als Pfarrer wirken sollen, auf eine zweckmässige Weise geprüft werde; die Regierung muss wünschen, dass in dieser Beziehung in den verschiedenen Diöcesen ein gleichmässiger Vorgang beobachtet werde. Sie muss wissen, welche Bürgschaft für die Befähigung der Seelsorger durch die Einrichtung der Konkursprüfung geboten ist, um beurtheilen zu können, in wie weit und unter

welchen Bedingungen sie ihnen ihrerseits in Beziehung auf die Schule, das Armenwesen und die Ehe-Angelegenheiten Funktionen übertragen kann, deren Verbindung mit dem geistlichen Amte für den Staat, wie für die Kirche wünschenswerth ist.

Die Regierung Euerer Majestät darf und muss daher das Verlangen stellen, dass die über die Konkurs-Prüfungen zu erlassenden Verfügungen, bevor sie in Ausführung kommen, zu ihrer Kenntniss gebracht werden, damit sie das was sie von ihrem Standpunkte aus wünschen muss, in Anregung bringen, und auf allfällige Schwierigkeiten aufmerksam machen könne. Die versammelten Bischöfe haben nicht verkannt, dass die für Pfarrkonkurs-Prüfung bisher geltenden Anordnungen vieles Zweckmässige enthalten, und dass es nothwendig sei, überall, wo nicht ausnahmsweise Verhältnisse eine Ausnahme begründen, ein übereinstimmendes Verfahren zu beobachten. Desshalb haben sie sich über folgende Bestimmungen geeiniget:

„Die Pfarrkonkurs-Prüfung soll in jeder Diözese jähr-„lich zum wenigsten einmal und zwar mündlich und schrift-„lich vorgenommen werden.“

„Gegenstände dieser Prüfung sind: 1. Dogmatik, 2. „Erläuterung der heiligen Schrift nach der Vulgata, 3. Mo-„ral und Pastoral sammt Liturgik mit vorherrschend prakti-„scher Richtung, 4. Kirchenrecht, 5. Vollständiger Entwurf „und theilweise Ausarbeitung einer Predigt, 6. Mündlicher „Vortrag, 7. Katechese.“

„Zur Erlanguug jedes Amtes selbstständiger Seelsorge „ist erforderlich, dass der Bewerber die Pfarr-Konkurs-Prü-„fung mit gutem Erfolge bestanden habe.“

„In wie fern für Kanonikate, mit welchen zwar die „Verpflichtung zur Seelsorge, aber kein selbstständiges Seel-„sorgsamt verbunden ist, die Pfarr-Konkurs-Prüfung noth-„wendig sei, bleibt dem Ermessen des Diöcesan-Bischofes „überlassen.“

„Zur Pfarr-Konkurs-Prüfung sollen nur Solche zuge-„lassen werden, welche seit wenigstens drei Jahren die Be-„fugniss zur Verwaltung der Seelsorge erlangt haben.“

„Die Konkursprüfung hat in der Regel für sechs Jahre „zu gelten, doch kann durch Provinzial-Koncilium ein länge-„rer oder kürzerer Zeitraum bestimmt werden.“

„Nur die dienstthuenden oder emeritirten Professoren „der Theologie, jene Doktoren der Theologie, welche zu Er-„langung dieser Würde sich den strengen Prüfungen unter-„zogen, und solche Männer, welche sich in einem theologi-„schen Fache als Schriftsteller ausgezeichnet haben, dürfen „von Ablegung der Pfarr-Konkurs-Prüfung dispensirt werden.“

„Von Wiederholung derselben kann der Bischof auch „Solche loszählen, welche als Seelsorger oder in anderer „Weise ihre theologischen Kenntnisse hinreichend erprobt „haben.“

„Kein Bischof ist verbunden, die Pfarr-Konkurs-Prü-„fung, welcher sich ein Bewerber in einer fremden Diöcese „unterzogen hat, als für Pfründen seines Sprengels genügend „anzuerkennen.“

Diese Anordnungen enthalten nichts, wogegen die Regierung Einsprache erheben müsste; im Gegentheile genügen sie jedem Jnteresse, welches der Staat an der Einrichtung dieser Prüfung haben kann. Allein es liegt keine Bürgschaft vor, dass die gefassten Beschlüsse von den Bischöfen und ihren Nachfolgern, als sie rechtlich verbindend angesehen werden. Mit Rücksicht auf dieses Verhältniss glaubt der treugehorsamste Ministerrath den ehrfurchtsvollen Antrag stellen zu sollen, Euere Majestät geruhen anzuordnen, dass die vollständige Durchführung der von den versammelten Bischöfen über die Pfarr-Konkurs-Prüfung getroffenen Bestimmungen kein Hinderniss finde, unter dem Vorbehalte, dass dieselben nicht ohne mit der Regierung gepflogene Rücksprache abgeändert werden, und dass wo und in so weit als diese Beschlüsse nicht zur Richtschnur genommen werden, bei der Pfarr-Konkurs-Prüfung nach den bisherigen Anordnungen vorgegangen werde.

Von der Ansicht ausgehend, dass Alles, was auf den Staat Einfluss nehmen könne, der Verfügung des Staates unterstehe, erliess die Oesterreichische Gesetzgebung, über den Gottesdienst der katholischen Kirche die genauesten Anordnungen, deren viele jedoch längst in Vergessenheit gerathen sind. Dagegen erklären die versammelten Bischöfe mit Berufung auf §. 2 der Grundrechte, dass sie fernerhin den Gottesdienst, und alles darauf bezügliche inner der Gränzen der allgemeinen Staatsgesetze selbstständig anordnen, und nur den Geist und die Gesetze der katholischen Kirche dabei zur Richtschnur nehmen werden. Der treugehorsamste Ministerrath muss den von den Bischöfen erhobenen Anspruch als begründet erkennen.

Allerdings ist es für die Regierung von Wichtigkeit, dass das Recht, den Gottesdienst zu ordnen, stets mit weiser Vorsicht geübt werde, um so mehr, da die Versammlungen, welche die Ausübung eines gesetzlich gestatteten Kultus zum ausschliesslichen Zwecke haben, von den gesetzlichen Beschränkungen des Versammlungsrechtes entbunden sind. Auch hat die Staatsgewalt unstreitig wie das Recht, so die Pflicht, Fürsorge zu tragen, dass nicht unter dem Vorwande gottesdienstlicher Handlungen die Ruhe gestört, oder die Sicherheit gefährdet werde, und der treuge-

horsamste Ministerrath behält sich vor, zu diesem Zwecke Euerer Majestät gesetzliche Bestimmungen vorzuschlagen, welche sich auf den Gottesdienst aller Religionsgesellschaften zu beziehen haben werden. Aber die versammelten Bischöfe haben ausgesprochen, dass sie es sich zur Pflicht machen, Alles, was an der bestehenden Gottesdienstordnung zweckmässig und heilsam ist, sorgsam aufrecht zu halten, und dass keine Abänderung ohne Zustimmung der Provinzial-Synode gemacht werden solle; sie haben ausgesprochen, dass sie in der veränderten Stellung der Gesetzgebung eine doppelte Aufforderung finden, jeder willkürlichen Neuerung und jedem Missbrauche, welcher sich beim Gottesdienste einschleichen könnte, mit unermüdlicher Thätigkeit zu begegnen. Zwar kehrt auch hier die Schwierigkeit hinsichtlich der Geltung der Beschlüsse zurück. Dennoch glaubt der treugehorsamste Ministerrath in Berücksichtigung des der Kirche verbürgten Rechtes, die kirchlichen Angelegenheiten, zu welchen der Gottesdienst vor allem Andern gehört, selbstständig zu ordnen, darauf einrathen zu sollen, Euere Majestät geruhen zu genehmigen, dass es jedem Bischofe frei stehe, den Gottesdienst seiner Diöcese im Sinne der eben erwähnten, von den versammelten Bischöfen gefassten Beschlüsse zu ordnen und zu leiten.

Die versammelten Bischöfe haben endlich auch die Bitte gestellt, „Dass die Regierung Euerer Majestät der Feier „des Sonntages und der wenigen katholischen Feier„tage ihren Schutz nicht entziehe, und wie bisher Alles, „was die Heiligung dieser Tage stört, ferne halte.“

Der treugehorsamste Ministerrath erkennt die Nachtheile und Störungen, welche entstehen müssten, wenn dieser Gegenstand dem Bereiche polizeilicher Aufsicht gänzlich entzogen würde, und die Staatsgewalt in keiner Beziehung die Rücksichten, welche die Staatsbürger einander hinsichtlich der äussern Darstellung ihrer religiösen Ueberzeugung schuldig sind, durch ihr Einschreiten aufrecht halten wollte. Die eigenthümlichen Verhältnisse einzelner Kronländer bieten jedoch in dieser Beziehung Schwierigkeiten, welche es nothwendig machen, die genaue Reglung des Gegenstandes einem späteren Zeitpuncte vorzubehalten; Euere Majestät dürften sich jedoch bewogen finden, anzuordnen, dass indessen die Behörden angewiesen werden, auf Grundlage der bestehenden Gesetze darüber zu wachen, dass an Orten, wo die katholische Bevölkerung die Mehrzahl bildet, die Feier der Sonn- und Festtage nicht durch geräuschvolle Arbeiten oder durch öffentlichen Handelsbetrieb gestört werde.

Geruhen Euere Majestät den gestellten Anträgen die Allerhöchste Genehmigung zu ertheilen, und den ehrfurchtsvoll Unterzeichneten zu ermächtigen, die Eingaben der bi-

schöflichen Versammlung in Gemässheit der in diesem allerunterhänigsten Vortrage entwickelten Ansichten zu erledigen.

Wien, am 7. April 1850.

Thun.

Ueber diesen Vortrag erfloss folgende Allerhöchste Entschliessung:

Zum Vollzug der durch §. 2 des Patentes vom 4. März 1849 der katholischen Kirche verbürgten Rechte, genehmige Ich über Antrag Meines Ministers des Kultus und Unterrichtes und auf Einrathen Meines Ministerrathes für alle Kronländer Meines Reiches, für welche jenes Patent erflossen ist, nachstehende Bestimmungen:

§. 1. Sowohl den Bischöfen, als den ihnen unterstehenden Gläubigen steht es frei, sich in geistlichen Angelegenheiten an den Papst zu wenden, und die Entscheidungen und Anordnungen des Papstes zu empfangen, ohne dabei an eine vorläufige Zustimmung der weltlichen Behörden gebunden zu sein.

§. 2. Den katholischen Bischöfen steht es frei, über Gegenstände ihrer Amtsgewalt und innerhalb der Gränzen derselben an ihren Klerus und ihre Gemeinden ohne vorläufige Genehmigung der Staatsbehörde Ermahnungen und Anordnungen zu erlassen; sie haben jedoch von ihren Erlässen, in so ferne sie äussere Wirkungen nach sich ziehen, oder öffentlich kund gemacht werden sollen, gleichzeitig den Regierungsbehörden, in deren Bereich die Kundmachung erfolgen, oder die Anwendung geschehen soll, Abschriften mitzutheilen.

§. 3. Die Verordnungen, durch welche die Kirchengewalt bisher gehindert war, Kirchenstrafen, die auf bürgerliche Rechte keine Rückwirkung üben, zu verhängen, werden ausser Kraft gesetzt.

§. 4. Der geistlichen Gewalt steht das Recht zu, Jene, welche die Kirchenämter nicht der übernommenen Verpflichtung gemäss verwalten, in der durch das Kirchengesetz bestimmten Form zu suspendiren oder abzusetzen, und sie der mit dem Amte verbundenen Einkünfte verlustig zu erklären.

§. 5. Zur Durchführung des Erkenntnisses kann die Mitwirkung der Staatsbehörden in Anspruch genommen werden, wenn denselben der ordnungsmässige Vorgang der geistlichen Behörde durch Mittheilung der Untersuchungsacten nachgewiesen wird.

§. 6. Mit der Durchführung dieser Bestimmungen ist Mein Minister des Kultus und Unterrichtes beauftragt.

Meine Behörden sind anzuweisen, dass, wenn ein katholischer Geistlicher seine Stellung und die ihm in derselben für kirchliche Zwecke zustehenden Befugnisse zu anderen Zwecken in der Art missbraucht, dass seine Entfernung vom Amte für nothwendig erkannt wird, sie sich desshalb vorerst mit seinen kirchlichen Vorgesetzten ins Einvernehmen setzen.

Den Gerichtsbehörden ist zu verordnen, dass, wenn ein katholischer Geistlicher wegen Verbrechen oder Vergehen verurtheilt wird, dem Bischofe die Verhandlungsacten auf sein Verlangen mitgetheilt werden.

In der Mir zustehenden Ernennung der Bischöfe erkenne Ich ein von Meinen erlauchten Vorfahren überkommenes Recht, welches Ich gewissenhaft zum Heile und zum Frommen der Kirche und des Reiches auszuüben gedenke. Um bei der Auswahl der Person das Beste der Kirche zu wahren, werde Ich stets geneigt sein, bei Besetzung von Bisthümern, wie diess auch bisher in Uebung war, den Rath von Bischöfen, und namentlich von Bischöfen der Kirchenprovinz, in welcher das Bisthum erlediget ist, zu hören.

Ueber die bei Ausübung der landesfürstlichen Rechte in Betreff der Besetzung geistlicher Aemter und Pfründen zu beobachtende Form hat Mein Minister des Kultus und Unterrichtes Mir die geeigneten Anträge zu erstatten.

Zur Durchführung der von der Versammlung der Bischöfe in Betreff der Bedingung zur Erlangung von Domherrnstellen, der Domicellar-Kanonikate, dann in Betreff der Wahl-Kapitel zu Olmütz und Salzburg beschlossenen Massregeln sind die Bischöfe, in so weit Meine Regierung dazu mitzuwirken berufen ist, kräftig zu unterstützen.

Die vollständige Durchführung der von der Versammlung der Bischöfe über die Pfarrkonkurs-Prüfung getroffenen Bestimmungen soll, unter dem Vorbehalte, dass dieselben nicht ohne mit der Regierung gepflogene Rücksprache abgeändert werden, kein Hinderniss finden, jedoch soll dort, wo, und in so weit, als jene Beschlüsse nicht zur Richtschnur genommen werden, bei der Pfarrkonkurs-Prüfung nach den bisherigen Anordnungen vorgegangen werden.

Ich genehmige, dass es jedem Bischofe frei stehen soll, den Gottesdienst in seiner Diözese im Sinne der von der Versammlung der Bischöfe gefassten Beschlüsse zu ordnen und zu leiten.

Meine Behörden sind anzuweisen, auf Grundlage der bestehenden Gesetze darüber zu wachen, dass an Orten, wo die katholische Bevölkerung die Mehrzahl bildet, die Feier der Sonn- und katholischen Festtage nicht durch geräuschvolle Arbeiten oder durch öffentlichen Handelsbetrieb gestört werde.

Im Uebrigen nehme Ich den Inhalt der Mir vorgelegten

Eingaben der Versammlung der Bischöfe zur Kenntniss, und ermächtige Meinen Minister des Kultus und Unterrichtes, solche in Gemässheit der in diesem Vortrage entwickelten Ansichten zu erledigen. Ueber die noch unerledigten Fragen sind Mir die geeigneten Anträge mit thunlicher Beschleunigung zu erstatten, und insoferne ein Einvernehmen mit dem päpstlichen Stuhle nothwendig ist, sind hiezu die nöthigen Vorbereitungen und Einleitungen zu treffen.

Dieses Einvernehmen wird sich auch auf die Regelung des Einflusses zu erstrecken haben, der Meiner Regierung gewahrt werden muss, um von geistlichen Aemtern und Pfründen im Allgemeinen Männer fern zu halten, welche die bürgerliche Ordnung gefährden könnten.

Wien, am 18. April 1850.

Alia dd° 23^{ae} April 1850 b. Resolutio, pariter erga Propositionem Ministerialem, emanavit sequens:

In Erwägen der §§. 2, 3 und 4 des Patentes vom 4. März 1849 genehmige Ich, nach dem Antrage Meines Ministers des Cultus und Unterrichtes und über Einrathen Meines Ministerrathes, für alle Kronländer, für welche jenes Patent erflossen ist, nachstehende Bestimmungen:

§. 1. Niemand kann an niederen oder höheren öffentlichen Lehranstalten als katholischer Religionslehrer oder Professor der Theologie wirken, ohne die Ermächtigung hiezu von dem Bischofe erhalten zu haben, in dessen Diöcese sich die Anstalt befindet.

§. 2. Der Bischof kann die Jemandem ertheilte Ermächtigung jederzeit wieder entziehen; die blosse Entziehung dieser Ermächtigung macht jedoch einen von der Regierung angestellten Lehrer nicht des ihm gesetzlich zustehenden Anspruches auf einen Ruhegehalt verlustig.

§. 3. Es bleibt Sache der Regierung, Männer, welche vom Bischofe die Ermächtigung zum Vortrage der Theologie erhalten haben, an den theologischen Facultäten zu Professoren zu ernennen, oder als Privatdozenten zuzulassen, und diese verwalten ihr Amt nach Massgabe der akademischen Gesetze.

§. 4. Dem Bischofe steht es frei, seinen Alumnen die Vorträge, welche sie an der Universität zu besuchen haben, und deren Reihenfolge vorzuzeichnen, und sie darüber in seinem Seminarium prüfen zu lassen.

§. 5. Zu den strengen Prüfungen der Candidaten der theologischen Doctorswürde ernennt der Bischof die Hälfte

der Prüfungs-Commissäre aus Männern, welche selbst den theologischen Doctorsgrad erlangt haben.

§. 6. Es kann Niemand die theologische Doctorswürde erlangen, der nicht vor dem Bischofe, oder dem von ihm Beauftragten, das tridentinische Glaubensbekenntniss abgelegt hat.

Conspectus Materiarum Tomi I.

Introductio in Jus Ecclesiasticum.

Caput I.

Caput II.

Caput III.

Autonomia Ecclesiae.

Caput IV.

Pars I.

Ecclesia Docens.

Caput I.

Caput II.

De Cardinalibus.

Caput III.

De Legatis, Nuntiis, Internuntiis et Vicariis Sedis Apostolicae.

Caput IV.

De Patriarchis, Exarchis, Primatibus et Metropolitis.

Caput V.

De Episcopis; eorum Institutione et Origine; Qualitatibus; Juribus et Obligationibus.

Caput VI.

De Capitulis.

Pagina

Caput VII.

De variis Officiis Ecclesiasticis.

Caput VIII.

Caput IX.

De Parochis.

Caput X.

De Regularibus.

Pagina

Caput XI.

De Conciliis.



Typi errores.				Corrigendi.
Pag. 11	lin.	20	commissaria	Commissoria.
„ 35	„	ult.	Can.	Cau.
„ 50	„	22	Pontific	Pontifice.
„ 65	„	11	Chrysostomos	Chrysostomus.
„ 79	„	26	repertitim	repetitim.
„ 97	„	10	ultro	ultra.
„ 113	„	2	coepit	coegit.
„ 128	„	3	veluerunt	voluerunt.
„ 154	„	8	Congregationis	Congregatio.
„ 170	„	27	vota	fora.
„ 175	„	17	Vicentium	Vincentium.
„ 190	„	32	fuerunt,	fuerunt.
„ 193	„	28	Firmanno	Firmano.
„ 227	„	9	Dioecesanorom	Dioecesanorum.
„ 229	„	12	Conscentia	Conscientia.
„ 262	„	21	sententiant	sentiant.
„ 311	„	24	Cusatorum	Curatorum.
„ 319	„	29	Signantur	Signanter.
„ 337	„	25	—	1807.
„ 340		ult.	snmmam	summam.
„ 350	„	4	—	competit.
„ 370	„	30	Canonicorum	Canonicarum.
„ 418	„	29	Vitiorium	Vitiorum.
„ 423	„	13	Sall	Salle.
„ 426	„	2	Grisiae	Griseae.
„ 480	„	16	couvocandi	convocandi.
„ 404	„	13	Poloni	Polani.
